

11.01

FG 847

Digitized by Google

Digitized by Google






Digitized by Google



Theatrum Anatomicum.

Digitized by Google


O. WORM
TH. FINCK
SIM. PAULI
TH. BARTHOLINI
CISTA MEDICA
HAFNIENSIS.
HAFNIÆ
Apud PETRUM HAUBOLD
CIƆIƆCLXII.



Digitized by Google

THOMÆ BARTHOLINI

CISTA MEDICA HAFNIENSIS,

Variis Conſiliis, Curationibus, caſibus rarioribus, Vitis Medicorum Hafnienſium, aliisq; ad rem Medicam, Anatomicam, Botanicam & Chymicam ſpectantibus referta.

Accedit ejuſdem

DOMUS ANATOMICA

breviſſimè deſcripta.

HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII.
Impenſis PETRI HAUBOLDI Bibl.
cIↄ Iↄc LXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO
DOMINO
FERDINANDO
SECUNDO
MEDICEO
MAGNO HETRURIÆ
DUCI
ET
MAXIMO MEDICORUM LITERATORUMQVE MECÆNATI

THOMAS BARTHOLINUS
S. F. Q. P.

Digitized by Google

ABſuit ſemper ab ingeniis noſtrorum Borealium inviſa Dis hominibusq; & ingrata beneficiorum oblivio. Quanquam enim inquilino rigore ora manusq; torpeſcant ſubinde, nunquam tamen animus, melior illa pars noſtri, Hetruriæ veſtræ recordatione friget, ſed

Digitized by Google

ſed in mediis patriæ nivibus, benignâ ſerenitatis veſtræ aurâ, quam nemini noſtratium apud vos intercepiſtis, ardet adhuc & inflammatur. Ne intra ſilentium grata noſtrorum hominum memoria amplius ſubſiſtat, inuſitato hyemis tepore reviviſcentes devoti defunctorum Medicorum cineres purpuram Veſtram adorant, & ſubmiſſo pennæ noſtræ cultu cæteri ſuperſtites venerantur, qui vel ſerena Celſitudinis Ve-

ſtræ præſentia olim animabantur, vel in virtutum Heroicarum admirationem abſentes rapiuntur. Hoc igitur publicum gratæ noſtrorum civium memoriæ documentum, meæ felicitati reſervatum, exili libro, ſed honeſtis adfectibus graviſſimo, Tibi, Magne Dux, Tuæq; æternitati, eo conſecratum. Nolo Mediceorum prudentiam ad hanc pagellam vocare, & juſti conſilia, qvibus Hetruriam ſuam Italiæ florentiſſi-

Digitized by Google

mam moderato imperio conſervarunt. Annalium hic fides ſollicitanda, qvorum eæ partes erunt. At qvod innocentes Muſas, exilio prope accinctas, placido veſtro amplexu foveatis, & Muſarum ſacerdotibus concedatis pacem, nec beati illorum manes tacent qvorum hoc opere vel vitas pertexo vel ingenia, nec ego inglorio ſilentio involvam. Tua inprimis, Dux Magne, hic laus emicuit, qvi in Te cumulaſti Majorum

 gloriam,

Digitized by Google

gloriam, ut majori cum gloria ad conſervandum ſanctæ juſtitiæ domicilium, & ad tutelam Literatorum eniteremis. Ad Piſanas Athenas ipſum Apollinem invitaſti. Ibidem Floram ſplendidè veſtis & indulgentiſsimè habes. Sacrum Hermetis ignem continuo ſplendidiſsimi Laboratorii foco ad cunctorum uſus foves & accendis, & inæſtimabili Bibliothecæ Mediceæ theſauro, cujus & nos fructum ex aliena ſemente percepi-

Digitized by Google

cepimus, literati orbis curioſitati conſuluiſti & eruditioni. Salvâ magnitudine Tuâ, ad curas Medicas & literarias deſcendis, ut tanto exemplo diſcant mortales, quanti Medicorum filii cenſeantur, quia faventes Mediceos, Medicorum Medicos, invenerunt. Id deniq; præſtitiſti deſideriis meis, ut, non in fratribus tantum meis, cognatis & amicis, quos ex conſuetudine bonitatis Tuæ non ſemel admiſiſti, ſed in meipſo glori-

Digitized by Google

gloriari Tuis indulgentiis poßim. Ad teſtimonium diligentiæ meæ morumq́ pertinet tam boni Principis & eruditi judicio exornari; atq́ ad obſeqvium, ſolennia vota pro Veſtra incolumitate ſuſcipere, qva ſalus Heliconis continetur, & pro Sereniſsimæ familiæ Mediceæ perennitate.

Hafniæ ipſo Thomæ
feſto CIↃ IↃC LXI.

TH.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINUS

Lectori Medico S.

MUltorum famæ hoc opere conſului, & meæ fidei. De neutro ut dubites, inſtituti noſtri rationem, me interprete, ad animum revoca.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi.

Fuere & ante nos artis noſtræ Medicæ gloria illuſtres Viri, qvi in Academia, Aula, & urbe hac Regia cum inſigni laude & felicitate medicinam vel docuerunt vel exercuerunt, ſed illorum plurimi vel ſeculi genio vel morum continentia publicum formidarunt, nec omnium judiciis ſe ſubjici tranqvillitatis amore paſſi ſunt. Hinc alii ſuſpenſa manu calamum perituræ chartæ commodarunt, alii inviti ea in vulgus efferri conceſſerunt, qvorum utilitas ad omnes, præmium ad ſe ſolos ſpectabat, qvia ſit tuta fideli ſilen-

tiô

Digitized by Google

tiô merces; alii deniq;, qvi invidioſum ſcribendi onus ſubierunt & de poſteritate artisq; propagatione cogitarunt, Bibliopolarum negligentia & injuria vel ad alios ſoles nunqvam devenere, vel in ipſa patria ingenii & exercitationis applauſu noti, poſt fata cum lucubrationibus videbantur extincti. Igitur meæ fidei intereſſe exiſtimavi, qvem publico promovendo Superiorum voluntas deſtinavit, ſi majorum noſtrorum memoriam à livida oblivione vindicarem. Idcircò præclara Medicorum Hafnienſium nomina, qvæ ætatem qvoq; noſtram præceſſerunt, diligentiâ haud tralatitia conqviſivi, opera eorundem indice digito ſignavi, & Conſilia, Caſus, aliaq; ad rem Medicam ſpectantia ſparſim collegi, & Vitas fortunasq; breviter recenſui, ut excellentium Virorum fama eſſet ſuperſtes, Conſiliorum carceres hactenus mordentium fructus ad plures publicaretur, & mihi deniq; pietatis gratia conce-

concederetur. Scias tamen numero plura ex majorum monumentis, Actis, Conſultationibus, apud Medicam Facultatem periiſſe. Enimvero qvum penes Medicæ Facultatis Decanum, qvi in Academia perpetuus eſſe ſolet, exempla actorum omnium ſerventur, tutisq; auribus & cuſtodiis in Ciſta Facultatis deponantur, magno publicæ Rei Medicæ detrimento cum Bibliotheca in prædam pabulumq; hæc & alia Vulcano ceſſerunt, qvorum D. THOMAS FINCKIUS, Avus noſter, per LIII. annos Decanus, nunqvam ſiccis oculis meminit. Illius Divini ſenis Nepos ego & ſucceſſor, in Ciſta Medica, ex officio Decanatus mihi concredita, ſparſas ſchedas Medicorum, tanqvam naufraga fruſta, curioſè collegi, in ordinem ſecundum annorum ſeriem nullius præjudicio digeſſi, Latio reddidi qvæ noſtrâ dialecto legebantur, & hincinde defunctorum monumentis conqviſitis Vitas illorum interſerui, qvi publicis programmatibus à patria

Academia, fideli arcanorũ temporumq́; cuſtode, fuerunt laudati. Hæc uno volumine contenta, excuſſis loculis, in publicam libertatem lucemq; mitto, ne invidiam clauſæ diutius Ciſtæ, magnis detrimentis mortales expient, aut Medici noſtri, numero pauci, ſed meritis magni, paratis poſteris & dignâ immortalitate deſtituantur. Cuncta ſuis authoribus reddidi, præcipua, qvæ forte utilia occurrerunt, complexus, geſtorum qvoq; documenta nonnunqvam ſubtexui, certâ ſpe fretus bonis placitura & curioſis, qvæ pro temporum fama, patriæ Academiæ laude, & Medicinæ incremento eſſe judicavi. Alii qvos nobis Deus & fortuna eſſe voluerit ſuperſtites, tàm noſtra, ſi merebuntur, qvam aliorum Medicorum, qvorum vel vitas omiſimus vel lucubrationes, qvia vel ad poſteritatem ſpectant vel haberi non potuerunt, eo animo perſeqvantur, qvò nos ea meliorum utilitati dicavimus. Niſi grandior

Digitized by Google

dior mole ſua liber concludendus fuisſet, oculis publicis ſtitiſſem Conſtitutiones novellas, qvas Clariſſimi noſtræ Facultatis Doctores in commune conſulturi conceperunt, ut & nomen dignitatemq; ſuam tuerentur & ſaluti ægrorum proſpicerent. Verè enim de Medicis dici poteſt, qvod de ſapiente *Seneca* de otio ejusdem: *Si qvis bene de ſe meretur, hoc ipſo aliis prodeſt, qvod illis profutura parat.* Sola verò Sereniſſimæ Majeſtatis Regiæ authoritas nobis supereſt, ut Empirici, monſtra hominum, apud nos debellentur. Hactenus enim vitia remediis fuere fortiora. Vale. Hafniæ XXII. Decembris, ANNO CIↃ IↃC LXI.

Am-

Digitized by Google

Ampliſſimo & Celeberrimo
VIRO

Danorum Regis Profeſ-ſori Honorario

THOMÆ BARTHOLINO.

SIc ſtellas olim Phœbe, ſic lumina Titan
Orbibus irradiant inferiora ſuis:
Tu medicæ BARTHLINE artis tot nomina laudas
Complexus titulis id decus omne tuis;
Et numeras vivos, & qvot vixere priores,
Ut genio monſtres par nihil eſſe tuo.

VITUS BERING.

TH. BAR-

Digitized by Google

Th. Bartholini CISTA MEDICA Hafnienſis.

LOCULUS I.

Nomina & Opera Medicorum Hafnienſium ad Annum 1660.

ANte conditam fundatamq; Academiam Hafnienſem à Christiano Primo Rege Daniæ, Anno Chriſti 1478. Medicorum obſcura extat in monumentis patriæ memoria. Medicinam qvidem habuerunt majores noſtri, ſed eam indigenam & à vulgo adminiſtratam, vel ab Eccleſiaſticis. De Johanne enim qvodam religione Abbate narrat *Saxo* noſter Lib. XV. Hiſt. Dan. ex Scania ad curandum Regem Waldemarum accerſitum,

Digitized by Google

cujus opi plurimum credebatur, ſed medicinæ præſumptuoſiorem qvam peritiorem fuiſſe profeſſorem. Ea qvoq; parcius indiguerunt, qvia necdum luxus corpora rebus præclarè gerendis aſueta enervaverat. Et patriis herbis ſuccisq;, muſto, melle, butyro, declinantem ſubinde valetudinem ſublevarunt, beatâ peregrinarum mercium ignorantiâ. Rariſſimos Medicos in Septentrione ideò reperiri *Olaus Magnus* l. 16. Hiſt. Sept. c. 50. prodidit, propter indiſciplinatum regimen curandorum, & peregrinorum medicamentorum vel mangonium vel inefficaciam. Creſcente verò cum ſeculis vel morum elegantia vel variarum externarumq; deliciarum ex peregrinis commerciis amore & libidine, neceſſitas qvoq; Medicorum major & authoritas emerſit qvi ſupra vulgi ſtudia ſaperent. Unde qvum cultiores literæ, in Patria auſpiciis Sereniſſimorum Regum Oldenburgicæ familiæ, excoli cepiſſent, & in Academia Hafnienſi variæ ſcientiæ publicè doceri, Medicorum qvoq; illuſtrium ſtudium illuxit, qvorum tamen nomina pleraq; illacrymabilia urgentur, caruerunt qvia vate ſacro. Ego ab interitu & longa nocte hos vindicabo, qvantum poſſum, ſparſasq; ſchedas colle-

colligam, pietate in majores noſtros, & grato in Academiam animo, cujus beneficio & Medici in patria delecti, & memoria eorundem conſervata.

Medicinæ Profeſſores in Academia Hafnienſi.

D. *Alexander Kynſorum.* Rector fuit in Academia A. C. 1517.

D. *Chriſtianus Torchilli Morſianus*, Rectoratum geſſit 1522. 1538 1546. 1556. Obiit 1560.

D. *Johannes Antonii Freudenburg.* Obiit 1544

D. *Thomas Zegerus.* Obiit 1544.

D. *Petrus Capitaneus.* Rectoris munere functus eſt 1547. 1551. Obiit 1557.

Scripſit Prophylacticum conſilium Antipeſtilentiale editum Hafniæ vulgari dialecto A. C. 1553.

D. *Jacobus Bordingus* Antverpienſis. Rectoris purpuram geſſit ſemel 1559. in qva obiit 1560.

Opera ejus poſt paulò cum Vita recenſentur.

D *Johannes Franciſcus* Ripenſis, faſces Academicos geſtavit 1565. 1574. 1575. Obiit 1584. Opera inferius videantur.

Digitized by Google

D. *Elias Reimpoldus* Zvollenſis. Obiit 1563.

D. *Hadrianus Junius*, abiit ad Belgas, ibiq; obiit 1575.

D. *Johannes Pratenſis.* Obiit 1576.

D. *Andreas Lymvicus*, Magiſtratu Academico defunctus eſt 1578. 1579. 1586. 1587. 1597. Obiit 1603.

D. *Andreas Chriſtiani* Ripenſis. Rector 1590. 1600. Vocatus deinde ad Sorenſem Præfecturam 1602.

Edidit

1. Enchiridion Medicum de cognoſcendis curandisq; tam externis qvam internis humani corporis morbis, ex Victoris Trincavellij Prælectionibus concinnatum. Baſil. 1607. in 8.

2. Diſputationes duas. Priorem de ſomno & Vigilia. Poſteriorem, de Comate ſeu Cataphora, cum adjuncta Qvæſtione: ſitne Peſtis morbus contagioſus? Baſil. 1583. in 8.

D. *Thomas Finckius.* Academiæ Rector 1598. 1606. 1615. 1625. 1634. Obiit 1656.

Opera & vita inferius ſuo loco legenda.

D. *Gellius Saſcerides*, Rector 1609. Obiit 1612. de cujus vita & ſcriptis poſtea erit dicendi locus.

D. CA-

Digitized by Google

D. *Caſparus Bartholinus* Rector 1618. 1629. qvo etiam anno beatorum cœtibus eſt adſcriptus.

Vitam illius & opera poſtea exponam.

D. *Olaus Worm.* Rect. 1627. 1637. 1643. 1649. 1654. eodem anno denatus.

Opera, illius vitæ poſthæc ſubjungentur.

D. *Simon Paulli*, primus Botanices & Anatomiæ Profeſſor. Vocatus deinde ad aulam Regiam 1650.

Opera hæc in lucem emiſit:

De Hæmorrhagia Diſputationem Hafniæ 1629. in 4.

De Dolore dentium Diſputat. Hafniæ 1639. in 4.

Germanicam Anatomiæ Bartholinianæ Verſionem. Hafniæ 1648. in 8.

Qvadripartitum de ſimplicium Medicamentorum facultatibus Roſtoch. 1640. in 4.

De Arthritide Diſputationem. Wittebergæ 1630. in 4.

De Catarrho Diſput. Anniverſ. Roſtoch. 1637. in 4.

Floram Danicam cum Figuris. Hafniæ 1648. in 4.

Digitized by Google

Viridaria Varia Regia & Academica publica. Hafniæ 1653. in 12.

Verſionem Germanicam Anatomicarum Tabularum Jul. Caſſerii, & de Form. Fœt. Spigelii, cum Appendice. Francofurti 1656. in 4.

Orationem Introductoriam cum Galenum De Oſſibus, ad Sceleton, publicè in Collegio Finckiano eſſet interpretaturus. Hafniæ 1641. in 4.

De Anatomiæ Origine, Præſtantia & Utilitate Syntagma. Hafniæ 1643. in 4.

Παρεκβασιν De Febrium malignarum vera cauſa &c. Francofurti 1660. in 4.

D. *Thomas Bartholinus*. Rector Academ. 1655. deinde Ser. Reg. Maj. Dan. & Norw. &c. Prof. Honorarius 1661.

Operum qvæ hactenus edidit catalogus aliqvoties publicis typis fuit lectus, Venetiis, Panormi, Hafniæ, &c. nec opus eſt ut hic repetatur.

D. *Chriſtianus Oſtenfeld*. Rector Acad. 1658. In publicum emiſit

Laurum Wirtenbergicam. Argentin. 1652. in Folio.

Exercitationum de Medicinæ Fundamentis Prodromum. Hafniæ 1656. in 4.

Ora-

Digitized by Google

Orationem in Obitum Dn. D. Thomæ Finckii. Hafniæ 1656. in 4.

Palladium Danicum. Panegyricum pro ſervata urbe Hafnienſi. Hafniæ 1661.

D. Eraſmius Bartholinus. Edidit hactenus Medicam Diſputationem. Hafn. 1647. in 4.

Introductionem ad Geometriæ methodum Renati des Cartes. Lugduni Batavorum 1651. in 4.

Heliodori Lariſſæi optic. libr. 2. animadverſionibus illuſtratos. Pariſiis 1657. in 4.

Analyticam Rationem inveniendi omnia Problemata Proportionalium. Hafniæ 1657. in 4.

De Æqvationum Natura, Conſtit. & Limitibus opuſc. duo. Amſtel. 1659. in 4.

Dioriſticen Æqvationum. Hafniæ 1660. in 4.

Orationem Jubilæam. Hafniæ 1660. in 4.

De Nivis figura Diſſertationem. Hafniæ 1661. in 8.

Huc ſpectant Medicinæ Doctores alii, in Academia Hafnienſi Profeſſores.

D. M. Petrus Albertius, Med. Licentiatus.

D. Andreas Kragius, Matheſ. Profeſſ. deinde

 Phy-

Phyſices. Obiit 1600. Opera ejus poſtea ſignabimus.

D. *Johannes Schelderupius.* Vocatus deinde ad Epiſcopatum Bergenſem in Norwegia.

D. *Johannes Monaſterienſis.* Phyſ. P. obiit 1564.

D. *Chriſtianus Stougardius* Eloq. P.P. obiit 1644. Scripſit Diſput. Philologicam de Lingva Latina Hafn 1639. in 4.

D. *Johannes Rhodius* Hafnienſis, vocatus ad Phyſicam Profeſſionem in Acad. Hafn. mox ad Medicam in Acad. Sorana; ſibi maluit vivere, & in otio laborioſo Patavii obiit 1659. Publica ejus ingenii & eruditionis ſummæ monumenta hæc ſunt:

De Acia C. Celſi diſſertatio Patavii 1639. in 4.

Lipſius de Re Nummaria. Pat. in 12.

Analecta & Notæ in L. Septalii Animadverſiones & Cautiones Medicas. Pat. 1652. in 8.

Scribonius Largus cum Notis & Lexico. Patav. 1655. in 4.

Obſervationum Medicinalium Cent. tres. Pat. 1657. in 8.

Mantiſſa Anatomica Hafn, in 8. 1661.

Vege-

Digitized by Google

Vegetius de Mulomedicina cum Notis.	affecta ſunt, & ad præ-
C. Celſus, cum Variis Lectionibus & Lexico.	lum parata.

Regiæ Aulæ Hafnienſis & Sereniſſimorum Regum Daniæ Medici interea floruerunt.

D. *Johannes Warvich*, ſcripſit librum de Peſte, germanica dialecto impreſſ. Hafn. in 8. 1577.

D. *Petrus Capitaneus.*

D *Jacobus Bordingius.*

D. *Cornelius Hamsfort.*

D. *Petrus Severinus.* Cujus Vitam & opera poſtea tradituri ſumus.

D. *Martinus Æditus.*

D. *Jacobus Haſebardus.*

D. *Matthias Jacobæus.*

D. *Henningus Arniſæus.* Præter alia præclara, in publicam lucem prodierunt ejus

Doctrina Politica Steinfurti 1622. in 4. Amſtel. 1651. in 12.

De Partus humani legitimis terminis, & Obſervationes & Controverſiæ Anatomicæ. Francof 1641. in 12:

Digitized by Google

D. *Jacobus Fabricius.* Publica illius monumenta hæc extant:

Uroſcopia, ſeu de Urinis Tractatus. Roſtoch. 1605. in 8.

De Vertigine diſput. Roſtoch. 1620. in 4.

De Cephalalgia Autumnali. Roſtoch. 1617. in 4.

Conſultationes } Ad prælum parata in ſcri-
Notæ in Crollium } niis Generi D. Sim. Paull.

D. *Jacobus Janus.*

D. *Petrus Bullichius.* Poſtea Ser. Reg. Maj. Dan. & Norw. &c. Conſiliarius Status & Cameræ.

D. *Simon Paulli.*

D. *Paulus Moth.* In lucem emiſit

De Pleuritide legitima Diſp. Baſil. 1637. in 4.

Caſum Chirurgicum perforati Thoracis. Hafn. 1658. in 4.

Præterea in Urbe Hafnienſi Medicinam exercuerunt:

D. *Conradus Schattenbergius.*

D. *Georgius Fuiren.*

D. *Guilielmus Laurenbergius Junior.* Divulgavit ſeqventia opuſcula:

Hiſtoricam deſcriptionem Ætitis, cui adjunctus

junctus eſt ejusdem Tractatus de Lapide Calſuve: Nec non Methodus Conficiendi Herbaria viva. Roſtoch. 1627. in 12. Methodus qvoq; recuſa Hafniæ 1653. in 12.

D. *Henricus Coſterus.* Vocatus deinde ad aulam Sereniſſimi Principis CHRISTIANI V.

D. *Henricus Paſchaſius.* In lucem emiſit

De Peſtilentia Enchiridium, cum annexis Controverſiis. Hafniæ 1629. in 8.

De Medicamentorum Purgantium præparatione. Hafniæ 1631. in 8.

D. *Joachimus Schelius.* Typis commiſit

Librum de Peſte. Hafniæ 1636. in 4.

D. *Esbernus Nicolai.*

D. *Fridericus Severinius Petr. fil.*

D. *Ottho Sperling.* In Patriam Hamburg. rediit 1652. Publico communicavit

Hortum Chriſtianæum. Hafn. 1642. in 16.

M. *Tancredus Lælius.*

D. *Chriſtianus Fabricius.*

D. *Jacobus Suabe.*

D. *Olaus Petræus.* Abiit Bergas in Norwegiam.

D. *Nicolaus Wichman.* Abiit in Scaniam.

D. *Henricus Fuiren*, cujus eruditas de Aſcite Prælectiones habemus, impreſſas Baſil. 1645. in 8.

D. *Aba-*

Digitized by Google

D. Ahaſuerus Payngk, qvi de Corde Diſputationem Gröningæ edidit 1645. in 4.

D. Henricus à Möinichen.

LOCULUS II.

Prophylacticum Conſilium Antipeſtilentiale ad cives Haſnienſes *ſcriptum à* D. Petro Capitaneo *Medico Regio & Profeſſ. Publ. Anno Chriſti* *M. D. LIII.*

I. *Pro illis qvi necdum peſtilentiâ correpti ſunt.*

NIhil hoc autumno utilius juvenibus qvi in ætatis ſunt incremento, ſi venis amplis & multo ſangvine abundant, qvam ut venam ſibi curent ſecari in brachio dextro, ſive medianam, ſive venam illam qvam Hepaticam vocant.

§. Qvinq; vel ſex diebus poſt venam ſectam, poterunt in cœna abſtinere à cibo, & pro purgatione uti qvindecim pilulis peſtilentialibus, majoris generis, qvas curavi in Pharmacopolio illis præparari, & veneunt duobus ſolidis danicis, (nam in Pharmacopolio ordinavi & præparare curavi pilulas peſtilentiales majores & minores) qvæ deglu-

glutiantur cum vino vel cereviſia, & poſtridie caveant ne ſubdio prodeant. Sed qvi venæ ſectione uti non poſſunt, ſive qvia non multo ſangvine abundant, ſive qvia meticuloſi ſunt; ſive qvod ætas decrepita ſit, poterunt bis iisdem pilulis uti, ita ut qvatuor dies intercedant.

§. Qvando aſſumpſerunt purgationem, diligenter cavendum eſt, ante omnia, ab omnibus, & à ſingulis, ne in plateis vel ædibus inveniantur ſordes & fætores. Cubicula vel muſæa qvibus camini inſunt, ſemper munda ſerventur cum igne, & ut aër purgetur per fumum ex Juniperi baccis, vel ligno Juniperino, vel pulvere à me in Pharmacopolio præſcripto, vel candelis nigris, qvas in officinis vocant Ozoleta.

§. In cibis & alimentis caveant ſibi ab omni illo qvod non benè olet, & à fructibus; ſed parſimonia & ſobrietas, id eſt, temperantem eſſe in cibo & potu, eſt optima medicina.

§. Qvi ditiores ſunt, & emere poſſunt, ſibi aſſumant, alternis diebus tantum Theriacæ Venetæ, ad magnitudinem nucis avellanæ, vel iſtud præſervativum, qvod in Pharmacopolio curavi præparari, & aſſumant

cum

Digitized by Google

cum duobus cochlearibus aceti vini. Altero die mane capiant fruſtum radicis Angelicæ, & panem cum butyro jejuno ſtomacho; vel omnes ſumant ſeqventem medicinam & prophylacticum, qvod uſitatum eſt & probatum, & pro utiliſſimo & optimo expertum; nempe jejuni aſſumant duas ficus, duas nuces juglandes & viginti folia vulgaris Rutæ cum valdè pauco ſale, hæc omnia debent invicem miſceri & contundi, jejuno ſtómacho aſſumi & deglutiri alternis diebus. Vix meliorem medicinam inveniemus, qvam hæc eſt. Et poterunt aſſumere ter vel qvater in hebdomade, ituri cubitum veſperi, drachmam mediam pilularum peſtilentialium minorum, non ad purgandum, ſed ad præſervationem & præcautionem contra peſtilentiam.

§. Vel ſumant Zedoariæ & Angelicæ ana Drachmam mediam, & octo folia Rutæ cum pane butyraceo, anteqvam in publicum prodeant.

§. Et qvando in publicum prodire coguntur, poſt ſumptum præſervativum poterunt ore detinere fruſtulum Angelicæ vel Zedoariæ, & ſecum geſtare vel ſpongiæ fruſtum, vel bacillum rutæ tinctum & immerſum

in ace-

Digitized by Google

in aceto vini. Qvi divites ſunt, poſſunt uti pomo, qvod Ambræ vocatur, à me in pharmacopolio præſcriptum.

Cura eorum qvi peſtilentia infecti ſunt.

Qvi infectus eſt (niſi ſit infans, vel femina gravida, vel homo decrepitus) ſtatim ſi nullibi intumuit, ſibi ſecet venam popliteam dextri pedis, vel aliam pedis venam, qvæ vicina eſt popliteæ, & ſinat liberaliter ſanguinem effluere, idq; qvamprimum ſenſerit ſe infectum eſſe.

§ Sed ſi intumeſcat qvamprimum, & tumor iſte apparuerit prope aures, vel in collo, vel ſub alis, curet ſibi ſecari venam in brachio medianam vel Cephalicam, nam id optimum. Sed ſi tumor ſe manifeſtaverit in inguine vel locis vicinis, debet ſibi venam aperire in pede, vel prope poplitem. Sed hic diligenter conſiderandum, ut ſi tumor ſit in dextro latere, vena ſecetur in dextro brachio vel pede. Sed ſi tumor ſit in ſiniſtro latere, vena aperiatur in ſiniſtro brachio vel pede; ſed ſi ſit tumor in utroq; latere, vena ſecanda in utroq; latere, ita tamen ut ſangvis moderate effundatur, nam ſemper expedit venam ſecari in eodem latere qvo tumor inſidet, nec in oppoſito latere.

§. Sta-

§ Statim peracta ſectione Venæ, æger poterit haurire hauſtum iſtius potus, ex illo potu qvem ego in Pharmacopolio præparavi, & parvo precio venit. Et iſta potio præparetur ad modum ſeqventem. Recipe Theriacæ Venetæ Drachmam unam, Boli Armeni Drachmam ſemis, pulveris pilular. peſtilentialium Drachmam unam, miſce invicem cum Aqva ſcabioſæ vel Endiviæ Uncia una, aceti Vini Uncia ſemis, ita ut inde fiat potio tepens, qvod ſi iſtam potionem intra corpus octo vel decem horis retinere poſſit, ne evomat, DEI clementi auxilio revaleſcet. Sed præſtat ut illa potio in Pharmaceutica officina præparetur.

§ Qvi ita infectus eſt, & aſſumpſit dictam potionem, ipſe interdum aſſumere poteſt pilulas peſtilentiales duodecim ex minoribus, & deglutire cum aqva ſcabioſæ, vel vino. Interdum ſumat fruſtulum radicis Angelicæ vel Scabioſæ. Nec nocere poteſt, ſi poſtridie iterum hauriat potionem iſtam medicatam, nam id nihil illi nocebit, nec exinde mali qvid ſentiet.

Buboni illi peſtilenti, vel tumori, primo qvoq; tempore imponat emplaſtrum hoc, qvod ita præparari debet. Recipe radices

Digitized by Google

dices liliorum, ficus pingves, allium, ana Unciam unam, ſem. lini Unc. ſemis, hæc diligenter in mortario invicem contundantur, & miſceantur cum fermenti veteris acris Drachm. ſex, & addatur tantum olei liliorum, qvantum ſufficiat ad malaxandum, ut evadat craſſum ſatis & pingve qvo benè cohæreat, & deinde imponatur apoſtemati donec ulcus matureſcat & rumpatur, deinde curetur ſicut alia ulcera & tumores.

§. Idem emplaſtrum ingvinibus imponi poteſt, vel cuicunq; parti dolor ineſt, & tumor expectatur, ut materia maligna à corde revocetur.

§. Præter hæc conſcripſi & alia medicamenta in officinis, & qvo modo rectè adhibenda, qvæ ibidem emi poſſunt vili precio. Nam non omnes habent iſta ingredientia, nec ſciunt benè iſta præparare. Qvod libenter hic addo, ne qvis cogitet, me magis ſpectare ad lucrum Apothecariorum, qvam ad juvamentum miſeri & mœſti vulgi, qvod peſtilentia hac affligitur. Nam qva re, & qvocunq; modo ego inſervire poſſum Hafnienſi Senatui & populo, imò univerſo huic Regno, ſemper me invenient facilem & promptum.

Digitized by Google

Vos igitur oro, qvi curam animarum habetis Hafniæ, ut hæc in lingvam danicam convertatis, & proximo de dominico in omnibus Templis publicè ex ſuggeſtubus recitari curetis, & ſvadeatis infectis hac lue, ut ſe roborent, & benè edant, nec abſtineant à cibo, nam, Galeno teſte, citius evadunt qui ipſos ſe cogunt ad comedendos cibos. Hiſce Deo vos omnipotenti commendo in Domino noſtro Jeſu Chriſto, qvi pro ſua ſumma miſericordia clementer avertat iram ſuam ſuper nos accenſam & benè meritam. Exaudiat preces noſtras omnis miſericordiæ Pater propter filium ejusdem Jeſum Chriſtum, Amen, Amen. Scriptum in Halsniſs die Mercurii poſt Samaritanum,

Anno M. D.

LIII.

PETRUS CAPITANEUS.

EPITA-

EPITAPHIUM.

In ſacello Rochii Hafniæ in Templo D. Virginis.

NAtalium ſplendore virtute & doctrina ornatisſimi Viri Domini PETRI CAPITANEI Zelandi Mittelburgenſis Medicinæ Doctoris eximii & Archiatri in Dania, Numerus Anni Menſis diei & horæ obitus:

OCCVbVIt fatIs CapItaneVs aLta MICaret
IanI ſeXta VbI LVX horaqVe nona foret.
Non diſpar Medica Capitaneus arte Galeno
Petrus in hoc tumulo poſt ſua fata cubat.
Qvi qvantus fuerit ſcit Lovanienſe Lycæum,
Et ſchola cui Paridis nomen ineſſe ferunt:

Extulit hunc plenis formoſa Valentia
baccis
Doctorisq; illum juſſit habere decus:
Urbs qvoq; Vernovio ſtupuit vicina
docentem,
Nec non æqvoreis Hafnia cincta
vadis:
Sæpius hic triſti morborum turbine
regem,
Exanimem, vitæ reddidit ille ſuæ:
Octo decemq; ferè cum Conjuge vixit in annos,
Viderit ut ſimilem vix pietate ſibi:
Ter tribus at tandem luſtris ſine labe
peractis
Siſtitur æthereo morte necante
polo.

ANTONIUS BALDERSLEBEN.
Sang. C. F.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS III.

D. Chriſtiani Torchilli Morſiani CONSILIUM.

de Peſtilentiæ cauſis, præſervatione & curatione.

Viro Nobili & Generoſo,

JOHANNI FRISIO, Regiæ Majeſt. Cancellario, CHRISTIANUS TORCHILLI Morſianus precatur felicitatem & ſalutem.

QVandoqvidem, Domine Cancellarie, æternus DEUS pro voluntate ſua jam nos inviſit hac ſua pœna, ita ut peſtilentia graſſetur & invaluerit multis in locis hujus Provinciæ, qva nemo tutum ſe promittere poteſt, ubicunq; ſit & qvocunq; vadat, & hic morbus acutus eſt morbus & periculoſus, qvi non facilè vinci ſe patitur ullo remedio, qvando hominis cor penitus invaſit, neq; poſſunt illi qvi verſati ſunt in re medica, ſtatim præſentes eſſe, vel multis conſilia dare, qvi variis in locis uno tempore infecti ſunt: Idcircò, qvia DEUS & Magiſtratus meus, me vocavit ad docendi & curandi munus in regno hoc meo patrio, ut & ſcri-

Digitized by Google

ptis & conſiliis prodeſſem & conſolarer illos, qvibus ipſe præſens eſſe non poſſem. Hinc paucis retro diebus, qvibus pro temporis occaſione liber fui ab aliis negociis, qvæ mihi ex officio incumbunt in Academia, conſcripſi hunc libellum, in qvo breviter & ſimpliciter complexus ſum lingva vernacula pro illis qvi latinam lingvam non intelligunt, medendi methodum, ſecundum qvam qvicunq; ſe compoſuerit, ille DEI auxilio extra periculum erit, qvantum humana ratio poteſt: Igitur mitto Veſtræ dilectioni eundem libellum, non ut munus vel donum ſingulare, nec qvod valdè vobis neceſſarius ſit, qvi latina ſcitis; ſed ut aliqvo modo teſtificari poſſim ſubjectionem meam & debitam gratitudinem ſemper vobis eſſe paratam, ſi qvidem penes me eſſet, vobis aliqva parte gratificari pro variis beneficiis à veſtra ſingulari & benefica bonitate mihi exhibitis, & inprimis poſtqvam jam reverſus eſſem ab exteris regionibus, in qvibus 24. ultra annos vixi viſitatis Academiis variis, ut ulterius prodeſſem patriæ tam in arte medendi qvam aliis artibus liberalibus, qvæ parum hactenus fuerunt cognitæ in hoc Regno, & obnixè rogo, mi Domine Cancellarie, ut non ſolum intuearis

hunc

Digitized by Google

hunc libellum, qvi ex ſe valdè eſt exilis, ut tali Heroi mittatur, ſed & conſideres hanc Catonis ſententiam, Exiguum munus &c. ſi perſpexero, libellum hunc placiturum veſtræ dilectioni, cum Deo aliqvando conſtitui conſcribere alium, qvi omnibus prodeſſe poſſit, qvi medicina indigent, nec latina intelligunt, vel eos accedere valent, qvi in arte medica verſati ſunt. Vale, ex villa Univerſitatis Knarderop, decimo Calend. Octobr. Anno Domini 1546.

De Peſtilentia Cauſa vel origine.

Qvanqvam illi qvi ſunt ſapientes & verſati in rebus naturalibus, qværunt & proximè inveniunt omnium morborum cauſas; attamen eſt peſtilentia adeò mirus & venenatus morbus, ut nemo poſſit certò ſcire, aut ſemper indicare, unde veniat. Multi alii morbi oriuntur à magnis ardoribus, magno frigore, magnis humiditatibus, vel magnis ſiccitatibus: qvod dici non poteſt de peſtilentia. Nam interdum invadit hyeme, interdum æſtate, vere vel autumno. Sed qvando immineat, id ſoli Deo notum, qvi omnia creavit & gubernat. Nam ille multos modos habet, qvibus caſtigat filios ſuos immorige-

rigeros, qvapropter qvando peſtis ex ira DEI & pœna provenit, non eſt aliud præſtantius remedium, qvam confugere ad DEUM ejusq; gratiam implorare, & auxilium & ſolatium, ut ille clementer iram ſuam dignetur à nobis avertere.

Attamen ſæpe naturales cauſæ adſunt, cur peſtilentia magis uno loco & tempore graſſetur, qvam aliis: interdum ex cœlo, & interdum ex illis rebus, qvæ compoſitæ ſunt ex elementis: ex qva cauſa aër vel ventus intoxicatur, ut qvando homo reſpirat, attrahat venenatum aërem in cor, & inde inficitur. Ita ſcribit Hippocrates: Qvando multi & varii homines uno tempore incidunt in ſimiles morbos, tum aër cauſa eſt eorundem morborum, ſed qvando varii morbi invadunt eodem tempore, in cauſa eſt hominum cibus, potus & alia. Idcircò valdè utile eſt, ſcire peſtilentiæ cauſas naturales, & hic annotabo aliqva ſigna paucis verbis, ex qvibus ſcire poſſumus & divinare, aërem poſſe infici, & exinde ſuccedere peſtilentiam.

Signa qvædam, ex qvibus dijudicatur peſtilentiam ſuccedere.

Primum eſt, qvando qvatuor anni tempora,

-pora Hyems, Ver, Æſtas, & Autumnus, non ita ſe habent, ſicut debent, in frigore, calore, humido & ſicco.

Secundum eſt, qvando menſe Octobri apparent multæ ſtellæ cadentes & ignis in aëre hærens, ſeqviturq; deinde æſtas frigida.

Tertium eſt, qvando ventus meridionalis & occidentalis diu in Autumno flant.

Qvartum eſt, qvando in Autumno multi dies ſunt nebuloſi, & videtur pluvia imminere, nec tamen pluit.

Qvintum eſt, qvando meridionalis ventus flat, frigidus aër eſt, nec tamen pluit.

Sextum eſt, qvando nocte frigus eſt ingens, & ſtatim inſeqvente die magnus æſtus ſuccedit.

Septimum eſt, qvando magnæ & variæ mutationes ſunt aëris uno die.

Octavum eſt, ſi ſol clare ſplendeat uno die, & ſeqventi die ſit nebuloſus, & ſi id ſæpe contingat.

Nonum, qvando poſt pluvias ſtatim ſuccedit calidus Phœbus, & multæ ranulæ inveniuntur in dorſo griſeæ, in ventre variis coloribus conſpicuæ.

Decimum, qvando generantur multæ

 muſcæ,

Digitized by Google

muſcæ, culices, formicæ, & alia ſimilia inſecta, qvæ à putridis rebus oriuntur.

Undecimum, qvando annonæ magna eſt caritas, ubi magnus hominum confluxus, variasq; res ingerunt, illorum naturæ minus convenientes.

Item, multæ aliæ cauſæ inveniuntur, ut clades magnæ & bellum, magna ſuum ſtrages, aliorumq;, braſſica putrida, putridum linum & cannabis, & aliæ res qvæ ex ſe fœtidum odorem emittunt.

Item, ſiqvidem omnes res ex Elementis compoſitæ ſubſtantiam ſuam & naturam habent ex cœleſti motu, ſole, luna, aliisq; ſtellis, veroſimile eſt, ipſas illas cœleſtes res ſæpe cauſas eſſe peſtilentiæ, idcircò ſcribunt cœleſtium motuum periti, qvod Solis & Lunæ Ecclipſis ſæpe ſit peſtis cauſa.

Item, qvando Saturnus & Mars conveniunt in Virgine vel Gemellis.

Sunt præterea aliæ res, quæ longum foret hic referre, idcircò qvando plura ſigna ex his apparent, timendum eſt, ut cito peſtis ingruat, & præcavendum ne peſtis facilè qvem comprehendat, & ſi id fiat, inficiaturq;, facilè inveniet remedium.

Videmus qvidem multa in ignem conjecta,

Digitized by Google

jecta, ſtatim accendi, alia tardè, anteqvam accendantur, & alia nunqvam accenduntur etiam diutisſimè in igne detenta. Ita & cum hominibus comparatum eſt, qvia varia temperamenta habent, & aliqvi abundant humiditatibus, & alii valdè ſicci ſunt, aliqvi frigidi, aliqvi calidi ſunt. Interdum qvoq; venenum in aëre hæret & frigore, & interdum ex calore, nonnunqvam ex humido, & interdum ex ſicco.

Idcircò advertendum eſt, cujuscunq; hominis temperies convenit cum veneno in aëre hærente, ille citius illa peſtilentia inficitur, & qvi calido ſunt temperamento ſcatentq; humoribus præter naturalibus, in magno verſantur periculo. Sed frigidi & ſicci, rarò inficiuntur, ſed ſi contingat ex cauſa vehementi ut inficiantur, rarò evadunt.

Qvomodo ſcire posſit homo ſe eſſe infectum? id ex variis ſignis cognoſcet.

Primum eſt, ſi videat ſe in inguine eſſe tumidum, in collo, vel ſub alis, vel prope aures, vel in alio aliqvo loco.

Secundum eſt, ſi videatur ubiq; eſſe punctionis qvidam ſenſus in corpore.

Tertium eſt, ſi advertat magnum in interiori-

rioribus æſtum, & habeat qvoq; ſiccitatem & ſitim. Vidi tamen multos, qvi cum frigore magno peſtilentia ſunt correpti.

Qvartum eſt, qvando ſudor videtur velle prodire, nec tamen poteſt.

Qvintum eſt, ſi ſubitò difficilis reſpiratio accedat.

Sextum eſt, ſi obſervetur dolor capitis, nam raro incipit peſtilentia ſine dolore capitis.

Septimum eſt, magnum ſomni deſiderium, ſed qvidam adeò ingentem æſtum & venenum intus condunt, ut dormire non posſint.

Octavum eſt, qvando oculi immutantur & colores mutant.

Nonum eſt, inſolitus ſapor in ore, amarus vel acidus.

Decimum eſt, ſi lasſitudo obveniat & inhabilitas ad motum. Hæc ſunt univerſaliora ſigna, ex qvibus dignoſcere posſumus, an homo ſit infectus, qvamvis & inveniantur alia ſigna.

Alia ſigna periculoſiora, qvando adſunt.

Pri-

Digitized by Google

Primum eſt, ſi ſæpe præter conſvetudinem vomamus.

Secundum eſt, ſi varii in facie colores oriantur, imprimis cœrulei vel nigri.

Tertium eſt, ſi ſæpe ſudemus ſudorem frigidum.

Qvartum eſt, ſi halitus valdè fœtet, aliaq; qvæ ſecundum naturam excernuntur.

Qvintum eſt, ſi ſpaſmus ſæpe comprehendat.

Qvomodo præparare nos debeamus adverſus peſtilentiam, apparentibus ſignis prædictis.

Primum & maximum remedium eſt, intimè ſe Deo commendare, & cum illo primum in gratiam redire, deinde cum proximo, ut paratus ſit ſeqvi qvando vocatur.

Secundum eſt, citò longè ſecedere ex aëre venenato, & tardè redire.

Tertium eſt, ut fugiatur omnis abundantia in cibo & potu, & vitetur libido illicita, & alia qvæ qvotidie hominibus accidunt.

Qvartum eſt, ut qvicunq; ſe gravatum ſenſerit ſive plethora ſive cacochymia, ſe curet expurgari ſive venæ ſectione, ſive medici-

dicinis, ſecundum præſcriptum virorum in arte medendi peritorum.

Qvintum eſt, cui negatum eſt aliò abire, propter varia negotia, illi iſta remedia communicabo, qvæ ſeqvuntur.

Qvomodo vivendum, graſſante peſtilentia.

Libenter commorandum eſt in cubiculo à terra elevato, cum feneſtris ad qvatuor mundi angulos, qvæ aperiri poſſunt ſudo cœlo, & claudi nubilo, & valde confert ignem ſemper in cubiculo alere, & ſuffu migiis uti hyeme quidem benè odoratis maximè calidis, nuce moſchata, cariophyllis, maſtiche, myrrha, ſtorace, ladano, majorana, ſpica, origano, baccis lauri, juniperi, &c. Æſtate frigidis, ut pomis, pyris, cydoneis, roſis, violis, & illorum Aqvis.

De Cibo & Potu & aliis rebus, qvomodo iis utendum, tempore peſtilentiæ.

De Cibo. Fugiendus eſt ille qvi valdè durus eſt, valdè ſalſus, mucidus, phlegmaticus, acidus, valdè pinguis, & comedendus eſt ille, qvi optimus eſt, & facilè concoqvitur, macilentus, cui parum humoris ineſt.

Æſta-

Æſtate vitandus eſt eſus ciborum & herbarum, qvæ calidæ ſunt, & acetum cibis admiſcendum, aliaq́; qvæ acida ſunt, nec multa fercula proponenda.

Hyeme magis aſſa conducunt, qvam cibi elixi, æſtate contra.

De Potu. Diligenter cavendum erit à potu ſuperfluo, & æſtate bibendum illud qvod refrigerat, hyeme qvod calefacit.

Sed infectus, fugiat vinum, inprimis ſpiritum Vini: nam venenum ad cor pertrahit; non tamen prohibemus asſumere medicamenta in vino, ſed ſolum vinum eſt venenum pro homine infecto.

De ſomno.

Æſtate non dormiendum in mollibus culcitris: nam multæ plumæ multum calorem emittunt. Item, noxium eſt de die dormire, ſed qvi ſomnum meridianum evitare non poteſt, poteſt erectus brevem ſomnum capere, nocent & vigiliæ nimiæ. Item, ſi accidat, ut ſudemus in ſomno vel nocte, bene detergendus eſt ſudor linteo mundo.

De Balneo.

Periculoſum eſt balneare, graſſante peſte,

Digitized by Google

ſte, ſed qvi multum asſvetus eſt, balneum exiguo tempore ingrediatur, nec in magno calore, & qvando ingreditur balneum, bonum eſt aſſumere Drachmam unam Theriacæ, cum vini cochleari hyeme, vel aqvæ roſaceæ æſtate, nec unqvam pleno ſtomacho balneum conducit, ſed qvando cibus propemodum eſt concoctus.

Præſervativa, qvibus præſervandum eſt corpus contra venenum peſtilentiale.

Primum, cavendus eſt odor teter, ſemper & imprimis mane, ne jejunus qvis egrediatur.

Item, ne egrediamur anteqvam ſol altior ſit, ſi ita conditio tulerit, & domi manendum nubilo aëre.

Item, qvi ſui juris non eſt, ſed cogitur foras prodire propter commiſſa negotia, ille anteqvam egrediatur, in manu ſumat aliqvid aceti benè olentis, & exinde bibat 4. vel 5. guttulas, & reliqvo inungat faciem & carpum, & foramina narium.

Item, lavet rutam & ſalviam in aqva pura, & aſpergat deinde parum ſalis & aceti roſacei vel alterius aceti, & 3. vel 4. nucleos nucum benè mundatos, hæc aſſumat anteqvam egrediatur domo.

Item,

Digitized by Google

Item, Recipe Abſinthium & Rutam, & coqve in aceto forti clauſo vaſe, horæ ſpatio, deinde percola, & exinde bibe 4 vel 5. hauſtus, & odoramentum tibi ſit, & unge te ex illo, ſicut ante dictum.

Item, Recipe allii corculum, mane cum pauco vino, ſi infectus non es.

Item, Recipe 5. vel 6. nucleos nucis, ficum, & rutam cum pauco ſale.

Item, Recipe bis in ſeptimana mediam drachmam bonæ Theriacæ vel mithridatii æſtate cum aqvæ roſaceæ cochleari uno, hyeme cum vino.

Item, qvando in publicum prodire vis, ore tenendum eſt fruſtulum Zedoariæ, Angelicæ, Gentianæ, Bacc. Laur. vel Juniperi.

Item, qvicunq; aſſumpſerit 7. vel 8. pilulas peſtilentiales ſingulis diebus, vel Drachmam unam ſemel in ſeptimana, vix à peſte comprehendetur, ſi ita ſe geſſerit ut præſcriptum fuit.

Item, Recipe Boli Armeni præparati ſicut ſeqvitur, drachmam unam vini clari, boni & benè odorati, Unciam unam vel duas aqvæ Roſaceæ, invicem commiſſæ, & illi exhibe bibendum, qvi infectus eſt, ſi revomuerit, eluat os, & ſecunda vice repetat ſicut

præſcriptum eſt, & tertia vice, & ſi revomuerit tertia vice, da aliqvid ex prioribus medicamentis, vel ſeqventibus. Hoc ſæpius utor, & plurimi eo juvati ſunt.

Bolum Armenum & terram ſigillatam ſolemus ita præparare, redige in pulverem, & elue bene vino malvatico vel alio vino generoſo, aqva Roſacea, Bugloſſæ, acetoſæ, vel in aqva Abſinthites, vel in qvacunq; ex his qvæ haberi poteſt, deinde benè exſiccetur, & 3. vel 4. repete modum prædictum, deinde contere & ſerva, & qvi illo ſolo uti volet, ſi calidi ſit temperamenti, ſumat drachmam unam illius cum aceto, aqva roſarum vel acetoſæ & parum vini, ſi frigidus ſit, cum vino ſolo.

Item, ſciendum eſt, qvod nihil ſit præſtantius in peſte, qvam Bolus Armenus & terra ſigillata, ſi optima haberi poſſet, ſed Turca poſſidet jam iſtas regiones, ubi optima reperitur, unde raro optimam accipimus, niſi veniat à fide digno viro Venetias, qvi vel ipſe inde attulit, vel curavit inde afferri ſine fraude.

Hæc remedia ſcripſi pro vulgo, qvæ ab omnibus facilè haberi poſſunt, ſed ſeqvuntur hic alia pro iis qvi nolunt prioribus acqvieſcere

Digitized by Google

ſcere qvæ qvilibet parvo precio facilè ſibi comparare poteſt, & conſcribam illa medicamenta qvæ adhibere poſſumus, & ad præſervationem, ne inficiamur, & ad ejiciendum venenum, ſi poſſibile, qvando inficimur.

Primum, qvo Maximilianus Imperator ſolebat uti: Recipe ovum recens, foramen fac exiguum in parte ſuprema, ut effluat albumen, deinde imple ovum Croco, & claude, aſſeturq; lentè, donec teſta nigreſcat. Deinde contunde in mortario, cum tanto ſinapis, qvantum pondus eſt ovi.

Deinde ſume Diptamni, Tormentillæ, ana Drachmas duas, nucis vomicæ Drachm. unam, ſeorſum ſingula contunde, & deinde miſce, mox ſume radicem Angelicam, Pimpinellam, Zedoariam, Camphoram, Theriacam optimam, ana æqvas partes, ita ut juncta tum ponderent, qvantum illud prædictum, & invicem coqvantur per duas horas, & ponantur deinde in vas purum loco frigido, ita enim conſervari poteſt per longum tempus. Ex hoc ſumat homo ſanus ad qvantitatem nucis avellanæ cum vino, ſecurus erit iſto die à peſte, ſed qvi infectus eſt, ſumat inde Drachmam unam cum vino, aqva

Digitized by Google

Roſarum, vel alia aqva ex ſupradictis, mixta aceto.

Item, ſume Aloës Unciam unam, Myrræ, Croci an. Drachm.1. Agarici præparati, Reubarbari electi an. Dr.2. Sandal. rub. & flav. roſar. rub. corall. rub. an. Dr.1. Diptamni, gentianæ, Zedoariæ, tormentillæ, an. Drach. 1. Ex his fiant pilulæ cum ſyrupo acetoſitatis citri, ejus magnitudinis, ut tres pendant Drachmam unam: ex his pilulis una ſumenda eſt veſperi cubitum ituris, ad præſervationem peſtis, & infectus tres ex illis aſſumat qvam citiſſimè.

Item, ſume Aloës pulverizat. Drachmas tres, Myrrhæ, Croci & Maſtichis ana Drachmam unam, fiant pilulæ parvæ cum ſyrupo acetoſitatis citri vel ex limonibus, vel cum vino. Ex his deglutiendæ 7 vel 8. qvotidie, graſſante peſtilentia, & infecti Drachmam integram qvamprimum fieri poteſt, proderit enim, nam aloës extrahit omnem humorem præter naturalem, crocus roborat cor, & ſangvinem bonum efficit, myrrha caput purgat, & totum corpus conſervat, ne qvid in illo putreſcat, maſtix purgat ſtomachum ab omni phlegmate.

Item, ſume Boli Armeni Drachmas duas, terræ ſigillatæ, corall. rubr. Drachmam unam

unam, cortic. citri, Zedoariæ, Croci Drach. ſemis, Sacchari Roſati ex roſis rubris Uncias ſex, ſyrupi acetoſitatis citri Uncias decem, ex his bene tritis & commiſtis, ſumenda una Drachma mane, ad præſervationem, cum vino vel aqva Roſarum, vel per ſe, & infectus ſtatim exinde ſumat Drachmam unam, & optimæ Theriacæ Drachmam unam, miſceatq; cum aqva ſcabioſæ, acetoſæ vel roſæ, & ſtatim in lecto ſe componat ad ſudorem.

Item ſciendum, non eſſe ex uſu ſemper uno eodemq, medicamento uti. Nam qvando Natura illi aſſveſcit, eo utitur natura ut cibo, non ut medicamento, idcirco interdum uno utendum, interdum altero.

Pro illis qvi infecti ſunt.

Qvicunq; ex ſignis præſcriptis, ſenſerit ſe infectum, primo omnium à DEO cœleſti petat auxilium & ſolatium, deinde qvamprimum qværat remedia, anteqvam peſtilentiale venenum cor petat.

Nam qvando cor veneno inficitur, fruſtranea erit medentium ars, ſed qvando robuſtior eſt natura, & venenum imbecillius, natura malum à corde expellit, ad aliam partem, ubi naſcitur tumor vel bubo, qvi qvan-

do rumpitur, expellitur venenum, & multi ſani evadunt, & infecti, qvi nullibi intumeſcunt, in majori periculo verſantur.

Idcirco ille qvi infectus eſt, qvam citiſſimè aſſumat aliqvod medicamentum, utile contra peſtem, & venam ſibi curet aperiri, qvamprimum fieri poteſt, ſi aptus ſit ad id, hoc eſt optimum remedium, citò venam incidere, ſicut diximus.

Qvæ vena incidenda?

Si collum intumuit, vel loca ſuperiora, incidenda eſt vena cephalica ſupra brachii flexuram, vel inter pollicem & indicem, digitum latum infra.

Item, tumor eſt ſub alis, incide medianam, vel ramum ejus inter indicem & longum digitum.

Item, tumor eſt infra in latere, vel circa illud, incidenda eſt Hepatica, vel Baſilica, vel ramus eorundem prope digitum minimum.

Item, qvicunq; ſuſpicatur ſe infectum eſſe peſtilentia, nec tamen ulla ſigna certa habet, incidat medianam, & ſi ver fuerit, vel æſtas, dextri lateris, ſi hyems, ſiniſtri lateris.

Item, obſervandum eſt in venæ ſectione,

Digitized by Google

ne, ut venenatum ſangvinem attrahamus à corde, non ad cor. Idcircò qvi tumidus eſt in ingvine, & venam ſecat in brachio, incurrit in magnum periculum.

Item, qvicunq; tumidus eſt ingvine, vel infra ingven, incidi curet illam venam, qvam ſaphenam vocant.

Pro illis qvi non poſſunt vel audent ſecare ſibi venam.

Qvi non vult ſecari venam, apponat ſibi cucurbitulam, & ſi cephalica vena incidenda fuiſſet, affigenda cucurbita inter ſcapulas, ſi in pedibus vena debuiſſet aperiri, debent cucurbitulæ lumbis apponi.

Item, qvi infectus eſt, dormire non debet, anteqvam venam ſibi aperiri curet, ſi fieri ex uſu ſit, neq; dormire poſt ſectam venam ante ſex horas, & ſtatim deinde aſſumat aliqvid ex medicamentis præſcriptis, niſi antea illa ſumpſerit.

Item, qvanqvam infecti multi cum vita evadant, ſine medicamentorum uſu, caſu id evenit robuſta Naturâ, illiq; tentant DEUM, qvi contra hujusmodi morbos aliosq; poſſent invenire remedia, & negligunt præ contemptu qværere remedia in tempore.

Ad expellendum venenum peſtilentiale per ſudorem.

Recipe Zinziberis Unciam unam, ſacchari candi Unciam unam & ſemis, Camphoræ Unciam ſemis, contunde ſingula ſeorſim, deinde conjunctim, ut in pulverem tenuiſſimum redigantur, & ſerva benè in vitro. Et qvando infectus eſt homo, aſſumat Dracmam unam iſtius pulveris cum vino mixto cum aqva acetoſæ vel roſarum, & ſi ingens æſtus non adſit, aſſumat id cum pauco Theriacæ vel mithridatii, lectoq; ſe committat ut ſudet 8. vel 9. horis, nec interea dormiat.

Item, pueris danda eſt Drachma ſemis, ſemperq; ſudor extergendus linteis puris, fugiendusq; eſt eo die & aliqvot ſeqventibus aer.

Item. Drachma ſemis granorum Paradiſi etiam pro ſudore utilis eſt.

Item, ſi ſudor per hæc non erumpat, calidi lateres pedibus apponendi: Qvando ex præſcripto ſudor proceſſit, lecto ſe levet æger, fugiatq; aërem, & poſt duas vel tres horas parum cibi comedat, & à potu abſtineat qvantum poteſt.

Qvo-

Digitized by Google

Qvomodo infectus ſe gerere debeat in cibo & potu aliisq; rebus?

Cibus ægri ſit lac amygdalarum, puls vel pulmentum ex hordeo trito, vel farina triticea, cocta hæc cum aceti parum in juſculo pullorum etiam proſunt, nec ſemper uno genere ciborum utendum, ſed variandus cibus.

Qvi carnibus delectatur, acetum adjiciat, vel ſuccum acetoſæ, cum illis coctum donec caro ab oſſibus abſcedat, deinde ſuccus exprimendus ex carne illa, & propinandus ægro.

Item, qvamprimum æger perceperit calorem circa cor vel in pectore, ſumat linteum mundum, tinctumq; in aqva roſacea, in qva injectus ſit pulvis ex ligno ſantalino rubro, imponat pectori, vel bibat hauſtum ſyrupi violarum, vel ſyrupi de Endivia mixti cum aqva acetoſæ, borraginis vel endiviæ; idq; ſæpe repetendum.

Item, ſume aqvæ acetoſæ, libram ſemis, Endiviæ, Portulacæ & Roſarum ana Uncias tres, aceti Uncias tres, vel ſucci pomi granati, ſi in promptu ſit, Uncias tres, ſacchari libram unam, Camphoræ Drachmas duas, fiat ex his potus, ex qvo æger freqventer bibat,

refrigerat enim & cor roborat, & expellit venenum, ſed prius aſſumat aliqvod medicamentum.

Item, primo die, qvo inficimur, abſtinendum à ſomno per 24 horas, deinde liceat naturali ſomno indulgere.

Ægri potus ſit aqva hordeacea, mixta cum aqva acetoſæ vel aceto, & qvando illa aqva coquitur, magnum fruſtum auri ſignati, (ſi qvis tale habet,) ſæpe ignitum extingvendum eſt in aqva.

Item, ſi æger frigus ſenſerit, permiſcendū eſt parum vini huic aqvæ hordeaceæ.

Item, fricandi ſunt pedes ægri ſub planta cum ſale & aceto ter vel qvater qvotidiè, & ſæpe extergendus eſt ſudor ex vola manuum ægri linteo mundo, & interdum univerſum ejus corpus exſiccandum eſt hujusmodi linteis calidis.

Item, tribus vel qvatuor diebus continuis danda ipſi ſunt præſcripta medicamenta, interdum ex his, interdum ex aliis.

De Tumoribus vel bubonibus peſtilentialibus.

Qvando percipimus tumores, ſtatim aliqvid emplaſtri imponendum, ut matureſcat

& ex-

Digitized by Google

& expellatur, nec expectandum donec ex ſe mollefcat, & aperiatur, ſed ſtatim ſeqventia remedia adhibenda.

Recipe vitellum ovi, & cum ſale bene contere, & impone ſic, ſingulisq; horis renova. Item, contunde radicem lilii albi. Item, ſume ficum & uvas paſſas bonas, ana Unciam ſemis, contere, & admiſce deinde ſalis nitri contuſi Drachmam ſemis, fiat exinde emplaſtrum cum chamomelino oleo, & calidè imponatur. Item, contunde folia ſambuci cum ſinapi. Item, folium braſſicæ calefactum, ſæpiusq; impoſitum, aperit etiam. Item, Ruta contuſa & impoſita. Item, impone fermentum cum oleo. Item, fac pultem ex farina triticea & melle, & porrum aſſum tritum miſce, & impone, qvod ſæpe expertus ſum.

Item, fiat emplaſtrum ex fermento, ſmegmate nigro, ſinapi, calce viva, ficubus, calcantho, pulvere radicis liliorum cœruleorum, vel nucleis antiqvis nucis, invicem contuſis.

Si prædicta ſufficere non poſſunt ad extrahendum, lancetta bubo eſt aperiendus, vel ferro ignito, deinde apponenda cucurbitula ut extrahatur venenum, & qvando cucurbita de-

ta detrahitur, ulcus lavandum eſt aqva ſalſa tepida, & id ſæpe repete.

Item, ſume gallum vel gallinam, inprimis nigram, avulſisq; plumis omnibus circa caudam, podicem nudum impone ulceri, & roſtrum manu interdum conſtringe, ne inde reſpiret, ſed deorſum, ita per mediam horam vel integram ibi contenta, attrahit ad ſe venenum & moritur, deinde eodem modo imponendus & alius Gallus, nec deſiſtendum donec 24. fuerint impoſiti, ſi tot opus ſit, prioresq; omnes moriantur, & ſi nonnulli ex illis moriantur, bonum eſt ſignum, ſi non moriantur, magnum periculum imminet.

Item, valdè juvat hirudines ulceri apponere, ut extrahant ex ulcere venenum.

Item, qvi infectus eſt, iterumq; convaleſcit, abſtineat ab hominum conſortio donec probe ulcus fuerit conſolidatum, ne alios inficiat.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIERNI MORSIANI
Med. Doct. & Profeſſ. in Acad. Hafn.
JUDICIUM

de opere Medico vernacula lingva conſcripto ab Henrico Smidio.

EX Regiæ Maj. chariſſimi & clementiſſimi Domini ſummo mandato vidi & perlegi librum qvem honeſtus vir *Henricus Smid*, civis Malmogienſis, extraxit ex libris Medicis Virorum doctiſſimorum & ſapientiſſimorum. Hujusmodi libri qvacunq; dialecto ſcribantur, inutiles ſunt in illis locis, ubi multi adſunt viri in Medicina docti, & multi Pharmacopæi, ſicut alibi terrarum, inprimis in Gallia & Italia, ubi ſingula oppida ſuos alunt Doctores & Apothecarios. Neq; tam vilis eſt ars Medica, ut exiguo libello includatur aut addiſcatur, neq; ſpacio trium vel qvatuor annorum perfecta ejus cognitio hauriri poteſt.

Nam ſicut Deus creavit & ordinavit omnia alia bona per liberales diſciplinas ad hominum commodum, & utilitatem; ita etiam creavit & ordinavit medicam artem, & providit de illis, qvi medicinam docerent & exercerent apud omnes indigentes teſte Syraci-

de

de cap. 38. Et qvemadmodum Paulus ſcribit, qvod non multi eligantur potentes & liberi ad ſanctum miniſterium; ita nec eliguntur multi divites aut potentes, ſed pauperes & vilioris conditionis homines ad artem medicam, ut omnibus hoc modo qvoad corpus ſubveniatur, ſicut omnibus Evangelii prædicatione qvoad animam.

Sicut revera fateri cogor, qvod DEUS omnipotens pro æterna providentia & bonitate ſua elegit me, & educari curavit, primum in patriis ſcholis per parentum chariſſimorum & beatorum ſedulitatem in infantiâ & prima juventute, deinde promovit me in exteris regionibus alieno auxilio ultro citroq; per Germaniæ, Galliæ & Italiæ meliora Gymnaſia & Academias ultra qvatuor & viginti annos, ſicut Nobili Viro Petro Oxe, qvi per pluſculos annos in exteris mecum vixit, aliisq; pluribus tam Nobilibus qvam aliis, in reliqvis annis, notum eſt.

Nam opus eſt tempore ſufficienti, peregrinatione, ſtudiis, imò laboribus & moleſtiis in re Medica addiſcenda, ut continua Virorum doctorum conſvetudine utamur, ut diſcamus noſcere herbas & alia medicamenta, qvæ DEUS ex terra producit ad uſus mortali-

tali-

Digitized by Google

talium, ut multorum cadaverum humanorum accuratas apertiones inſpiciamus, & inde melius diſcamus cognoſcere internam hominis conſtitutionem, & qvæ remedia ſint neceſſaria, ad qvamcunq; partem in humano corpore qvæ laborare deprehenditur.

Ulterins & hoc dicam junioribus medicis & ſtudioſis, qvi etiam à Deo electi ſunt ad medicinam diſcendam & exercendam, pro exemplo & aliorum imitatione, qvod poſtrema Univerſitas, ubi per Dei gratiam ſtudia mea continuavi, nomine Monspelium, in Gallia ducentis leucis citra Lutetiam ſitum, ſit excellentiſſima Academiarum in Re Medica totius Chriſtiani orbis. Nemini circumforaneo ibi permiſſum eſt cum pera venditare illam artem, qvam nunqvam didicit. Imò tanta cura ibi medicina & ars medica habetur, ut nemo auſit ulli aliqvam medicinam internam exhibere; niſi tantum in arte & ſapientia medendi profecerit, ut Doctoris titulum impetraverit, & approbatus ſit ab excellentiſſimis & doctiſſimis Medicis, qvorum ibi magnus numerus eſt. Qvisqvis verò alius id tentare auſus fuerit, is apprehenſus Aſino imponitur, & urbe pellitur ovis putridis & aliis ſordibus, ſit venia dicto,

qvas

Digitized by Google

qvas in ipſum conjiciunt donec per urbem magno dedecore deductus ſit, alium locum petiturus. Tanta apud illos viget vigilantia, ſicut pluribus in hoc Regno conſtat, qvi ſtudiorum cauſa ibi ſubſtiterunt.

Igitur dico, hujusmodi libellos vulgari idiomate conſcribere in illis locis opus non eſt, qvæ tantis in Medicina Viris divinitus gaudent. Sed in his Regnis, ubi tanta Virorum in medicina excellentium copia non ſuppetit, nec Pharmacopoliorum, poteſt eſſe iſte liber vulgo utilis. Nam multi & magni morbi in his regionibus graſſantur, qvi medicam opem reqvirunt, & qvotannis multi moriuntur inopia hac & negligentia remediorum, qvi aliàs diutius ſuperviverent ſi principiis morborum occurreretur.

Multa remedia in libro iſto reperiuntur contra varios morbos, modò idonea poſſent haberi. Et ſiqvidem iſta eſt conditio horum regnorum, ut multis alendis medicis non ſufficiant, ſive propter neceſſaria ſalaria, ſive propter contemptum artis Medicæ, qvi inſignis hic eſt præ aliis regnis, ideò operæ pretium eſt hujusmodi libellos vulgari idiomate danico edere, pro commodo plurimorum, ſi rectè iis uti velint. Imò millenis modis

Digitized by Google

dis præſtat evolvere & ſeqvi ejusmodi libros à Viris doctis reviſos, qvam licentiam concedere circumforaneis huc veniundi, qvod ſæpe tamen accidit magno vulgi damno & incommodo.

Venditant illa, ut antea dictum, qvæ nunqvam didicerunt, & ideò aurum & argentum lucrantur qvia mortales perdunt & plurimos occidunt, vel norunt varios morbos ad tempus ſedare, multosq; ſimul proſternunt, donec precium ſit ſolutum, deinde abeunt, & in pejore ſtatu relinqvunt ægros qvam invenerunt. Et ſi verum dicendum eſt, promeritum eſt hoc præmium illorum, qvi parcunt ſumptibus in conſulendis medicis expertis, qvanqvam divites ſint, & æqvè illis Medici probati inſervirent,qvam in aliis regionibus,ubi unusqvisq; lautioris fortunæ ſuum Medicum habet, cui qvotannis ſalarium perſolvit ut præſto ſit qvando ejus opera vel ipſe vel familia opus habet, ſicut & omnia monaſteria Nobilia ditiora ſuos alunt Doctores, qvos in arte Medica conſulunt.

Lector Chriſtiane, ne graveris legere caput XXXVIII. Syracides, & alia complura loca ſcripturæ ſacræ, de DEI iſto dono, qvod medicina vocatur, unde ſcire poſſis, qvan-

Digitized by Google

tam DEI offenſam incurrant & qvanto damno mulctent mortales, qvicunq; ſpernunt & contemnunt naſoq; ſuſpendunt adunco artem Medicam, ejusq; legitimum uſum. Vale. Scriptum Hafniæ die XI. Novembr. ipſo die S. Martini, ANNO 1556.

Edidit D. MORSIANUS.

1. Fragmenta varia Medicinæ Theoricæ.
2. Faſciculum Thematum publicè propoſitorum.
3. Qverelam privatæ infelicitatis.
4. Scholia in elementa Geometrica Doct. Johannis Vogelin. Hafniæ prælecta 1550.
5. De cauſis & cura peſtilentiæ, Hafniæ 1546. 1552. & demum 1619 cum Præfatione D. Joh. Pauli Reſenii.

In Matricula Veteri Academiæ Hafn. vocatur qvoq; Morſianus noſter Juris Utriusq; Baccalaureus, & alibi Vice-Cancellarius Academiæ, qvi cum Palladio & Macchabæo à CHRISTIANO III. Rege Daniæ glorioſiſſimo Academiæ reſtaurandæ deſtinatus eſt Anno Chriſti 1555.

Filios duos habuit Johannem & Fridericum, filias Eliſabetham & Chriſtinam.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS IV.

Vita HADRIANI JUNII ex Athenis Batavis Cl. V. *Jo. Meurſii.*

HADRIANUS JUNIUS in hoc Doctorum Virorum Catalogo merito ſe ſiſtit, ut loco, ita doctrina qvoq; ex toto hoc ordine nulli cedens; qvippe Medicus, Hiſtoricus, & Poëta doctiſſimus, alterum ab Erasmo Hollandiæ lumen dici meretur. Vir, in qvo omnia excellerent, Medicinæ, Hiſtoriæ, antiqvitatis peritia; ingenium, ad Poëticen factum, Lingvas, præter vernaculam, ſeptem tenuit, Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam, Anglicam. Natus Hornæ, Anno cIↄ Iↄ XII. patre conſulari. Adoleſcens, ut nobiliores animæ ſolent, peregrinationem inſtituit in Hiſpaniam, Angliam, Galliam, Germaniam, Italiam; ubi etiam Medicinæ Doctor creatus. Tandem in patriam reverſus, varia uſus fortuna, Harlemi ludum literarium qvibusdam aperuit; inde varia fortuna jactatus, demum Middelburgum in Zelandiam ſe tranſtulit, & mox Arnemudam; ubi, ex gravi lateris ulcere decumbens, vitam cum morte commutavit, Anno Chriſti cIↄ IↄLXXV. ætatis LXIII.

menſis cognominis die XVI. ſub mortis tempus Academiæ (Leidæ) naſcenti inter primos Profeſſores deſtinatus; ſed inter ipſa initia morte abreptus, inchoare munus non potuit.

Omiſit Vir Clariſſimus Daniam, qvam inviſit qvoq; JUNIUS, Regius Medicus factus & in Academia Hafnienſi Medicinam profeſſus eſt ſtipendio ordinario Medici Profeſſoris, ſpatio annuo 1564. anteqvam in patriam ſe reciperet.

EPITAPHIUM JUNII.

HADRIANO JUNIO HORNANO PHILOSOPHO MEDICO ET POETÆ CELEBERRIMO BATAVIÆ HISTORICO FIDELISSIMO CUJUS IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE EXQVISITA ERUDITIO SINGULARIS INDUSTRIA INFINITÆ LECTIONIS PRÆSTANTIA MULTIPLEX LINGVARUM SCIENTIA PARI CONJUNCTA COMITATE DOCTORUM OMNIUM ADMIRATIONEM LAUDEMQVE MERUIT POST VARIA INCOMPARABILIS INGENII MONUMENTA QVIBUS ÆTERNAM SIBI MEMORIAM COMPARAVIT

Digitized by Google

VIT SUB HOC MARMORE CONDITO PATRI OPTIME DE SE MERITO PETRUS JUNIUS MÆSTISS. PIETATIS ERGO P. C. VIXIT ANN. LXIII. OBIIT XVI. SIBI COGNOMINIS MENSIS ANNO SALUTIS CHRISTIANÆ cIↃ IↃ LXXV.

Edita ab eo ſunt.

Caſſii Jatroſophiſtæ Problemata cum latina Interpretatione & Notis.
De Anno & Menſibus Comment.
Faſtoru Liber.
Calendarium.
Animadverſionum libri ſex.
De Coma liber.
Nomenclator.
Emblemata.
Ænigmata.
Anaſtauroſis Chriſti.
Non. Marcellus.
Fulgentius Placiades.
Textoris Epitheta contracta.
Plutarchi Sympoſiaca Latinè.
Euſtathii compendium.
Eunapius cum verſione Latina.

Digitized by Google

Heſychius Mileſius de Claris Philoſophis, cum Verſione Latina, & Notis.
Hiſtoria Bataviæ.
Poëmata ſacra & profana, &c.

LOCULUS V.

Vita D. JOH. PRATENSIS Med. Profeſs. ex Programmate Rectoris Academiæ Hafnienſis.

NUdius qvartus Ornatiſſimum pariter ac Doctiſſimum Virum, D. Doct. JOHANNEM PRATENSEM, Philoſophum ac Medicum in hac Schola celeberrimum, collegam noſtrum chariſſimum, cum in Auditorio majore publicè doceret, ſubitò præterq; expectationem amiſimus vel præmiſimus potius. O fallaces & fluxas hominum ſpes, præcipitem fortunam: miſeram inanemq; vitam. Acceſſerat Vir ille doctiſſimus firmo, ut ſibi videbatur, corpore, hora poſt meridiem tertiâ, conſvetum docendi locum, atq; Auditorium ingreſſus proponere jam qvædam auditoribus cœperat, cum tuſſis vehementior, qvæ aliàs ſemper domi foriſq; ei erat infeſta, ſubitò eum corriperet. Laboraverat verò catar-

catarrho ſatis periculoſo annos jam aliqvot, unde ipſe aliqvoties non ita pridem periculum ſibi fore præſenſerat & prædixerat. Admonitus etiam fuerat ab amico qvodam ſuo, ut ea hora ſe domi potius contineret, qvod facies ſolito pallidior valetudinem promitteret minus firmam. Sed ut erat infracto ad omnes eventus paratoq; etiam ad moriendum animo, de qvo teſtari ii poſſunt, qvi ſæpius ei convixerunt: qvodq; nihil haberet prius, qvam ſi ſuo ſemper loco & tempore, cum res pateretur in Schola doceret: qvandam ille tunc ad eas operas peragendas declaravit alacritatem, atq; ita in propoſito perſtitit. Ac erant qvidem initia ſatis læta, ſed oxitus multo triſtiſſimus. Nam cum tuſſi ea, qvæ ſub initium ferè prælectionis ei moleſta eſſe cœperat, expiratione vehementiore expedire ſe conaretur, rupta fortaſſis vena aliqva, magnam ſangvinis copiam excreatione profudit. Qvo animadverſo, ut erat naturâ pudoris & modeſtiæ plenus, faciem ab auditoribus avertit: Moxq; obvelato toga capite, in medio ſubſellio, ad pedes, majore copia, qvam antea cruentam expuitionem rejecit. Ita igitur cum dolore urgeretur, opem auditorum imploravit: juvate, ferte opem, in-

qviens. Atq; denuò in maxima copia ſangvinem evomuit. Interea allatum aqvam juſſu & petitione ejus excurrit qvispiam, cum ille mortem præſagiens, has voces ingeminaret: Ego morior, Ego morior. Qvin & cum aſtantium unus omen illud rejiceret, meliora ſperanda juberet, ille eum intuens, morior, inqvit, tanqvam moniturus ſe jam vitæ hujus fabulam peregiſſe, neq; aliud exſpectare qvam paratam ſibi in cœlo qvietem. Jam aqva afferebatur, qvam qvum ipſe ambabus manibus ori admoveret, nec ſangvinis tamen fluxus ceſſaret, ſed majore etiam copia efflueret, bis in hæc verba erupit: Domine Jeſu eſto mihi propitius! Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum. Mox ſublatis manibus, & facie cœlum verſus converſa, inter auditorum manus, tribus vel qvatuor editis ſingultibus, animam DEO commendavit. Ita Viri ornatiſſimi & immortalitate digniſſimi non vita qvidem, qva nunc fruitur in cœlo, beatorumq; cætu, multò meliore, ſed certè mortalitas finita eſt, omnibus bonis & piis triſti & luctuoſo, nobis verò gravi relicto ſui deſiderio. Qvis non enim doleat tam divinum ingenium, tantis tamq; variis ornatum dotibus, ſapientiâ & eruditione multiplici,

rerum

rerum Philoſophicarum Medicarumq; ſcientia admirabili, humanitate, gratiâ & elegantia incredibili, poſt tam longinqvas, in Italia, Gallia, Germania, peregrinationes, tam præpropere, in hoc ætatis conſiſtentis flore, ereptum eſſe? Fuit præclara ac divina ejus in facienda medicina utraq;, Galenica & Paracelſica, dexteritas, ſolertia, fœlicitas & induſtria, eoq; nomine apud ſummos qvosq; viros erat inprimis gratioſus. Jam cum amicis, adeoq; cum omnibus vivebat tam benevolè, ſvaviter, jucundè & amicè, ut nihil eo ne fingi qvidem poſſet humanius & jucundius. Tanto igitur Viro cum orbatam videamus Scholam noſtram, cujus opera omnibus hoc morboſo & periculoſo tempore inprimis potuit eſſe utilis; ingemiſcere certè bonos omnes neceſſe eſt, qvi prudenter intelligunt non modo rem literariam, amiſſis tam præclaris ingeniis & ornamentis, reddi difficiliorem: verum etiam doctorum hominum funera, qvæ nunc indies prope continuantur, plerumq; portendere impendentes humano generi calamitates & miſerias. Interim cum ipſo benè actum eſſe nihil dubitamus, cui beatiſſima immortalitate miſerrimam hanc & ærumnoſam mortalitatem, in eo ipſo loco, in

in qvo divina qvadam facundia qvinqvennium ferè docuerat, commutare, atq; ita ad extremum usq; vitæ ſpiritum auditores erudire, & è Schola terrena in cæleſtem commigrare, licuit. Commonefiamus autem ſinguli de vitæ humanæ inſtabilitate atq; imbecillitate, operamq; demus, vita ita decurrat noſtra, ut momentis ſingulis ad moriendum, ſi ita DEO viſum fuerit, parati eſſe poſſimus, ne imparatos mors opprimat: Qvodq; ſupereſt, ornemus præſentiâ noſtra venerandos cineres Ornatiſſimi hujus Viri, inferendos ſepulchro ad horam 1. pomeridianam. Pp. Die IV. Juni, Anno LXXVI.

Scripſit.

1. Poëma ad P. Severinum, in calce Ideæ Philoſophicæ.

2. Carmen Gratulatorium } Extant in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis.

3. Eclogam Daphnis. }

EPITAPHIUM PRATENSIS.

In

Inſacello Medicorum Rochæ in Templo B. Virginis.

ADVENÆ. HIC. ESTIS. PATRIAM. QVÆRITE. O. FALLACES. HOMINUM. SPES. NE. FESTINA. VIATOR. VITÆ. ET. VIÆ. MEÆ. MODUM. ACCIPE. SIG. ABI.

JOHANNES. EGO. PRATENSIS. PHILIPPO. PATRE. GALLO. REGIBUS. OLIM. AB. OFFICIIS. CARO. ARHUSIÆ. CIMBRORUM. NATUS. FUI. INGENII. DOTES. ET. MORUM. QVÆ. MULTOS. MIHI. PEPERIT. AMICOS. FORMAM. COMMENDENT. SI. VELINT. AMICI. POSTERI. MIHI. VITÆ. FONTEM. COGNOVISSE. ET. AMASSE. LUCRUM. FUIT.

QVINQVENNIUM. IN. HAC. SCHOLA. MEDICA. ET. PHILOSOPHICA. PROPOSUI. AT. VERO.

Digitized by Google

RO. DUM. PUBLICO. FUNGOR. DOCENDI. MUNERE. NON. IMPROVISO. SED. SUBITO. MORTE. OCCUPOR. SIC. DEBUI. SIC. DECUIT.

NEXUS. CORPOREOS. CELERI. SOLUTIONE. LINQVENS. QVANTUM. POTUI. LANGVIDA. LINGVA. DIXI. CHRISTO. DEO. SPIRITUM. UT. SUSCIPERET. RELIQVA. COR. PEREGIT. ET. INDISSOLUBILI. FOEDERE. ÆTERNUM. PERAGET.

SI. LACHRYMIS. SI. MOERORE. ACERBUM. FLECTI POTUISSET. FATUM. TRISTE. HOC. JAM. CARÆ. MEMORIÆ. OBSEQVIUM. INCOMPARABILI. AMICO. NON. DETULISSET. PETRUS. SEVERINUS. MED. DOCT. VIXIT. ANNOS. XXXII. MENS. VI. DIES. III. OBIIT. AN. SAL. 1576. VAL. JUL. HOR. III.

LOCU-

LOCULUS VI.

Collegii Chirurgici Hafnienſis Statuta.

NOs FRIDERICUS Secundus DEI gratiâ Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gothorumq; Rex, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes Oldenb. & Delmenhorſt. Omnibus notum facimus qvod omnes hujus noſtræ Civitatis Hafniæ Chirurgi articulos aliqvot in charta conſignatos & conſcriptos nobis obtulerint pro Collegii ſtatutis, ſecundum qvæ & Ipſi & Ipſorum poſteri vivere poſſent, & humillimè petierint ut ea confirmaremus ac ſanciremus, qvæ ita ſonant.

1. Primò qvoniam antea ex more conſvetudine firmato non niſi ſex fuere Hafniæ Chirurgi, decem in poſterum ſint bene experti Chirurgi qvi officinæ ſuæ ritè præeſſe poſſunt.

2. Aliqvo horum Chirurgorum qvi jam in Collegio ſunt, obeunte ac e vita diſcedente, qvisqvis (ſive Vir fuerit ſive Juvenis) Ipſi in Collegio ſuccedere ambit, honeſtus ſit ac integræ famæ, & Aſſeſſori, Seniori, cunctisq; Collegii ſociis ac membris

bris legitimas oſtendat literas, qvibus ſe demonſtret honeſtis Parentibus ortum. Poſtea manumiſſionis teſtimonium proferat, & ex antiqvitus recepta conſvetudine certum artis ſuæ experimentum faciat qvod reprehenſionem non meretur, & pro loco & Jure Collegii obtinendo, Regi duos thaleros, & dimidium Urbi duos & dimidium, & fiſco Collegii qvinqve ſolvat thaleros.

3. Qvisqvis Vir vel Juvenis qvi Jure Collegii Chirurgici frui vult, Hafnienſis evadat Civis, Uxorem ducat honeſtam & integræ famæ Fœminam vel Virginem, qvæ inter honeſtas Collegarum Uxores locum mereri poterit.

4. Si qvis Magiſter vel defuncti Chirurgi Vidua ſuum in Collegio locum & privilegia divendere velit, ac à ſe abalienare, id fiat conſentientibus Aſſeſſore, Præſide & cunctis Collegii membris: Vendantur autem in arte Chirurgica optimè exercitatis & penes qvos fuerint ſuperius memoratæ conditiones.

5. Si dictorum Magiſtrorum aliqvis moriatur, mulierem & liberos poſt ſe relinqvens, liberum ſit Viduæ Ipſius locum in Collegio poſſidere, eamq; in gratiam exper-

tos habere Juvenes, qvamdiu in Cœlibatu honeſte vivit in proprium ac Pupillorum emolumentum; Illi defunctæ in Jus univerſum qvod in Collegio ac officina habebat, liberorum aliqvis hæreditate ſuccedet.

6. Vidua poſt mariti obitum Miniſtros ad officinam in Collegio conducat conſentientibus Præſide cæterisq; Collegis, qvo tales Juvenes rectius examinentur an ita experti ſint, ut officinæ dignè præeſſe poſſint, ne illa ac ægri curæ ejus commiſſi juvenilis ignorantiæ pœnas luant damnumve patiantur. Qvæcunq; Vidua contra hæc fecerit ſingulis vicibus tres bonæ notæ thaleros ſolvat.

7. Collegæ à Præſide convocati ad ea pertractanda qvæ Collegium concernunt, compareant; ſecus qvi fecerit, qvoties vocatus abeſt, niſi legitimas abſentiæ cauſas habuerit, qvarta Imperialis parte mulctetur.

8. Qvicunq; Collega Præſidi morem non gerens, vel loqventi obſtrepens rixas vel turbas commovet, ipſumq; iracunde & contemptim deſpicit vel illi minatur, qvavis vice ſolvat 3. thaleros.

9. Diſſentionibus inter Collegas obortis, ſi Præſes ſub pœna jacturæ privilegiorum amicam concordiam jubeat, & ipſorum qvis-

piam

Digitized by Google

piam ſecus fecerit, qvavis vice ſolvat tres thaleros.

10. Qvisqvis Magiſter Collegarum qvempiam calumniatus ac cavillatus fide dignis convincitur teſtibus, pœnas Collegio det, qvas cæteri Collegæ ſimul indicunt.

11. Qvicunq; ex Collegis lites intra privatos Collegii parietes ſemel & amicè compoſitas repetit vel retractat, ſingulis vicibus puniatur mulcta 2. thalerorum.

12. Sciente & conſentiente Aſſeſſore poteſtas ſit Præſidi ac Collegii ſociis privatas Collegarum rixas ac diſcordias componendi ac conciliandi, niſi honorem & fortunas concernant, vel criminale aliqvod ſangvinis delictum, hæ enim cauſæ examinandæ & agendæ coram debito Magiſtratu, Conſulibus, Senatoribus & Prætore.

13. Qvicunq; Magiſtrorum Collegæ ſui vel Viduæ Juvenem aut famulum arte aliqva ad ſe pellicit, mulctetur 3. thaleris, & qvem pellexit iterum amittat.

14. Qvicunq; Magiſtrorum inſcii & inviti Collegæ faſcias vel Emplaſtra ſciens volens deligat, vel ipſius ægros curandos ſuſcipit, ſolvat qvantum ex illa plaga lucrari poterit.

15. Chi-

Digitized by Google

15. Chirurgus famulum aſſumpturus, qvem Chirurgiam doceat, id faciat ſcientibus ac conſentientibus Præſide cœterisq; Collegis. Famulus autem teneatur abunde demonſtrare ſe honeſtorum parentum legitimum eſſe filium: & poſtea tres integros annos tyronem agat.

16. Transactis tyrocinii annis ut modo dictum, famulo huic injungat Collegium ut ipſi repromittat ſe integros qvatuor annos in artis ſuæ complementum in alienas regiones abiturum, ut eo melius Chirurgicam diſcat artem, modo aliqvem in Chirurgorum Hafnienſium officinis locum habere, aut in iis Chirurgica opera facere amet.

17. Præſentes Chirurgi ipſorumq; poſteri æqvi ſint in pretio ab ægrotis exigendo, nec iis importunè ſint moleſti.

18. Si qvi contra Collegii Chirurgici Jura & Privilegia palam vel occultè medeantur, plagas obligent, ulcerave aut vulnera ad cicatricem perducant, & talia feciſſe convincantur, qvoties contra hæc peccare deprehenduntur, 12 ſolvant thaleros, propter freqventes illas fallacias ac fraudes, qvas vulgo apud Agyrtas & circumforaneos iſtos reperire eſt.

19. Nemo poſthac merces ſuas Hafniæ exponat aut divendat, anteqvam Theriaca, pulveres, olea, & qvæcunq; alia Medicinam aut Chirurgiam concernentia fuerint viſa & examinata à Doctore Medico, Collegii Chirurgici Præſide & nonnullis Chirurgorum. Si autem ipſorum merces bonæ fuerint, ac ſine dolo vel fraude compoſitæ, a Conſulibus Urbis, Senatoribus & Prætore veniam prout more receptum eſt impetrent eas publicè exponendi. Si verò fraus aliqva circa has ipſorum compoſitiones reperiatur, prohibeantur ne eas exponere aut ulli divendere valeant. Secus qvi fecerit, ſingulis vicibus pœna ſex thalerorum mulctetur.

20. Nullus lithotomus aut Circulator audeat aliqvem ſuſcipere ipſumve medicamentis internis vel externis curare, niſi Doctoribus Medicinæ primum ſe ſtiterit, ac ab ipſis dignus & idoneus judicatus fuerit, ſi ſecus fecerit, 12. thaleros ſolvat.

21. Si poſt pugnam Hafniæ commiſſam Chirurgus vocetur ad vulnus obligandum, qvicunq; vocatus eſt, Prætori aut Tribuno Urbis privatim indicet, qvando prima injecta eſt faſcia, ne tales ſubticeantur cauſæ, aut mulctæ Regi & Urbi debitæ negligantur vel ſuppri-

ſupprimantur; ſecus qvi fecerit, ſolvat qvantum ex hoc vulnere lucratus eſt.

22. Omnes ſolutionum pœnæ, qvæ in Chirurgorum Collegio contra præfatos articulos debentur aut ſolvuntur, in tres diſtribuantur partes æqvales, qvarum una cedat Regi, altera Urbi, tertia Collegio.

23. Qvotqvot Chirurgi in Collegio jam ſunt, proprio & Poſterorum nomine fidem dederunt ſe hos articulos & Collegii ſtatuta rectè ac integre conſervaturos, & ad eorum normam ſemper victuros.

24. Qvo igitur omnia in dicto Chirurgorum Collegio decentius ac rectius tranſigantur, ac unusqvisq; in Ipſo ſciat qvomodo ipſi vivendum ſit, peculiari Noſtro favore & gratia hos articulos & hæc ſtatuta admiſimus, comprobavimus & ſancivimus, & hoc Noſtro diplomate admittimus, comprobamus & ſancimus omnium horum ſtatutorum verba ac puncta prout ſonant ſarta tecta permanſura; arbitrium tamen Nobis reſervatum volumus, hæc ſtatuta, Collegii privilegia & articulos in poſterum habita temporis & ſubditorum ratione imminuendi vel augendi, ſi ſubditis noſtris commodius ac utilius futurum ſit, nobisq; ita viſum.

Rogamus itaq; Vos & jubemus, Collegii Chirurgici Haſnienſis Socii & Magiſtri & præſentes & ſecuturi, vos omnino gubernetis ac conformetis ad præſcripta ſtatuta, ut ea adimpleatis & exeqvamini prout repræſentant & ſonant, Interdicentes Prætoribus noſtris, Præfectis, Conſulibus, Senatoribus, omnibusq; Haſniæ Chirurgis contra præſcripta ſtatuta & Collegii jura vel tentare vel impedimento eſſe ſub pœna noſtri favoris & gratiæ. Datum in Arce Friderici-burgenſi die 21. Auguſt. ANNO M D LXXVII.

Sub noſtro Sigillo

FRIDERICUS.

LOCULUS VII.

Vita D. JOHANNIS FRANCISCI Med. P. P. ex Programmate Rectoris Academiæ Haſnienſis 6. Jul. Anno 1584.

TErtius dies agitur, ex qvo Clariſſimus atq; Doctiſſimus Vir, D. Doctor JOHANNES FRANCISCUS ex noſtro Collegio & ex

ex hiſce miſeriis placidè emigravit, hujus vitæ ſatur, atq; illius percupidus, qva nunc cum DEO & ſanctis Angelis in omnem æternitatem, ut qva nihil ſvavius, perfruitur. Vixit, ut neminem fugit, adverſa valetudine anno non multò minus, cum qva proximis menſibus fortiter conflictatus, neq; audiri neq; videri à piis oculis & auribus ſine lachrymis poterat. In hoc tamen acerrimo cum malo ſuo conflictu, ſpiritu DEI confirmatus, ita toto tempore decubuit, ut non impegerit in qvicqvam, cum animæ ſuæ detrimento conjunctum. Magnum eqvidem exemplum miſericordiæ divinæ, qva in graviſſima afflictione corporis, anima ſeſe erigit, meditationibus ſuis ad Filium DEI directis, qvi & poteſt & vult ſuam fabricam reſpicere, & noſtrarum ærumnarum, poſt modicam caſtigationem, ſalutarem finem facere. Sed ut ad vitam ipſius revertamur, qvam non eſt neceſſe niſi paucis perſtringere, omnibus notum eſt, optimis illum Parentibus oriundum eſſe, qvod vel ex hoc liqvet, qvod hunc filium ſuum, ad honeſtas artes ab ineunte ætate perdiſcendas adhibitum, creſcere voluerint pietate & ſapientiâ ad gloriam DEI & humanæ ſocietatis ſalutem & commodum.

Digitized by Google

Jactis in patria primis artium fundamentis, in Germaniam miſſus eſt, ut qvod hîc accepiſſet, illic perpoliret qvotidiana acceſſione & augmento, neq; ut hoc ſolum ageret, varias nationes perluſtravit, ſed ut varios hominum mores cognoſceret, qvæ res prudentiam inprimis conciliat, ut fuit Vir non egregiè literatus duntaxat, ſed pari prudentia & candido animo, idem ſemper & facilis ad communicandum tum conſilium, tum operam ſuam cum omnibus maximis, minimis, mediocribus, medicinam alicujus morbi petentibus. Hunc, proh dolor, Virum amiſimus nudius tertius, Collegam noſtrum permultos annos nobis chariſſimum, & amiſſum lugemus &c. Fiet illi funus hodie hora 8. matutina in Templo D. Virginis. P. P. d. 6. Jul. Anno 1584.

Epitaphium ejusdem in Templo D. Virginis.

ORnatiſſimo Viro doctrina pietate virtute atq; prudentia excellenti Domino JOHANNI FRANCISCO Ripenſi Facultatis Medicæ Doctori eximio,

mio, Poëtæ atq; Muſico ſummo, dulciſſimo marito qvi ætatis 52. Anno Chriſti verò 1584. die 4. Julii ex vita hac migravit uxor mœſtiſſima Laurentii filia poſtqvam cum eo in ſancto ac placido Conjugio 23. annos vixiſſet & ipſe in Academia hac annis 24. fideliter & cum auditorum fructu docuiſſet, ad poſteritatis memoriam monumentum hoc fieri curavit.

Doctiſſimo & Humaniſſimo Viro Domino JOHANNI FRANCISCO Ripenſi Medicinæ Galenicæ Doctori, Poëtæ & Muſico eximio omnibusq; bonis charo.

SI mortale mihi doceat perferre Camænas
Siq; Poëtarum vita perennis erit
Arte Machaonia decuit qvi primus Apollo
Si Libitina tuum jus inhibere licet,

Digitized by Google

Muſica lætitiæ genitus convictus amicus
Si ſita Parcarum ſiſtere fila qveant.
Qværis in hoc tumulo cur condidit oſſa Johannes
Franciſcus? curq; is concidit ante diem?
Qvem Muſæ & Charites adeo coluere qvod inter
Præcipuos vates nomen habere darent
Et cui contribuit facundi cura Galeni
Conſpicuum medica Doctor ut arte foret
Muſica mentem hilarem facilis convictus Amicos
Egregium mores attribuere decus.
Ille ſevera tamen poterat nec flectere fata
Et multo luſtris plus ſupereſſe decem.
Scilicet eſt certi præfixus terminus ævi
Qvem ſuperare neqvit, ſtat ſua cuiq; dies.

Nec

Digitized by Google

Nec mors ſæva ulli parcet licet ipſe
Machaon
Arte ſiet Medica carminibusqve
Maro,
Orphea ſeu cantu ſuperet ſeu Theſea
amore,
Eſt adeo claris mors inimica Viris.
Ergo nihil mirum eſt qvod fatis ceſſit
iniqvis
Vir qvi perpetuo vivere dignus e-
rat.
Forſitan & mores hominum terrasq;
peroſus
Optabat ſuperis civis adeſſe Diis.
Nec fruſtratus in hoc Chriſto duce gau-
det olympo
Hic ſine fine qvies vita ſalusq; da-
tur.

Obiit Anno 1584. ætatis ſuæ 52.
Amicus poſt fata qvod Vivo addixit
TYCHO BRAHE F.

Edidit
1. Librum Galeni de oſſibus converſum Haf-

niæ 1597. De qvo tamen judicat C. Hofmannus Præf. in Phyſiolog. MS. eſſe Jacobi Sylvii, qvi eam verſionem dederat Anno 1561.

2. Carminum librum ad FRIDERICUM II. Regem Daniæ. Lugduni apud hæredes Seb. Gryphii 1561. in 12.

3. De oculorum fabrica, Carmen, Wittebergæ 1556.

4. Typum veri & ſinceri amoris, Hafn. 1579.

5. Hippocratis libr. de Naturâ Humana, Hafniæ 1571.

6. Galeni de Conſtitutione artis Medicæ, Hafniæ 1573.

7. Galeni de curatione ſeu ratione medendi ad Glauconem lib. 1. Hafniæ 1572.

D. Johannes Franciſcus, referente D. Varvichio l. de Peſte c. 7. duo Electuaria contra peſtem in Pharmacopoliis ordinavit; unum pro ditioribus, qvod Electuarium preciosum appellatur, alterum pro pauperioribus, qvod Electuarium pro familia vocatur, qvæ diu uſitata fuerunt, & adhuc ejus tempore.

Qvos

Qvos amicos in peregrinatione ſua habuerit D. Joannes Franciſci, ipſe eleganti carmine expreſſit ad D. Jacobum Dalechampium:

HÆc Jacobe, puto ſolum me parte beatum
Magna Machaonii lausq; decusq; chori.
Qvod mihi contigerit peregrinis ſemper in oris
Ignoto ſummis poſſe placere viris.
Eſt nos ſyncero complexus amore Melanthon,
Leucoreo qvando viximus ante ſolo.
Primus erat ſtudii noſtri qvoq; fautor Eberus,
Peucerusq; meus, gloria prima ſcholæ.
Et nos facundo Wilichius ore docebat.
Odera Marchiacos qvà rigat amnis agros.
Hinc Heydelbergam veniens peregrinus, amores
Percepi cupida mente, Secunde, tuos.
Fuchſius ingenio, clarus qvoq; Schegkius arte,
Ambo grande tuum clara Tubinga decus.
Protinus ingenuo nos excepêre favorem,
Atq; voluntatis ſigna dedere mihi:
Et Seccervitius qvo nos complexus amore eſt,
Teſtantur digitis ſcripta notata ſuis.

Qvid

Qvid loqvar, ut ſtudiis noſtris Gupille favebas.
  Qvà vaga Pariſios Seqvana ſcindit agros.
Et Durete meæ mentis pars altera docte,
  Qviq; eqvitis clarum nomine nomen habes.
Noſti, Rondeletus, non infimus inter amicos
  Præſtiterit nobis qva bene facta fide.
Gloria Ρονδέλετος, doctorum prima virorum,
  Qvosq; Machaonia nomen ab arte ferunt.
Hujus ego doleo me conſvetudine caſſum,
  Noſter in immenſum creſceret atq; dolor,
Tu niſi me doctis relevares ſponte loqvelis,
  Hic ubi cum Rhodano flumina jungit Arar.
Qvid cum diſcedens iſtis qvoq; triſtis ab oris
  Ereptum mihi te flens Jacobe qverar.
Spes erit antiqvos cernendi forſan amicos,
  Qvos alit in variis patria terra locis.
Morſianus doctus, clarusq; Hemmingius ore
  Ingens Daniaci gloria uterq; ſoli.
Qva licet hunc noſtrum ſedabunt parte dolorem,
  Et reliqvi qvorum nomina muſa tacet.
Aſt humanarum cum ſit mutatio rerum
  Talis, tu noſtri ſis memor, atq; vale.

LOCU-

LOCULUS VIII.

De D. CORNELIO HAMSFORT Medico Regio.

EX matricula veteri Academiæ Hafnienſis: CORNELIUS HAMSFORT Regius Phyſicus Rectore D. JOHAN. BUGENHAGIO 1539. *in matriculam inſcriptus.*

A. 1544. Rectore Jo. Macchabæo, b. m. Reſenius adſcripſit hæc: Videtur promotus Doct. Medicinæ D. Cornelius Reg. Maj. Phyſicus primarius, promotore D. Chriſtiano Morſiano.

In libro primo Apograph. Acad. in fol. p. 70. extat hæc conventio inter Univerſitatem & D. Hamsfortum:

Anno Dni. 1544.

Viceſima qvarta ſeptembris ex mandato Regiæ Majeſtatis, inter Univerſitatem ab una parte & Venerandum Virum Doctorem Cornelium, Regiæ Majeſtatis Phyſicum Primarium ab altera parte conventum eſt, ut domus Univerſitatis qvam prædictus Doct. Cornelius inhabitat libere cedat illi ad dies vitæ ſuæ, ea lege ſi qvid in ea deſideretur reſtauret, Univerſitas autem ad dies ejusdem Doctoris Cornelii libere retinebit eam habitationem

ſeu

ſeu Reſidentiam qvam idem Dn. Doctor poſt obitum Dn. Joannis Jone Vicarii à Regia Majeſtate impetravit, eamq; domum Univerſitas ſi qvid labetur reſtaurabit, ita tamen ut hortus præfatæ habitationi annexus in duas partes fere æqvales poſito interſtitio dividatur, & partem meridionalem Univerſitas, partem verò ſeptemtrionalem Doctor Cornelius in ſuum uſum retinebit, Acta & transacta hæc præſentibus Venerabilibus Viris Doctore Machabæo Univerſitatis Rectore, Doct. Chriſtierno Medico, Dn. Joanne Meyero Paſtore Reynbergenſi, M. Olao Chriſoſtomo Paſtore Hafnienſi, M. Petro Parvo Scholæ Hafnienſis Lectore ordinario.

Monumentum Ejus hoc viſitur in Eccleſia Otthoniana, qvod M. Jacobus Birchero-dius Gymn. ibid. Profeſſ. nobis procuravit:

SICUT PER ADAM OMNES MORIMUR ITA PER CHRISTUM OMNES VIVIFICABIMUR PECCATUM DUXIT INITIUM A MULIERE ET PER EANDEM OMNES MORIMUR.

OSIA.

Digitized by Google

OSSA
CORNELII HAMSFORTII MED.
DOCT. CHRISTIANI III. ARCHI-
ATRI VIRI INTEGER ET MARI-
Æ HAMSFORT PIENTISS. MA-
TRONÆ SED ANNÆ SOLTOVI-
Æ FOEMINÆ MODESTISS. CON-
JUGUM SUARUM CARISS.
H S S

MON. HOC MOESTA LIBE-
ROR. PIETAS PATRI OPTIMO
INDULGENTISS. AC MARIÆ
MATRI CARISS. P. C. SAN-
CTISS. OBIERUNT IN DN.
DEI JESU INVOCATIONE COR-
NELIUS IIX EID. MART. ANNO
CIↃ IↃXXC.
MARIA XVI. KL. OCTB.
CIↃ IↃLX.
ANNA III. EID. FEBR.
CIↃ IↃ LXXIIX.
H M H S

Digitized by Google

LOCULUS IX.

De D. JACOBO BORDINGO Med. P.P. & Medico Regio.

Ex Epiſtola Levini Batti Med. D. & Prof. Roſtochienſis ad D. Andream Chriſtierni Med. D. & Rect. Acad. Hafn. ſcripta Kalendis Martii Anno 1591.

NIhil dubito, Magnifice Domine Rector &c. qvin cum ſumma benevolentia memoriam adhuc retineatis, Clariſſimi Viri, eruditione, pietate, & artis Medicæ ſcientia præcellentis, D. JACOBI BORDINGI, Collegæ qvondam veſtri, qvi cum Anno 1556. ex Academia Roſtochienſi à laudatiſſimo Rege felicis memoriæ Chriſtiano III. evocatus eſſet, tum ad profeſſionem artis Medicæ in Academia veſtra, tum etiam ad valetudinem Regiæ Majeſtatis ſuæ curandam & conſervandam, aliqvot annis primum eidem Sereniſſimo Regi Chriſtiano, eoq; in cœleſte regnum evocato, filio & ſucceſſori illius Friderico II. Regi laudatiſſimæ memoriæ, operam fidelem præſtitit, & tandem poſt multos exantlatos in Academia veſtra docendi labores, Anno 1560. die 5. Septembris Magiſtratum publicum, qvem Rectoratum vocamus,

mus, gerens, ſpiritum extremum DEO reddidit. Docuerat is ante, ſeptem annis in hac Academia ſumma cum laude, ac inter alios me qvoqve tum auditorem ac domeſticum habuit, cumq; eruditionem præceptoris ſingularem admirarer & ſuſpicerem, qva potui diligentiâ, non tantum qvæ Roſtochii tradidit collegi, ſed per amicos deſcribi & transmitti mihi etiam curavi, qvæ in Academia Hafnienſi publicè in arte Medica propoſuit, eaq; Cymelii loco diligenter inter ea, qvæ cariſſima habui, conſervavi. P. P. Tres autem ſunt Medicinæ partes, qvas jam emittimus, φυσιολογική, παθολογική & ὑγιεινή. Harum prima qvamvis ſub titulo Anatomes ante edita ſit Helmſteti, ſuppreſſo Bordingi nomine, ab eo qvi ſtudio juvandæ & promovendæ rei literariæ & artis Medicæ, noluit tam inſigne ſcriptum integrè perire, tamen cum is autoris autographo deſtitutus, vitiosè ſcripto exemplari tantum uſus ſit, viſum eſt conjunctim cum ὑγιεινῇ & παθολογίᾳ φυσιολογίαν emittere, tum ut Bordingi memoriam à mortalitate vindicarem, tum ut ſtudioſæ juventuti & Reipublicæ litterariæ hac ratione qvam plurimum prodeſſem &

Digitized by Google

uno volumine tres præcipuas Medicinæ partes evulgarem. Vobis autem, Magnifice Domine Rector, Reverendi, Clariſſimi & Doctiſſimi Viri, & Profeſſores almæ Univerſitatis Hafnienſis, volui hæc in arte Medica à D: Jacobo Bordingo inter alia relicta, & à me ſtudiosè collecta, & in ordinem digeſta, inſcribere & dedicare, qvod ex Schola Roſtochienſi ad Academiam Hafnienſem à laudatiſſimo Rege felicis memoriæ Chriſtiano III. ante annos 35. ad artis Medicæ profeſſionem evocatus ſit, ac qvam Roſtochii inchoarat artis Medicæ traditionem, eam in Hafnienſi Academia partim continuaverit, partim repetiverit, &c.

Vita ejusdem JACOBI BORDINGI Prof. Med. ex Joan. Spithovii Orat. in ob. Bordingi, Jo. Schenckio in Bibl. Med. & Melchiore Adamo in Vit. Germ. Medicorum excerpta.

ANtverpiæ natus eſt Jacobus Bordingus anno ſervatoris 1511. die XI. Julii circiter octavam pomeridianam. Parentes habuit Nicolaum Bordingum & Adrianam Adrianæ. Annum agens nonum in diſciplinam

nam traditus eſt ſcholæ Antverpienſis moderatori M Nicolao Buſcoducenſi, inde miſſus eſt Lovanium, ubi cum in caſtrenſi pædagogio Logica & Phyſica deguſtaſſet, ad lingvarum poſtea ſtudium applicuit animum, uſus opera Conradi Goclenii, Nicolai Clenardi & Rutgeri Reſcii. Hinc pater ad gravius qvoddam doctrinæ genus addiſcendum, ad Lyceum Lutetianum ipſum miſit annos jam natum octodecim, ubi Joannem Copum & Jacobum Sylvium diligentiſſimè audivit, illum qvidem Ariſtotelis philoſophiam, hunc autem medicinæ artem tradentem. Cum verò à parentibus ad ipſum miſſæ pecuniæ à viatum latronibus interceptæ fuiſſent, inſtigante Joanne Sturmio aliisq;, Græcas & Hebræas literas publice profeſſus eſt Pariſiis in Lexovienſi Collegio. Qvum è vivis exceſſiſſet Pater ejus Nicolaus, per biennium in conſvetudinem Epiſcopi Mimatenſis de Roſchefault ſe dedit, à qvo miſſus eſt deinde in urbem Galliæ Medicinæ Studiis florentiſſimam Monpeſſulanum, ubi impenſis Epiſcopi Mimatenſis vixit & Joannem Scironium, Dionyſium Fontanum, Antonium Saportam audivit. Hinc Italiam cogitat. Carpentoracte itaq; primum in itinere deflectens, cum ibidem

aliqvandiu ſubſiſteret, ecce repente Jacobus Sadoletus Cardinalis & Epiſcopus, famâ Româ, ubi tunc agebat ad ſeſe de Bordingo & ejus ſingulari doctrinâ allatâ, ſcholæ Carpentoractenſi ipſum præfecit liberali ſtipendio. Duxit tum annum natus XXVII. uxorem, virginem Franciſcam Nigronam, Termini-Nigroni, civis & patricii Genuenſis, & Johannæ de Roſchelle Avenionenſis, filiam, novem cum eo liberorum ſuperſtitum multitudine felicem, qvæ fidelis itinerum mariti comes, tandem, qvum Hafniæ Danorum Bordingius obiiſſet, cum libris ſuperſtitibus, inprimis Jacobo Bordingo JCto & Principis Megapolitani poſtea Cancellario, Roſtochium vidua rediit. Bononiam deinde ſeſe contulit Bordingus noſter ut Doctoris Medicinæ inſignibus ornaretur. Ampliſſimum Teſtimonium communi Doctorum omnium judicio Bononiæ conſecutus, Carpentoracte revertitur annum agens nonum & vigeſimum, ubi cum ob veræ religionis amorem diutius agere non poſſet, Antverpiam commigravit. Qvinqvennium ibidem manſit, ubi partim medicinâ faciendâ, partim Chirurgiæ præceptis tradendis ſe exercuit. Qvum v. diutius religionem diſſimulare nollet, patriâ hac relicta,

ſedem

Digitized by Google

ſedem ſuam Hamburgum tranſtulit, ubi cum Senatui ſtipendio liberali annos propemodum qvinq; ſerviiſſet, accerſitus eſt ab Henrico Megapolenſi Principe, ut ejus operâ tum in aulâ tum in Academiâ Roſtochienſi uteretur. Vixit ibidem ſeptennium, ac Medicinæ ſtudia eâ in Academiâ non mediocriter ingenio, doctrinâ, diſputationibus, ac cæteris laboribus ſcholaſticis fideliter præſtandis illuſtravit, interdum & Principi ſuo operam navavit. Anno 1556. cum Rex Daniæ Chriſtianus & Academia Hafnienſis altero Medico carerent, Stipendio Regis & Scholæ eò eſt invitatus. Ubi vitæ, qvod fuit reliqvum ita transegit, ut apud Sereniſſimum Regum & ampliſſimos ejus regni Proceres in magna eſſet gratiâ; in ſcholâ verò magna ejus dexteritas in docendo, in diſputatione acumen, in conſiliis prudentia, in controverſiis componendis æqvitas, in convictu & vitæ conſvetudine modeſtia & facilitas, ita ubiq; perſpecta ſunt, ut nulla vitæ ejus pars fuerit, qvæ honeſti ac boni Viri officio careret.

Hoc in munere dum ſummâ cum laude verſatur, morbo corripitur. Poſtqvam naturæ ne robur an morbi magnitudo ſuperatura eſſet, dubitaret, uſus eſt communione cor-

poris & ſangvinis Domini Jeſu Chriſti. Qvâ ceremoniâ rite peracta, de teſtamento faciendo, cœpit cogitare. Qvibus comparatis, cordis qvædam compreſſio, & lateris punctiones ſubſecutæ ſunt, qvibus tametſi triduo toto graviſſimè torqveretur, animo tamen fuit præſente, ſummaq; fiducia ſe conſolatus eſt, uxorem & liberos, donec vitam cum morte commutaret die qvinto ſeptembris, A. C. 1560. ætatis ſuæ qvinqvageſimo currente.

Opera Medica D. Jacobi Bordingi ſunt

1. Anatome, edita primo Helmæſtadi, poſtea junctim, nomine Φυσιολογίας, à Levino Batto Roſtochii apud Myliandrum in Octavo 1591.
2. In ſex Galeni libros de ſanitate tuenda enarratio, qvæ eſt altera operis Bordingiani pars, ſeu ὑγιεινή, edita ab eodem Batto, Roſtochii 1590.
3. Commentarius in tres libros Galeni de morborum & ſymptomatum differentiis & cauſis, qvi eſt tertia Medicinæ pars, ſeu Pathologia ejuſdem Bordingii, edita à Batto ibidem.

Reli-

Digitized by Google

Reliqvos tres Galeni libros abſolvere non potuit, propter locorum mutationes, & molem negociorum in Aula & Academia.

4. Conſilia qvædam Illuſtriſſimis Principibus præſcripta, Roſtochii 1605. in Qvarto.

De ejusdem opere Medico à filio D. Jacobo Bordingo Cancellario Principis Megapolitani Ducis Uldarici, communicato, Carmen Nathanis Chytræi.

THeſauri utilitas nulla eſt, ſi cluſus in antro
Deliteat. nulla eſt accenſi gratia lychni
Sub ſcamno aut menſa ſi conditus occultetur:
Sic qvoq; nulla operis fuit hujus gratia, nulla
Utilitas, tenebris & denſo pulvere tectum,
Dum chartas inter latuit ſine honore jacentes.
Gratia Bordingo tanto digno patre nato,
Qvi licet Herculea cancellis præſit in aula,
(Ut genitor medicis Danorum regis in arce
Præfuit) ingenti curarum mole laborans;
Non tamen has eſt paſſus opes latuiſſe, ſed illas
Protulit in lucem, & vitæ communis in uſum,

Digitized by Google

Inprimisq; artis medicæ, fundamina cujus
Hoc ita ponit opus, ſtructura ut cætera curæ
Illius his niti, qvamvis ampliſſima, poſſit.
Ergò Machaoniam ſolidè qvi diligis artem,
His animo grato fruere. At tu poſthuma proles
Tam clari patris in Belgis, Gallisq;, Italisq;,
Germanisq; adeò & Cimbris, patris utere fato
Ipſe etiam redivive liber: gentes & easdem,
Vel plures etiam creſcens tua fama pererret,
Cum patre & natum innumeros dilaudet in annos,
Hunc eqvidem qvod vulgarit; qvod ſcripſerit illum.

Ex Matricula vet. Hafn. XX. Maji 1557: Rectore D. Chriſtiano Morſiano Doctor Jacobus Burdingus receptus eſt à Profeſſoribus in membrum Univerſitatis & die eodem in Profeſſorem Facultatis Medicæ.

Filios habuit, qvos in matricula veteri inveni manu parentis, qvum Rectoratum gereret 1559 inſcriptos, Nicolaum Bordingum Antverpienſem, Jacobum Bordingum Hamburgenſem, Petrum Bordingum Hamburgenſem fratres, D. Jacobi Bordingi filios. Item Philippum, qvi Rectore Hemmingio 29. Nov. 1558. in matricula inſcriptus.

Die

Digitized by Google

Die 18. Jun. 1560. inſcriptus eſt Petrus Budan Antverpienſis, D. Jacobi Bordingi ex Sorore Nepos.

Sexto die Auguſti Anno Domini 1560. obiit Vir Clariſſimus D. Chriſtiernus Morſianus Med. D. & Profeſſ. Acad. Hafnienſis. Eodem anno, qvinto die Septembris obiit Clariſſimus Vir D. Jacobus Bordingus Med. D. Prof. & Rector Academiæ Hafnienſis.

LOCULUS X.

Epiſtola Nobiliſſimi Tychonis Brahe Dani (qvi in Academia Hafnienſi docuit) ad RUDOLPHUM II

De Elixire Peſtilentiali.

Auguſtiſſime & Potentiſſime Imperator

RUDOLPHE

Domine Clementiſſime.

DEſcriptio medicamenti, qvod contra morbos Epidemicos paſſim nunc graſſantes, DEI dono, efficax eſt, qvale ſacra Cæſarea Majeſtas tua clementiſſime per

ſuum Capitaneum Brandeiſenſem à me ex-
petiit, in hunc modum, pro ut ipſemet ad-
inveni & comprobavi, ſe habet.

Accipiatur primum pro corpore & fun-
damento Theriacæ Venetæ optima & vete-
ris, aut potius Alexandrinæ, lib. una, cui in
vitro oblongo ſatisq; capaci ſuperfundatur
ſpiritus vini, è generoſo vino, ternâ deſtilla-
tione & rectificatione moderato calore elici-
tus, ut extet ſupra Theriacam ad qvantita-
tem palmæ; Poſteaq; benè obturato vitro,
ne ſpiritus exhalet, fiat digeſtio in tepido bal-
neo per ſeptimanam: Qvâ peractâ materia o-
mnis, qvæ in vitro eſt, filtretur per bibulam
papyrum, ut ſeparetur purum ab impuro,
liqvorq: admodum rubicundus & perlucidus,
qvi hac filtratione provenit, indatur cucurbi-
tæ vitreæ, & ſupra poſito alembico cum ſuo
recipiente, atq; utrobiq; benè clauſis de mo-
re vitris fiat lenta deſtillatio in balneo medi-
ocriter calido, nec æſtuante, donec ſpiritus
vini in receptaculum guttatim evocatus ma-
teriam ſive eſſentiam Theriacæ in fundo cu-
curbitæ vitreæ inſtar mellis liqvidi, colorem
tamen ad ſubrufam nigredinem tendentem
obtinentis, reliqverit. Spiritus autem ille vi-
ni Theriacalis per ſe in vitro benè clauſo con-

ſerva

ſervari poterit, & parum mane, ubi lubuerit, de eo ſumi, inſtar alterius aqvæ vitæ; habet enim in ſe aliqvid de volatili eſſentia Theriacæ, ideòq; præſervativi loco eſt, præſertim ſi ex oleo Juniperi ſulphurato, de qvo mox dicemus, bis vel ter ulterius in balneo exaltatus fuerit. Porrò Eſſentia illa Theriacæ, qvæ in fundo remanſit, ſic efficacior reddenda: Sumatur ſulphuris è cholcotare puro ter ſublimati, & qvarto ex Aloë, Myrrha & croco, ſemel, leviter ſine aduſtione elevati qvarta pars libræ; huic ſuperfundatur in cucurbita vitrea oblonga de oleo Baccarum Juniperi, qvod purum & in balneo rectificatum eſt, tantum ut ſupereminent qvatuor digitis. Poteſt etiam addi oleum ſuccini in balneo ter rurſus deſtillatum & ab odoris vehementia liberatum, ut ſit ejus qvarta pars reſpectu olei Juniperini, eſtq; ſic melius: ponaturq; benè clauſo vitro in fornace cinerum, ubi ſtet in tepida digeſtione per qvatriduum, eliciet interim oleum Juniperi è floribus illis ſulphuris rubicundiſſimam tincturam, & optimam eorum eſſentiam in ſe attrahet; Fiat & hic ſeparatio filtratione, pro ut antea. De puro autem & rubicundo liqvore, qvi papyrum bibulam tranſivit, addatur

datur duodecima pars eſſentiæ Theriacæ prius confectæ ita ut hæc duodecim vicibus oleum illud Juniperi ſulphuriſatum excedat: Mox ſimul & digerantur in tepenti balneo viola oblonga benè obturata. Poteſt tamen iis prius aliqvid addi de extracto radicis Angelicæ, ſale abſinthii puro & eſſentia carabis albi, his tribus ſimul mixtis & pro decima ſexta parte priori liqvori junctis, poſteaq; uti dictum, ſimul in digeſtione collocatis, idq; per octiduum.

Superaddere etiam conducit ante digeſtionem de prius reſervato ſpiritu vini Theriacali tantum ut tribus digitis ſuperſtet. Digeſtione hac peractâ fiet denuò ſeparatio impuritatum intrinſecarum per filtrationem ſupradictum, & ſpiritus vini additus ſeparetur in balneo, lentiſſimo igne, donec materia in fundo remaneat, inſtar picis liqvidæ, qvæ ex Dei benignitate, præſens eſt remedium contra luem Epidemicam, octò, decem vel duodecim guttis pro ratione patientis in aqva aliqva competenti, utpote Prunellæ, Angelicæ, aut Cardobenedictæ, cochleari uno intro aſſumpta, idq; ſtatim ac morbus ſentitur, anteqvam per ſomnum virus cor occuparit, & poſtea ſudore per aliqvot horas,

qvò

Digitized by Google

qvò diutius eò melius, elicito. Si mane qvolibet jejuno ſtomacho de hac medicina duæ vel tres guttæ in vino abſinthiaco vel qvovis alio appropriato liqvore aſſumantur, præſervativi eximii loco eſt.

Poteſt v. hæc ipſa medicina, per ſe omni auro præſtantior, adhuc magis exaltari per additionem tincturæ corallorum, ſaphyri & hyacinthi, & margaritarum materiæ reſolutæ, tum qvoq; auri potabilis, ſi modo verum & genuinum, ac corroſivis rebus non inqvinatum & corruptum, haberi poſſit, ita ut de ſingulis hiſce ſcrupulus unus prius confecto medicamento adjungatur miſceaturq;.

Qvin & univerſalius ut hoc reddatur medicamentnm ad omnes morbos, qvi per ſudorem curari poſſunt, qvalis ferme eſt tertia pars omnium eorum, qvi humanum corpus infeſtant, ſic procedendum. Antimonium ſelectum in regulum purum ter vel qvater reiterata ſecum abjectione redigatur, poſteaq; contuſo & pulveriſato regulo per cucurbitam terream ignem fortem ſuſtinentem ad latus diſpoſitam, impellatur forti igne & ſucceſſivè adaucto alchol Antimoniale, in aliam cucurbitam terream recipientis loco appoſitam, donec totus fermè regulus Antimonii

monii inſtar pulveris ſubtiliſſimi vas ante-poſitum ſubierit. Hoc Antimonii Alchol poſtea in vaſculis qvibusdam reverberationi idoneis, & ignis vim perferentibus, beneq; argilla munitis, imponatur in reverberatorium clauſum, ita ut flamma infra & ſupra tranſeat, ipſa autem vaſcula concluſa non attingat; & fiat reverberatio ſucceſſivè adaucta per 6. hebdomadas, donec Antimonium in pulverem album vel ſubflavum redactum, qvodammodo fixum evadat. Hic pulvis Antimonii etiam in aliqua copia aſſumptus non purgat, nec qvidpiam corpus moleſtat; ſed ſolummodo ſudorem moderatum nec debilitantem ciet.

De qvo ſi prius præparatæ medicinæ parum immiſceatur, multò adhuc præſtantior & efficacior ad omnes morbos Epidemicos redditur: Et inſuper febres qvascunq; ritè adminiſtrata curat, obſtructionesq; aperit.

Atq; hæc de medicina Epidemica, qvam Cæſareæ tuæ Majeſtati prout clementiſſime voluit, humillimè & fideliter conſignavi; ut ſecretam habeat, ſibiq; ſoli reſervet, demiſsè peto. Mitto verò nonnihil de eadem, qvatenus hanc juxta priorem deſcriptionis partem, abſolvere licuit, qvæ etiam valida eſt,

atq;

Digitized by Google

atq; DEO dante, in talibus morbis præſens remedium exhibet.

Eſtq; hæc purior & præſtantior ea, qvam Cæſarea Majeſtas Tua a Tuo Capitaneo per me etiam paratam habuit.

Hanc ut Cæſarea Majeſtas Tua clementi animo accipere donec plura ejuſcemodi & majora in ejus gratiam parare oportunitas dederit, non dedignetur, ſubjectiſſimè oro. DEUS optimus maximus Cæſaream Tuam Majeſtatem ab omni malo tueatur. Datæ ex Arce Cæſareæ Tuæ Majeſtatis Benachia die 7. Septembris Anni 1599.

TYCHO BRAHE.

Primus hæc divulgavit, typisq; edi curavit Caſparus Bartholinus D. Hafniæ 1624.

Medi-

Digitized by Google

Medicamenta Tria pro gravisſimis morbis humanum corpus infeſtantibus eaq; univerſalia qvæ in ipſius librum Medicinalem

Dn. HENRICO RANZOVIO, Produci Cymbrico, ſuo Affini & amico honorando & dilectiſſimo

TYCHO BRAHE OTTHONIDES Hoſpes Hoſpiti Wandesburgi memoriæ & gratitudinis ergo communicavit & propria manu inſcripſit.

1. Pro morbo Epidemico peſtilentiali vel aliis contagiis venenatis tam qvoad præſervationem qvam curationem..

ACcipitur pro corporis fundamento Theriacæ optimæ Venetianæ ſeu potius Alexandrinæ lib. 1. Huic ſuperinfundatur, Spir. Vin. ter vel qvater deſtillatus in vitro oblongo & majuſculo, ita ut extet ad minimum ſex digitis; clauſoq; vitro qvam optime ne reſpiret, imponatur in B M. tepidum per dies plus minus 14. donec ſpir. Vini in ſe attraxerit omnem tenuiorem & præſtantiorem Eſſentiam Theriacæ, reſidentibus in fundo fæcibus & craſſiore materia qvæ filtratione per chartam bibulam ſunt ſeparanda, idq;

idq; qvod in charta remanet ſeponendum. Qvod verò liqvidum & coloratum defluxit peculiari vitro oblongo exceptum, impoſito & bene conglutinato Alembico & antepoſito Recipiente majuſculo itidem conglutinato deſtilletur inde ſpiritus vini in balneo mediocriter calente non fervido donec Eſſentia in fundo remaneat inſtar picis liqvidæ. Hæc per ſe conſervetur in vitro bene obturato & ſpiritu vini per ſe alterato. Poteſt autem ſpiritus vini vel denuo uſui eſſe in ulteriore ejusmodi extractione ſemel atq; iterum, ſic redditur præſtantior ut reſervetur loco Aqvæ vitæ præſervativæ in talibus morbis, præſertim ſi ter vel qvater dicto modo exaltata fuerit. Eſſentia vero qvamvis per ſe efficax & multo plus qvam ipſa Theriaca, tamen ut univerſalis ſit in omnibus morbis contagioſis & Epidemicis præſertim peſtilentialibus, ſic graduanda.

Accipiatur ſulphur è colchotare pure qvater ſublimati $\frac{1}{4}$ lib. pars. Hinc ſuper infundatur in vitro (ut prius) tantum de oleo Juniperi pure deſtillato, ut etiam tribus vel qvatuor extet digitis ponaturq; in fornace cinerum tepido digerendum ad octiduum, do-

nec maximam partem ſulphuris ſublimati in ſe oleum reſolverit tinctura rubicundiſſima. Separentur ut prius & de reſiduo Eſſentia nimirum ſulphuris addatur is priori Theriacæ extracto portio ejus duodecima, ita ut Thericæ Eſſentia tot vicibus exſuperet. Oleum vero Juniperi reſiduum & aliqvatenus ſeparatum per deſtillationem reſervetur in plurimos uſus longe efficacius qvam antea. Poſtea addatur de extracto Angelicæ, Abſinthii, præſertim ſale Karabes albi qvaſi vigeſima qvarta pars iisq; ſimul junctis & unitis digerantur omnia denuo tepido calore balnei per octiduum, ſuperaddita ſi lubet aliqva parte ſpiritus vini prius extracti, ut promptius miſceantur & uniantur qvi ſicuti antea per novam filtrationē & deſtillationem inde ſeparari poteſt, donec liqvida remaneat materia omni auro in ſua qvantitate & pondere præſtantior, qvam ſi tamen adhuc magis exaltare libet & adhibere ad plures morbos humanum corpus infeſtantes, debilitantes & deſtruentes qvotqvot ſudorifici confortativo propelli poſſunt, qvalis eſt dimidia ferme omnium eorum pars, ſic agendum.

Accipiatur Regulus ♁ in reverberatorio fixati poſtqvam inſtar Alcohol per cucurbitam

ram ferream inclinatam forti igne tranſivit. Figi autem debet in reverberatorio clauſo ſucceſſive aucto calore, donec volatilitatem & Mercurialem corroſionem amiſerit ignemq; candentem ſuſtinere poterit absq; fumo. Tunc amplius ſenſibiliter non purgat neq; per ſedes neq; per vomitum, nec ullam movet nauſeam aut corpus qvoqvo modo debilitat, ſed ſolummodo lenem (opus ubi fuerit) ciet ſudorem, obſtructiones omnes aperit, febres omnes pellit ante paroxysmos ſumptum, omnem ſangvinis immunditiem tollit & morbos ex hac prognatos, ſuperatq; multis modis Panacæam nunc toties decantatam, eſtq; omnino innoxium per ſe medicamentum atq; inſtar ſacchari aſſumi poteſt etiam in magna doſi. At non opus eſt in dictis morbis niſi 9. aut 12. gran. dare in convenienti liqvore, & ſudorem (ſi natura volet) procurare purgato prius antecedentibus diebus corpore, ſi nimis ſcateat humoribus idq; levi ſolutivo ne medicina tam præſtans in iis ſubmergatur. In Epidemicis vero de qvibus nunc agitur addetur ejus pars decima ſexta vel viceſima priori eſſentiæ & miſceantur qvam diligentiſſime. Poſſunt inſuper addi hæc confortativa excellentiſſima.

Tinctur. ☉ non corroſiv. ſcrup. ſem.
Reſolut. ☽ ſine corroſiv. ſcrup. j.
Margarit. reſolut. & dulc.
Tinctur. Corall. an. ſcrup. ij.

Hisq; cum prioribus ſimul mixtis & bene incorporatis additaq, fragmentorum ſapphiri reſolutione (ſi haberi qveat) in guttis ſolummodo 12. vel 16. evadit medicamentum contra morbos prædictos aliosq; multos adeo præſtans, ut vix habeat qvod illi conferri poſſit, & in parva doſi tam præſervat qvam curat absq; omni detrimento, non debilitando naturam ſed confortando.

2. Pro Morbis Epidemicis & huc pertinentibus.

SUmatur pro corpore Vitrioli Ungarici magna copia lib. circiter 20. Exſiccetur, depuretur per aliqvot continuas ſolutiones & exſiccationes, donec maximam partem fæcum terreſtrium qvibus ſcatet amiſerit. Poſtea indantur cucurbitæ terreæ lutatæ, qvæ ignem ſuſtinere poteſt lib. iij vel iiij, prout cucurbita ferre poteſt, & appoſito maximo recipiente impellantur ſucceſſive in Athanore ſpiritus non ſaltim humidi, ſed & ſicci donec colchotar in fundo remanens nul-

nullos amplius emittat. Refundantur iidem ſpiritus tam humidi qvam ſicci ſuper idem Colchotar prius contuſum, ut in nova cucurbita denuo ut prius fiat ſpirituum in Recipiens magnum impulſio idq; repetatur ter vel qvater. Poſtea liqvor in Recipiente remanens infundatur vitro oblongo & ſimul affuſo ejus qvantitatis ſpiritu vini optimo qvi phlegmate careat. Fiat digeſtio concluſa vel in fimo eqvino calido vel etiam in balneo per ſpatium menſis ut liqvor Vitriolatus] ſuas interiores fæces deponat, ſpiritum vini imbibat & aſſumat. Qvibus per filtrationem ſeparatis & deſtillato inde in balneo lento ſpiritu vini, manet in fundo eſſentia vitrioli pręſtans, qvę tamen qvo hęc qvę dixi de ſpiritu vini ſæpius reiterantur eo præſtantior evadit. Nam ipſe ſpiritus vini amittit ſuam virtutem & phlegmaticus redditur tribuendo eam eſſentiæ vitrioli illamq; corrigendo, purgando & maturando. Hic liqvor vitrioli depuratus non admodum acris & amarus (ut alias) ſed ſubdulcis in parva doſi & convenienti liqvore aſſumptus emendat & ſanat morbos iſtos de qvibus dictum, tum qvoq; omnes alios morbos cerebrum graviter infeſtantes undecunq; tandem obortos. Corroborat etiam

ſtomachum & principaliora membra non parum, morbisq; mulierum præſenter ſuccurrit ſive ex palpitatione aut huic connata ſuffocatione obortis. Poteſt autem exaltari & univerſalior reddi ſi ipſi addantur hę Extract. vel Eſſentiæ Corallorum rubrorum, Marg. Cranii Microcosm. recent. qvod terram non attigit. Spodii, Raſur. Ebor. Sandal. Lign. Aloës. Viſc. Qvercin. Rad. & Sem. Pœon. Spiritus Camphor. Extract. Hyperic. atq; ſimilium qvæ ex ſpecifica natura hæc conducunt, ita ut extracta & depurata & ſimul juncta pro tertia parte cum ſupradicto Vitrioli liqvore jungantur miſceantur & per aliqvot ſeptimanas digerantur. Poſtmodum abjectis fæcibus ſubſidentibus reſervetur liqvor ſive Eſſentia incomparabilis, qvæ in parva doſi curat omnes morbos qvi vel Epilepſ. vel Apoplex. aut Paralyſ. nomine aliorumq; ſimilium veniunt. Si additus fuerit ad digerendum liqvor ☽ viridis aut cæruleus pro centeſima ſaltem parte totius liqvoris extracti & depurati, credi vix poteſt qvantum augeatur virtus medicamenti non ſolum in dictis morbis ſed omnibus cerebri affectibus. Poteſt etiam ex ipſo vitriolo optimo Romano vel Ungarico, aut qvod magis præſtat Cyprio & Perſico (mo-

co (modo haberi qveat) parari liqvor præſtantiſſimus, ſive oleum qvoddam ſubdulce ſvave & odoriferum atq; pellucidum qvod non ſaltem hos morbos de qvibus nunc dictum, ſed etiam multos alios peneq; omnes humani corporis affectiones corrigit & curat, qvatenus non omnimodo incurabiles ſunt. Habet etiam vitriolum in ſe occultam qvandam & ſpiritualem ſolis naturam, ita ut non minus qvam ſolis Eſſentia ſive tinctura aut liqvor potabilis (qvando hæc ſubtiliter absq; nocivis additamentis haberi qveant) confortando naturam ea qvæ ipſi obſtaculo ſunt propellit, imo in qvibusdam plusqvam ipſa ſolis tinctura cum ſua ſpiritualitate citius & magis penetret & membra principaliora petat & corroboret. Ejus autem præparatio breviter & ſummatim expoſita in hunc ſe modum habet. Vitrioli ſelectiſſimi ejus generis de qvo dixi capiantur lib. ad minimum 40. qvod in vaporario primum usq; ad albedinem exſiccatum reſolvatur limpida aqvâ & abjectis fæcibus denuo incraſſetur atq; leniter exſiccetur idq; fiat multis vicibus, donec exteriores & craſſiores fæces amiſerit. Poſtea in reverberatorio clauſo vaſculis fortibus & ſpirituum penetrationem non admittentibus

incluſum & bene obturatum digeratur mediocri calore ſucceſſive aucto donec rubedini appropinqvet. Poſtea aceto ſtillatitio reſolvetur & lavetur, ut prius aqva denuoq; exſiccetur, & paulo fortiore calore occluſo tum reverberetur, ut prius per dies 14. idq; repetatur aliqvoties, donec interioribus etiam fæcibus liberatum ſit. Poſtea autem in poſterioribus ſolutionibus cum aceto deſtillato miſceatur in dimidia qvantitate ſpiritus uini depurati & tandem in ſolo ſpiritu vini fiat reſolutio ter vel qvater, interpoſita ſeparatione, exſiccatione, & digeſtione, lentiore tamen calore qvam antea, idq; in vitris bene lutatis & obturatis, donec vitriolum rubicundiſſimum & puriſſimun redditum deſtillationi aptum ſit, qvæ fieri debet in vitro firmo etiam lutato, in calidis cineribus ſucceſſive aucto igne, donec totum oleum illud præſtantiſſimum & rubicundiſſimum per alembicum aſcendens in antepoſitum magnum receptaculum vitreum deſcenderit relicto in fundo Sale albicante, cui deniq; denuo conjungi poteſt atq; per digeſtionem menſtruam ſublatim uniri, rurſumq; ſi lubet inde deſtillari, aut ſimul manere permittendo cum ſuo ſale efficaciter, ut dixi, eo uti potes,

Digitized by Google

tes. Si recte paraveris atq; inveneris age DEO gratias.

3. *Pro morbis cutem & ſangvinem infeſtantibus; qvalis eſt ſcabies, Inveterata Lues ♀, Elephantiaſis, & ſimiles.*

HI qvi ſunt morbi & qvotqvot ſub eorum ſpecie comprehenduntur potisſimum ☿ curantur non tamen vulgari modo præparato, ſive in unctionibus nocivis & periculoſis ſive præcipitationibus & Turbithis corroſivis & ſimilibus operoſis præcipitationibus qvæ ſæpe plus damni qvam commodi afferunt. Verum in hunc modum fiat ejus correctio, à Venenata natura liberatio, & ubi noxium eſt medicamentum reſtitutio.

Primum ut exteriores fæces deponat per corium (ut fit truſus, & aliqvoties ſale & aceto lotus poſtmodum more ſolito ſublimetur & revificetur in aqva dulci appoſitis laminibus ♂, denuoq; exſiccatus ſublimetur, vivificetur; idq; ad minimum qvater, donec interiores ſuas fæces pro majori parte amiſerit. Poſtmodum impoſitus phiolæ vitreæ oblongæ qvæ luto inferiore ſui parte munita ſit. Superindatur illi de optimo oleo vitrioli qvod depuratum ſit qvater tantum pon-

 dere

Digitized by Google

dere prout is habet, & clauſo vitri orificio fiat digeſtio per octiduum in cineribus calidis. Poſteaq; deſtillato inde oleo vitrioli in arena calida, remanebit ☿ in fundo albus ut nix. Cui ſuperinfuſa aqva alia ſtillatitia puta Roſarum vel qvacunq; alia, attrahit ſtatim in ſe qvicqvid ſalis è vitriolo, ☿o adhæret, & per decantationem reiteratam interpoſita exſiccatione, ipſum omnino dulcificat ita ut corroſivis expers ſit. Id enim ter vel qvater repetatur eo magis figitur & depuratur ☿, donec tandem in igne non admodum forti liqveſcat ut Cera absq; fumo: tumq; periculo vacat. Et ij. vel iij. gr. aſſumptis in convenienti aliqvo corpore per ſolos ſudores morbos dictos curat; niſi cum major adſit pituitæ viſcoſitas, tunc etiam ab iisdem ſine periculo per convenientia emunctoria liberat. Augetur tamen præſtantia medicamenti, & univerſalius redditur ſi in pari pondere miſceatur illi ♁ pulvis fixus, de qvo antea dixi & aurum extractum ſive pulvis Diaphoreticus non corroſivus ita ut hæc tria æqvali pondere & conjuncta & mixta, ſuper infuſoq; denuo oleo Vitrioli puriſſimo digerantur ſimul per menſem in mediocri & continuo calore, deſtillatoq; inde oleo (uti

an-

antea) materia reſidua dulcis reddatur per aqvas aliqvas puras & ſtillatitias aliqvoties decantando, uti etiam prius indicatur, donec pulvis exſiccatus & ſubrubeus omnis ſit amaritudinis expers, guſtuiq; acceptus. Is per Excellentiam curat qvos dixi morbos, ſangvinem repurgat, humores noxios conſumit, omniaq; extremarum partium ulcera & cutis vitia tollit, ipſum ☿ pulverem de qvo antea dixi, licet maximarum ſit virtutum, ſuperat. Qvi hæc tria autem dicta ita præparare didicerit, tres partes omnium morborum humanum corpus infeſtantium modo opportune etiam adhibere cæperit qvaſi universaliter curabit. Reſtant ſolum qvi ex podagricis fluxionibus & hydropicis atq; ſimilibus qvi è ſalium reſolutione non naturali & intempeſtiva aut eorundem concretione importuna originem trahunt, qvi aliis mediis pro majori parte curandi & levandi ſunt; Modo malum non nimis alte radices egerit omnesq; vires naturales deſtruxerit ut plene ſit incurabile, qvod & in cæteris intelligendum venit. Nam talia mala & divinitus peculiariter inflicta non niſi à ſolo Deo immediate ubi voluerit curantur. Poſtqvam hæc in librum Dn, HENRICI RANTZOVII inſcribi curaſſem

raſſem ita ut tria folia in folio iis complerentur conveniente loco qvarum rerum medicinalium vulgarium Teutonice ſcriptarum anteq; novus de iisdem inciperet tractatulus, ea qvæ ſeqvuntur verba, altera hujus paginæ parte inſcribi curavi. Diſticon v. illud & nomen meum qvæq, ſeqvuntur ipſemet propria manu annotavi: Habes mi Dn. HENRICE RANZOVI affinis & amice dilectiſſime, qvæ hoc tempore tibi & tuis communicare è ſecretis artis Pyronomicæ concedebantur qvæ licet cuivis intellectui obviam non ſint. (ſiqvidem reqvirunt tractationis experientiam & praxin) fieri nihil ominus poteſt ut alicui è tuis ſucceſſoribus, ſi non tibi ipſi hæc uſui ſint futura. Nam dies diem docet, & omnia tempus habet. Cætera qvæ Dei dono diutino labore ſumptu & experientia explorata habeo ſi qvæ ſcire aves, non celabo ſolummodo expectem ut tibi & tuis intimis ſecreta (qvalia etiam ſunt) conſerventur, ut ut

Talia

Digitized by Google

Talia me patrias fecere relinqvere ſedes
Sic juviſſe nocet; non nocuiſſe juvat.

TYCHO BRAHE Ottonides
manu propria.

Die 13. Decembr. Anno Chriſti 1597. qvi mihi ante Annos 51. completos fuit natalis.

Ex Muſæo D. Erasmi Bartholini.

LOCULUS XI.

Epiſtola D. ANDREÆ KRAGII Prof. in Academia Hafn. ad D. Sigismundum Schnitzerum,

De Chymicis qvibusdam remediis.

QVibus in locis, & qva felicitate vitam tranſigas, Doctiſſime Schnitzere ignoro: qvandoqvidem ad noviſſimas meas nihil reſponſi dediſti: nec etiam D. Petrus Ivo noſter poſtqvam in patriam rediit, conſpectus mihi eſt. Nihilominus nactus hanc commoditatem ad te ſcribendi, & exiſtimans Johannem Mulenum Te inter alios doctos ſalu-

ſalutaturum, haſce tibi inſcribendas judicavi literas, & tuis denuò reſpondendum. Qvod in chymicis præparationibus & medicamentis aliqvalem utilitatem in medicina facienda colloces, pergratum mihi eſt. Ego ab iis non prorſus abhorreo, qvorum inſignes fructus qvotidie percipio. Sed cautio adhibenda eſt: ut Paracelſica medicamenta temperentur & propinentur methodo Galenica, & ne temerè fidem omnibus adhibeamus præparationibus, aut ex una in aliam dilabamur. Morbi Gallici curatio per decoctum ligni ſancti, ſi malum radices agit, qvam ſit vana & futilis, periclitantur ii, qvi eo infeſtantur, & præcipuè in hiſce regnis ſeptentrionalibus, ubi viſcoſi humores rarò tranſpiratione evacuantur. Præfero ſal ſenæ, & ſal ex ligno Guajaco, qvamvis ne hiſce qvidem ubiq; cedit lues Venerea, qvæ olfacio qvibusdam Viris utilia & grata. Qvod mihi gratularis aulicum jugum, id ego hactenus, qvibus poteram modis, & mediis fugi & evitavi: qvi longè commodiorem meis ſtudiis conditionem repperi: qvamvis ſæpius invitus in aulam avocer. Doceo in Academia Hafnienſi Phyſicam, pro harum regionum conditione ſtatuq;, ſtipendio 300. thalerorum non contemnen-

temnen-

Digitized by Google

temnendo. Præter ſtipendium ex munificentia Regia habeo 120. thaleros, qvos amici in aula mihi vivo Rege impetrarunt. Ita magnam partem temporis, ſtudiis meis ut tribuam, licitum eſt. Una tamen pars chymicis datur præparationibus medicamentorum nobis ſeptentrionalibus inſervientium. Tuæ autem res qvo in ſtatu ſint, prima qvavis occaſione doce: ut communicatis tam in ſtudiis Philoſophicis qvam arte Medica conſiliis DEO proſimus & patriæ. Johannes Mulenus amicus & affinis meus intimus utroq; ſtudii genere magnopere delectatur. Boni parentis optimus eſt filius. Hic ſi in te inciderit, rogo benignè illum excipias, & ſi tuæ ferunt conditiones illum ad domeſticam tuam converſationem & in diſciplinam admittito. Gratus tibi erit Diſcipulus & de ſolutione noli eſſe ſolicitus. Fac in illo appareat, qvanti me facias. Ego faciam, ne ullum amici officium in me deſideretur. Hafniæ Feſto Annunciationis Mariæ 1600.

P. S. D. Petrus Ivo, ut audio, brevi ducturus eſt uxorem honeſto loco natam: conditionem commodam facilè inveniet & ſtabilem: cum feliciter apud Nobiles Cimbricos Medicinam faciat. M. Johannes Reſenius

nius cum laude profitetur in Academia Logicam & ſtipendio mecum pari. Præterea nihil.

De morbo & morte ejuſdem KRAGII D. Petrus Johannes Wiburgius in Epiſt. ad Schnitzerum 24. May. 1600.

CUm KRAGIO hiſce diebus fui & monſtravi literarum tuarum partem de itinere: reſpondit ſi te mecum adducere poſſem extructurum ſe 4. fornaces celerrimè, & demonſtraturum nobis mirabilia arcana in deſtillationibus chymicis. Ubi non eſt ocularis demonſtratio, & manualis operatio indefeſſa, nihil eſt. Qvæſo ora Deum mecum pro eo, periculoſisſimè enim catharro, ad pulmonem deſtillante, laborat, deſperavit diu de vita, & morbi diuturnitatem metuit) ut aliqvantulum, ad divinum tamen ejus beneplacitum, vita ipſi prorogetur: Qvam ſit fidelis amicus, & ſyncerus, ſatis ſcribere non poſſum. Qvæſo reſcribe de conventus noſtri conſilio. Lubeca uno die vento ſecundo Hafniam venire poſſemus. Ibi doctorum chorus. De te qvæſivit Finkius, ubi eſſes, qvid ageres, &c. Kragius mihi partem flor. Antimonii non con-

contemnendam dedit. Datur ſcrup. ſem. cum Aq. Card. Bened. in febrium receſsionibus & ſtatim ſanantur.

Idem ad eundem Wiburgi 4. Octob. 1660. Facere non poſſum, qvod cum ſummo mœrore ſcribo. Kragius valedixit. Vix credas, qvantum in homine iſto amiſerim. Cum me te adducturum affirmarem, gaudio exiluit, multaq; præclara promiſit, nec dubito, qvin præſtitiſſet, ſi lucis hujus uſura longior ipſi contigiſſet.

Edidit D. Andreas Kragius,

1. Rameæ Scholæ, & Defenſionem P. Rami, contra Georgii Liebleri calumnias, in Epitomen octo librorum Acroamaticon aſperſas. Baſileæ apud Henricpetrum 1582. in 8.
2. Lauream Apollin. Monspelienſem. Baſil. 1586. in 4.
3. Analyſin Epiſtolæ Horatii ad Piſon.
4. De Elenchis Sophiſticis Ariſtotelis.

Digitized by Google

LOCULUS XII.

Vita D. PETRI SEVERINI ex Programmate Rectoris Academiæ Hafnienſis.

D. PETRUS SEVERINI natus eſt Ripis ANNO M. D. XLII. parentibus honeſtiſſimis, Patre qvidem Severino Jeſſæo civitatis illius Senatore, Matre Botilda Severini; qvi filium hunc ſuum à teneris, ad humanitatem, virtutem & ſanctitatem admodum ſollicitè in patria Schola inſtitui curarunt. Succreſcente verò ætate & judicio in Academiam Hafnienſem ab iisdem transmiſſus eſt. Ubi brevi temporis ſpacio tantum in liberalibus diſciplinis profecit, ut vel ante annum ætatis 20. dignus judicatus ſit cui publicè in hac Academia docendi munus concrederetur. Docuit ſiqvidem tunc temporis aliqvamdiu Poëticam. Hinc in Galliam profectus eſt Anno 1562. Qva peragrata Hafniam rediit Anno 1565. ubi doctrinam de Meteoris magna cum admiratione & auditorum commodo profeſſus eſt. Sed cum ad rei Naturalis & Medicinæ ſtudium ſingulari qvodam naturæ impetu propenderet, hinc in Italiam, adjuncto ſibi fideliſſimo Achate Dn. D. Iohanne Pratenſe noſtro qvondam Collega

lega chariſſimo, conceſſit. Ubi cum ſingularem in arte Medica progreſſum feciſſet, in patriam rediit operam ſuam eidem elocaturus. Cui intentioni aliqvamdiu, non levi induſtria deditus, cum adhuc penitiori rerum naturalium experientia acqvirenda ſummopere teneretur, Italiam haud longe antea relictam rurſus repetiit, praxeos Medicæ illic exercendæ gratia. Qvam non illic tantum & potiſſimum Venetiis, ſed & in celeberrimis Germaniæ urbibus poſtea ita feliciter exercuit ut magnam ſui admirationem & amorem in omnium animis concitarit. Qvæ excellentis ingenii fama, cum Sereniſſimo Regi noſtro, FRIDERICO II. Principi æterna memoria digniſſimo, innotuiſſet, in patiam ipſum revocari curavit Anno 1570. cujus mandato accerſitus, patriam omnibus aliis locis, cui operam ſuam locaret, præferendam cenſuit. In itinere domum verſus, dum Galliam tranſiret gradu Doctoratus Anno 1571. ornatus eſt. Eodem Anno Ideam Medicinæ Philoſophicæ medullam, ſeu ſangvinem & ſpiritum totius doctrinæ Hippocraticæ, Galenicæ & Paracelſicæ continentem, Baſileæ in publicam lucem edi curavit. Ex qvo vel unico ſcripto, qvanti judicii, qvan-

tæ eloqventiæ, vel eo tempore extiterit, omnes cordati cenſores facilè æſtimabunt. Eodem Anno in patriam rediens Regiæ Majeſt. ſe addixit, cujus ab eo tempore Archiater fuit, atq; ob ſummam induſtriam & fidelitatem in tam arduo munere ipſius Majeſtatis gratioſo favore & clementia ſemper uſus eſt. Cæterum Anno 1583. nuptias celebravit cum honeſtiſſima & lectiſſima femina Druda Thor Smeden, cum qva in fæcundo matrimonio filias qvatuor & totidem filios progenuit. Academiæ noſtræ magno ſemper adjumento fuit in multis rebus graviſſimis, ut ſperaverimus & exoptaverimus ipſum aliqvando Collegam nobis, ſi fata benigniora voluiſſent, adſcitum & conjunctum iri, qvanqvam ipſe qvidem ordini noſtro re & conſilio ſemper fuit conjunctiſſimus. Obiit peſte Anno 1602. 28. Julii. Sepultus in Templo Divæ Virginis Hafniæ in Sacello D. Rochæ, ubi ejus hoc extat Epitaphium:

D. O. M. A.

CElebritatis ſplendore & immortali memoria Viro longè digniſſimo

mo DN. PETRO SEVERINI Rip. Phil. ac Medic. mira excell. aliarumq; ſcientiarum & virtutum præſtantia omnib. ordinib. ſummè charo duor. pot. Regum Dan. Patris & Filii Archiatro Can. Roſch. qvi in ſacello poſtico cum lectiſſ. Conjuge & liberis ſepulchro & Epitaphio honoratur, tabellam hanc perpetui ſui deſiderii teſtem.

GR. P. GEN. I. CH.

Occidit heu toties tua qvi victricibus armis
Mors celeri docuit cedere tela fugæ:
Invicto aſt animo victus mortalia morti
Liqvit & æthereis haud peritura Choris.
Prælia ſic victo victrices dura trophæos
Et cœlo atq; ſolo conſtituere decus.

Illic Aſtrigenas inter victure cohortes
Perpetuum hic vivo nomine Petre clues,
Quæ vita interiit fuit hæc melioris origo
Grataq; ſupremo eſt reddita præda Deo.

P. ANNO M. DC. XV.
Menſ. Novembr.

CLariſſimo Præſtantiſſimo Viro PETRO SEVERINI Ripenſi, Ph. & Med. D. Ser. Reg. Dan. Divi Friderici II. & R. Chriſtiani IV. Archiatro Clementiſſime Charo Canonico Roſchildenſi Univerſitatis Hafn. in juvent. Profeſſori & in ſenectute deſtinato, & Honoratæ Matronæ Drudæ Thor Smede Conjugi ac V. liberis ſepulturæ commiſſis, qviete hic una fruentibus.

G. P. P. G. E. F.

Con-

Digitized by Google

COndita ſub placido ſenſerunt funera recto
Heu nimium immitis tetrica jura necis:
Perpetua dignum, vitali ſuſtulit aura.
Artis Apollineæ, gloria ſumma Virum;
Pieridumq; jubar, nulli hac ætate ſecundum,
Ut monumenta dabunt, utq; dedere fidem:
Fæmineæ virtutis honos, pietatis ocellus
Conjunx, fata ſeqvi dura, coacta fuit;
Æmula pars ſtirpis, qvoq; proles qvina, parentum
Spes magna occubuit, ſorte ſubacta pari:
Qvid meritos luctus ſolabitur? inclyta cœli
Gaudia, qvæ meritis ſunt data Chriſte tuis:

Digitized by Google

Exuvias etenim qvas hoſpita continet urna,
Sacratas, Vitæ reddet aperta novæ.

PIISS. OBIIT
D. PETR. SEVERINI 1602. Jul. 29.
AN. 62.
DRUDA THOR SMEDE 1610.
Sept. 21. AN. 43. M. 5. D. 2.

LIBERI DEFUNCTI
SOPHIA. Ao. DNI. 1594. Sept. 3.
AN. 3. M. 3. D. 5.
BOTILDA Ao. DNI. 1596. Sept, 22.
ÆT. M. 7. D. 3.
REINHOLDUS. Ao. DNI. 1597.
Oct. 21. ÆT. M. 9, D. 13.
SEVERINUS. Ao. DNI. 1602. Sept, 11.
Æt. 3. M. 3.
JOHANNES. Ao. DNI. 1603. Jan. 3.
Æt. 3. M. 2. D. 5.

FILIA GIESA NUPTA: M: I: IN ÆD. S: SP. SEPULTURA DATA.

IN

Digitized by Google

IN PUERP. OB: Ao. 1613. Jul. 2. Ao. ÆT. 18. MENS. 8. D. 2:

Vita Drudæ Thorschmeden Conjugis D. Petri Severini ex Programmate Rectoris Academiæ M. Johannis Erasmii.

Druda Thorschmeden nata erat Anno 1567. Flensburgi in Ducatu Sleſvicenſi honeſtiſſimis & optimis parentibus; Patre qvidem Reinholdo Thorſchmeden, civitatis illius Senatore primario ac prudentiſſimo; Matre verò Geſa Langia, matrona lectiſſima. Domi autem ab utroq; ad omnem pietatis, virtutis, caſtitatis, ac modeſtiæ elegantiam educata, donec Anno 1583. Clariſſimo ac Doctiſſimo Viro D. Petro Severino Regio tum Medico de parentum conſilio nuberet; Qvo in matrimonio & tranqvillè & inculpatè vixit paulo ultra 19. annos. Qvam interea Deus Optimus Maximus ita benedictione ſua auxit; ut mater facta filiorum 4. & totidem filiarum hac benedictionis divinæ piis promiſſæ parte qvàm maxime gauderet. De qvibus tantum ſuperſtites adhuc reliqvit filium unum in Germaniæ Academiis bona-

rum artium ſtudiis vacantem, (D. *Friðericum Severinum, poſtea Medicinæ Doctorem Hafnienſem.*) & filias duas præſentes mœſtisſimas, (*qvarum una Anna, nupſit Conſultiſſimo Viro D. Jonæ Chariſio, Mater Nobiliſſimi Petri Chariſii Ser. Reg. Maj. Dan. apud Præpotentes Ordines Hollandiæ Reſidentis.*) Poſtqvam vero ipſa ante octennium, dilectiſſimum præmiſiſſet maritum: luctu hactenus non depoſito viduam vitam in veris pietatis, charitatis virtutumq; aliarum exercitiis egit, defuncto marito, honeſtiſſimis liberis, & vidua matrona digniſſimam. In qvo ſtatu hactenus annuo plus minus ſpacio, morbo lento qvidem; ſed paulatim incrudeſcente correpta, ſe vitamq; ſuam DEO ter Optimo Maximo, & Chriſto Redemtori commendans, in vera pietate & precum ardore placidiſſimè 21. Septemb. obdormivit; Vitæq; hujus moleſtioris ærumnas cum beata illa in cœleſti paradiſo tranqvillitate commutavit. P. P. 23. Septembris ANNO 16610.

Epi-

Epiſtola PETRI SEVERINI ad BONGARSIUM,

Qva operum ſuorum excuſat ſuppreſſionem.

SCriptorum Chorus omnis amat Nemus & fugit urbes; Tu me inter ſtrepitus nocturnos & diurnos vis canere & contracta ſeqvi veſtigia vatum. Non alia excuſatione apud te hac vice utar Nobiliſſime Domine Bongarſi, nec tempora præſentia, nec occaſiones ſcribentis induſtriam exacuunt. Qvantum debeam poſteritati & ſtudiis Philoſophicis novi, & abunde teſtatus ſum juvenis, etiamnum liber, ab aulæ ſtrepitu immunis. Qvod ſi liberalitate promiſſionum nunc urgear, ſortis humanæ condicione involutus, ſuſpirabo, & debitum ætatis imprudentia attractum, cui jam communi ad gratiam lege ignoſcitur, benigne deprecabor. In hoc me conſolor, per me non ſtetiſſe multis abhinc annis qvo minus expectationi multorum ſatisfacerem, ſed multa volentem & molientem, fatorum inclementia ab opere revocavit. Interea non penitus adhuc curam animumq; abjeci. Verſantur in manibus meis ſcripta qvædam philoſophica, qvæ fortaſſis ſuis temporibus prodibunt. In his regno-

regnorum & imperiorum colliſionibus qvis mortaliũ chartas philoſophicas inſpicere vellet. Sunt vices temporum & occaſionum, in ipſis temporibus oportunitates, qvibus cœleſte numen ingeniis affulget. Ad qvas ſtabo accinctus in vigilia mea, non commiſſurus ut mea ſocordia deficiat oleum curæ & ſedulitati meæ commiſſum. Si multos haberet ætas noſtra Bongarſios, id eſt, bonos, candidos, præclarè & ſolidè doctos doctorumq; amantiſſimos, plurimum levarentur lucubrationum noſtrarum tædia. Nunc veremur ne ea ſit futura conditio vigiliarum noſtrarum, qvæ eſt ſæculi hujus (rerum à communi facie remotarum averſatio) ne capſa aperta deferantur in vicum vendentem piper thus & odores, & qvicqvid chartis amicitur ineptis. Vale Vir Excellentiſſime, cujus ego ſalutem & incolumitatem æterno DEO ex intimo corde commendo.

Tuæ Excellentiæ

Obſervantiſſimus

PETRUS SEVERINI.

Ad

Digitized by Google

Ad Dn. PISTORIUM Epiſtola ejusdem Severini.

POſteaqvam in patriam reverſus, aulæ Reg. comes factus ſum, tot negotiis in horas implicor, ut nec Philoſophos conſulere, nec proprietatum ſeparationes, & exaltationes, ignis adaptatione adminiſtrare poſſim. Qvamvis autem ſpecificis qvibusdam remediis à me præparatis non ſine felicitate, & artis honore freqventer utar, tamen in iis animus acqvieſcere non poteſt: ſcilicet deſiderio illius diu prævíſæ medicinæ mirum in modum flagrat, & fore confido, ut votis noſtris tandem reſpondeat eventus. Primas certè ſpes confirmavit fortuna, optatisq; ſucceſſibus demonſtravit medendi indicationes, à Paracelſo introductas, & à nobis clarius expoſitas, longè ſuperare faſtidioſas Galeni Methodos. Secundas qvoq; ſpes, niſi animus ex non ente in Entis ſuſpicione devenire poteſt, neqvaqvam fallet. Interea ſi canum latratus, & iniqvorum hominum immeritam rabiem effugere neqveo, humanam vicem plurimum doleo, qva benè merita fatali ſorte, ſiniſtrè ab ingratis excipiuntur. Qvid qvæſo reprehendere poteſt verbalis ille Philoſophus, hymonymiis

nymiis inexplicabiliter implicatus, in rebus Naturæ gremio abſconditis, qvæ explicari & erui non poſſunt ſine multa Philoſophia, & ignis experientia? At qvid intelligere poteſt, dum inqvinatum animum tantum contemplationi, & lectioni accommodat. Operæ precium eſt cum Horatio canere: Odi prophanum vulgus, &c. In doctrina Elementorum, qvorum clarè oſtendi differentiam, primorum & permixtorum proprietates expoſui, & obſcuriſſimæ contemplationi lucem adhibui. Qvoties æqvivocatione maligne ſeductus, inſectatus eſt elementa mea, & ipſius Naturæ? Qvid illi in mentem venit, dum vacuitates ſcholaſticas, dimenſiones, inviſibilitates, incorporeitates (licet nunc ita loqvi) cum noſtris proprietatibus, in Natura ſedem, ac ſcientiam habentibus, æqvivocè tot locis contulit? deniq; principium ubiq; petere videtur, dum ex communi Philoſophia & Medicina, qvia aliam non didicit, adverſus illos diſputat, qvi illam negant, & meliorem oſtendunt. Optarem ſanè de hac controverſia tuum audire judicium, & qvæ eſſet ſententia celebriorum Medicorum in Germania, averem ſcire. Si enim talis diſputandi ratio ipſis placuerit, receptui nobis

con-

Digitized by Google

confeſtim cavendum eſt. Natura ſilentium amat, & Deus contentioſos execratur. Satis ſuperq; Theologorum vicem hiſce temporibus doluimus. Tacitè paſci, qviete vivere tutius eſt, niſi veniens ætas judicium mutaverit. Et tunc qvoq; ad vindictam ſupererunt dies. Vale.

De D. Petro Severino Epiſtola Johannis Paludani Medici olim Reginæ Daniæ Viduæ, poſtea Urbis Viburgenſis ordinarii, ad Henricum Smetium Med. Prof. Heidelb.

Literas tuas ſecundas, Vir Clariſſime 20. Martii 1605. datas pridie aſcenſionis Domini accepi, in qvibus petis, ut tibi de ſucceſſu Panaceæ Doctoris Petri Severini, ejusdemq; effectu ſcriberem; Et an omnes, qvos in literis tuis nominas morbos incurabiles nempe, ac deſperatos, curare potuerit: Idq; à me præſertim petis, qvod me cum illo in aula Danica vixiſſe, & communes ſæpe ægros habuiſſe exiſtimes. Ad hoc reſpondeo: Me non in aula Regis, ſed Reginæ Matris vixiſſe: qvum D. Petrus, una cum Doctore Martino Æditui in aula Regis Friderici

rici viverent, & unicum tantummodo cum illo me in aula Reginæ, nam hic in Jutia communem habuiſſe ægrotum, in qvo unanimiter non medicamentis uſi ſumus, ſed prognoſtico, cujus eventus veritatem demonſtravit.

Qvod inqviris de miraculoſa & certa deploratorum (& incurabilium aliis) affectuum curandorum ſolertia & ſucceſſu (qvamqvam homini docto, & apud multos magni habito, nihil detrahere volo) ingenuè tamen fateor, famam factis ſuperiorem.

Ad Panacæam qvod attinet, Anwaldinam imitari conatus eſt, cum per reſolutionem medicamentum hoc ingredientia inqvireret, ſed haud perfecte eſt conſecutus; nec is tantis laudibus ſuam, qvantis Anwaldinus à ſe inventam extulit.

Variis medicamentis, ad morbos varios uſus eſt, ſed ſæpe vehementioribus, in qvorum uſu hoc perſæpe evenit, qvod illis accidere ſolet, qvi ad fructuum maturationem, arborum radicibus calcem admovent. Medicamentis Paracelſicis non ſemper eſt uſus, verum & compoſitionibus Galenicis ſæpe: Sed extremis morbis extrema adhibebat remedia, Intelligenti ſatis. At cum morbus epide-

Digitized by Google

epidemicus Haſniæ multum ſæviret, circiter annum 1602. ipſe qvoq; peſte extinctus fuit.

Habes meam de Doctoris Petri medicina ſententiam, qvantum mihi de illa conſtat: qvia nec conſultationibus ejus interfui, nec ægros communes habuimus.

Non potuit autem Doctori Martino Æditu, Medico Regio, Viro alioqvin doctiſſimo, cum Doctore Petro Severino convenire, qvi eam ob cauſam in Hollandiam rediit, ac ante aliqvot annos Amſtelodami vivis exceſſit. His Vir amiciſſime cum uxore omnibusq; tuis feliciter valeto. Wiburgo 3. Junii Anno 1605.

Tuus ex aſſe,

JOANNES PALUDANUS Med. D.

In officinis noſtris uſitatus eſt hic ejus Pulvis Diaſenæ:

R. Fol. Senæ S. ſt.
Tartari albi ana Unc. ij.
Rad. Iridis Unc. ſem.
Turpith albi & gummi.
Diagridii ana Drachm. ij.

Spec. diagalangæ
Dianiſi ana Drachm. ſem.
Zinziberis
Maceris
Styracis calamit. an. Drachm. j.
miſce.

P. SEVERINI OPERA, qvæ nondum perfecta fuere aut luci donata, præter Ideam.

1. Idæa Medicinæ, impreſſ. Baſil. in Qvarto, 1571. Erfordi in Octavo. Commentariis illuſtravit M. Ambroſius Rhodius, impreſſ. Hafniæ in Qvarto 1643. Prodromum commentariorum emiſit *Daviſſonius* impreſſ. Hagæ Com. in Qvarto 1660.

2. Libellus ſine Titulo: De præparatione & ſeparatione metallorum & mineralium, &c.
Liber incipit: Duplex eſt humiditas vitioſa in metallis, &c.

3. De generationibus & transplantationibus morborum.

4. Libellus de ſeparatione virtutum ab invalido.

5. Liber Phyſicus, cui Titulus eſt, De Principiis elementis, cauſis, forma, materia.

6. De

6. De generatione & tranſmutatione mineralium & metallorum.
7. Tractatus, cui Initium eſt: Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur.

Seqventes Tractatus promittit qvoq; Autor, qvorum rudimenta qvædam manuſcripta vidiſſe ſe mihi aſſeveravit Clariſſimus *Olaus Wormius*.

1. Aſtrologica commentaria.
2. De mixtione & rerum confluentia.
3. Commentaria de Vita longa.
4. Liber de nominibus & Rebus.
5. De generatione morborum.
6. Commentarii de Febribus.
7. Paraphraſis in lib. Hipp. de Antiqva Medicina.

Hos qvoq; libros apud D. Fridericum Severinium vidit manu parentis exaratos, idem Clariſſimus Vir Olaus Wormius.

1. Confeſſio Pucciana in Qvarto.
2. Confeſſio Huberiana in Qvarto.
3. Liber Theologicus Paracelſi in Folio.
4. Secreta Paracelſi varia in Qvarto, qvæ tamen in ejus operibus divulgata eſſe arbitror.
5. Liber de præparationibus medicamento-

Digitized by Google

rum ex Gebro, Arnaldo Villanovano aliisq; Chymicis excerptus; qvi tamen nec ſtilum aut genium Severinianum redoluit, nec integer fuit, in Qvarto.

6. Fragmenta qvædam libri de generationibus & transplantationibus morborum. in Qvarto.

7. Libelli de ſeparatione virtutum ab invalido initium, ſcriptum Francofurti, in Octavo.

8. Meditationes qvædam in libros Octo Acroaſeon Ariſtotelis, item de cœlo &c. prorſus ſine methodo, & confuſè exaratæ in Qvarto.

9. Commentaria ſatis vaſta in libellum Syneſii de ſomniis. Hæc ferè extremam manum ſenſerunt, & hiſce filius vix qvicqvam habuit perfectius: in Folio.

10. Liber in qvo varia ſua ſomnia & epiſtolas congeſſit D. Petrus, in Qvarto.

11. Varia fragmenta epiſtolica D. Petri Severini ad amicos, in Qvarto.

12. Obſervationes qvædam Grammaticales. in Qvarto.

Ex omnibus hiſce nullus eſt qvi prælo committi poſſit ſine ulteriori lima.

LOCU-

LOCULUS XIII.

Vita D. ANDREÆ LYMVICI Med. Prof. ex Programmate Rectoris Academiæ Hafnienſis D. Joh. Paul. Reſenii.

NAtus eſt ille Anno M. D. XXXIIX. 18. Octobris Lymvici; qvod oppidum eſt ad extremum maris noſtri ſinum, qvi Saxoni Gr. Lymicus & Lymfiorthinus dicitur, & excurrit verſus Oceanum, in Cherſoneſo Cimbrica ſeptentrionali: non procul ab illo famoſiſſimo Arcuato promontorio: qvod fluctibus fractum, una cum Sylvula (qvæ jam nusqvam comparet) & agris vicinis, aliqvot mille paſſuum, ante annos complures cœpitq; eliqveſcere in brevia, navigantibus periculoſiſſima: qvæ ut pulvini diverſi maris magni litora cingunt longiſſimè. Pater ipſius erat Vir Clariſſimus & Doctiſſimus, Dn. Mag. Janus Andreæ F. miniſter Euangelii in illo loco; & Mater Helle Sim. fœmina honeſtiſſima. Tum de patre ipſius hoc eſt inter alia memorabile: qvod qvum Juvenis Monachus eſſet primum Arhuſii: & emiſſus à nigris fratribus in Germaniam & Italiam, ac Romam usq;, dato ipſi 200. Floreno-

renorum ſtipendio: ut confirmatior rediens, ſe alacri ingenio, qvo erat præditus præ cæteris, Luthero & Lutheranis, ſi opus eſſet, opponeret; audito in reditu ipſo Luthero & Philippo Wittebergæ, talis evaſerit, qvi monaſterium reviſere noluerit: ſed ſe dictis fratribus poſtmodum oppoſuerit cum Zelo vehementiſſimo. Hic igitur filium ſuum unicum Andream, in veritate Euangelii, ab ipſa pueritia curabat accuratè informari: ut qvum primum poſſet inſtitui in ſchola patria, rationem ipſi redderet qvavis ſeptimana totius Catecheſeos & Evangelii dominicalis: præter exercitia præcationum qvæ ipſi voluit eſſe freqventiſſima. Miſit ipſum etiam in ſcholam Alburgenſem, & deindè qvum natus eſſet annos XII. in celebriorem Ripenſem: ne qvid intermitteret, qvod ad inſtitutionem illius ætatis faceret accuratisſimam.

Qvum autem jam eſſet adultior paullò, & à bonis literis inſtructior, patre mortuo, (an. 54.) patriæ ſcholæ præficitur: in qva aliqvandiu laboravit fideliter. Indè venit in hanc Academiam Regiam anno 1561. in qva talem ſe probavit præceptoribus, & tantum profecit, tum in Poëſi, tum artibus liberalibus: ut biennio poſt ornaretur primis in Philoſophia

phia honoribus, qvibus à Laurea baccata nomen eſt; ac ita magis innoteſceret non noſtri ordinis tantum hominibus: ſed proceribus etiam regni ac Regi ipſi tandem, magno ſuo commodo. Qvum enim heic aliqvantiſper Pœdagogus fuiſſet puerorum Symphoniacorum apud Muſicum regium: regio ſtipendio inſtructus in Germaniam miſſus eſt anno M. D. LXV. Vixit igitur primum Wittebergæ magna cum laude modeſtiæ & diligentiæ: ut ibidem etiam Magiſter Philoſophiæ anno M. D. LXIIX. publicè promotus ſit. Excurrerat priore anno cum aliis aliqvot ex noſtra patria, in Italiam, ac pedibus emenſus erat iter illud magnum per Alpes & alia loca difficilima, ut Romam etiam videret: impulſus cogitatione eorum, qvæ pater prius ſe ibidem vidiſſe ſæpius commemoraverat. Poſtqvam hæc ita facta erant, ſe tradidit penitus ſtudio Medico: in qvo verſabatur annos complures, in Germania: & tandem anno M. D. LXXIV. in Galliam qvoq; profectus eſt: & cogitarat etiam reviſere Italiam, licet propter certa impedimenta id non ſucceſſerit. Tandem anno M. D. LXXVI. III. Cal. Sept. receptus eſt igitur in hanc Academiam ſtatim anno pro-

ximo & labores officii in ea auſpicatus eſt VI. Maji, qvo eodem jam ipſi funus fit.

Anno 1578. nuptias celebravit cum honeſtiſſima ſua ſponſa: DOROTHEA filia venerandi viri Petri Nicolai ſenatoris Aarhuſienſis: cum qva placidiſſimè vixit, toto hoc tempore: ſicut in converſatione cum cæteris omnibus ſemper fuit moderatisſimus. Ter geſſit ſummum Magiſtratum, in hac Academia: & ita qvidem, ut utraq; vice priore, officium ipſi, propter certas cauſas, ad biennium prorogatum ſit. Fecit interea omnia, magna cum ſedulitate, tum in prælectionibus, tum curatione infirmorum: ac præfuit etiam Communitati Regiæ, centum ſtudioſorum, annos V. non ſine magna moleſtia: & delectus, qvi curaret exſtructionem novi auditorii: ſuam omnibus probavit fidelitatem & induſtriam. Qvod autem ἄπαις eſſet & propter varias infirmitates, mortem non longè abeſſe præſagiret animus: ita egit cum hæredibus: ut bona non pauca, in perpetuum ſui μνημόσυνον, ad gloriam DEI, aliò conferre poſſet. Dedit igitur Academiæ totam Bibliothecam ſuam: inſigni copiâ librorum Theologicorum, Medicorum & Philoſophicorum

corum inſtructisſimam. Legavit templo Academiæ & pauperibus, tum ſcholaſticis tum aliis ſummam non exiguam: qvam ipſis voluit eſſe perpetuam. Qvumq; jam tandem inter morbos varios, ſe præparaſſet ad promovendos alios, qvos poſt ſe relinqveret Reipubl. in facultate Medica; ipſe in Academiam Cœleſtem promotus eſt; qvum enim jam aliqvot diebus continuis fermè ſingultibus cum febricula & catarrho graviter conflictatus fuiſſet: exſpiravit piè & placidè die hujus III. hora II. p.m. poſtqvam exceſſiſſet nonum Clymactericum: ut ultimus ille actus, vitæ priori reſponderit convenientiſſimè. P. P. Hafniæ VI. Maij, Anno Jeſu Chriſti M. D. CIII.

Epitaphium in Templo B.

Virginis, extra chori partem Borealem.

CHRISTUS CARO GRAMEN ET OMNIS GLORIA HOMINIS QVASI FLOS GRAMINIS.

 D. O. M.

D. O. M.

REverendis & Clariſſimis Viris animorum candor, integritate pietatis ſtudio doctrina prudentia modeſtia & multo rerum uſu præſtantibus JACOBO MATTHIÆ Arhuſienſi & ANDREÆ LYMVICO Cimbro viam univerſæ carnis ingreſſis, qvorum ille Latinam Græcam & Hebræam lingvam & SS. Theologiam Publice in Academia hujus oppidi fideliter & feliciter docuit: Hic Medicinæ artem in hoc regno exercuit tandemq; in Regis Gymnaſio annis fere XXVI. profeſſus uterq; Doctore laurea ornatus

Sanctiſſimis moribus præditus de re literaria & ſtudiis adoleſcentiæ bene meritus munus ſuum magna cum nominis & famæ gloria ſuſtinuit, DOROTHEA Uxor Viri amantiſſima & ſoror fratris cariſs. monumentum hoc pro tempore multis cum lacrymis poſuit.

AN-

Digitized by Google

ANDREÆ LYMVICI Medicinæ Doctoris & Profeſſoris qvi exceſſit è vita anno ſalutis humanæ M. DC. III. die Maji. III. cum vixiſſet annos LXVII.

EPITAPHIUM.

PÆonia celebris LYMVICUS in arte magiſter
ANDREAS Ægris cura ſalusq; viris:
Qvi potuit varios aliorum tollere morbos,
Jatrica multos qvi bene juvit ope:
Non potuit proprium medicus depellere morbum,
Proditus inſidiis parca maligna tuis:
Occidit in viridi vitæ ſatur ipſe ſenecta,
Et fractum curis, mors violenta tulit.
Cimbria natales huic patria præbuit ortus,
Ad maris occiduas ſubſilientis aqvas:

Hic

Hic Chriſtum tenebris cognoſcere cœpit ab annis
Et latio didicit parvulus ore loqvi:
Ad noſtras major factus devenit Athænas
Hic ubi ſtant clariæ Regia tecta ſcholæ
Præbuit attentas ubi præceptoribus aures
Qvos coluit ſtudio Religione fide.
Ingreſſus latium Trojani Antenoris urbem
Qvæq; natant mediis mœnia vidit aqvis.
Felſina viſa huic eſt urbs viſaq; Roma ſuperba
Et qvicqvid tota claret in Italia.
Doctoris titulum Phœbo Baſilea monente
Contulit ad Rheni prætereuntis aqvas:
Tractantem audivit multas ſchola publica meſſes
Hippocratis libros Pergameiq; ſenis,
Defun-

Digitized by Google

Defunctum lugent pietas probitasq; pudorq;
Et qvos ſæpe ſua fovet amicus ope.
Corporis exuviæ tumulo conduntur & oſſa.
Spiritus in Chriſti vivit agitq; ſinu.

Amico incomparabili & Collegæ ob animi integritatem morum & ſingularis doctrinæ elegantiam addictiſſimo Nicolaus Theophilus amicus & Collega memoriæ cauſa dolens faciebat.

LOCULUS XIV.

Vita D. Jacobi Hasenbart, ex Programmate Rectoris Academiæ Hafnienſis M. Johannis Stephanii A. C. 1607.

IS natus fuit honeſtiſſimis & optimis Parentibus: Patre Jacobo Haſebardt Chirurgicæ artis peritiſſimo, Matre Abigaële Bonifacii f. Lubecæ, Anno 1552. qvorſum parentes ipſius Hamburgo relicto conceſſerant certis de cauſis. Illinc in hoc Regnum Daniæ parens

rens ipſius eſt vocatus Hafniam à Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO III. piæ memoriæ, Rege Daniæ &c. Anno 1553. comitante filiolo ejus ferè anniculo, ubi educatus eſt in bonarum artium cognitione & fundamentis pietatis. Mortuo autem ejus parente anno 1556. mater ipſius nuptiis ſecundis adjunxit ſibi in matrimonio honeſtum & peritum Virum Antonium Battum præcipuum eorum qvi materiam medicam & rem herbariam tractarunt in officina hujus urbis primariâ. Qvi poſtea vocatus eſt ab Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino Johanne, Principe Holſatiæ Seniore Hadersleviam, Apothecarius, qvi ſimul privignum ſecum eò deduxit, & bonis moribus ibidem informari curavit, donec ætate provectiorem Sereniſſima Regina Dorothea ſuis tectis inferret illumq; juberet inter ſuos numerari, Anno 1563. cum præceptore qvem peculiarem illi ſelegerat, & cui illum informandum tradiderat. Anno autem ætatis undecimo cum Regina Dorothea moliretur profectionem in Miſniam ad inviſendum illuſtriſſimum Principem Dominum Auguſtum Electorem Saxoniæ Generum ſuum: Illum ſecum tranſtulit, & effecit ut Scholæ Phorcenſis

cenſis in Misnia alumnus fieret, ubi etiam vixit ſexennium. Cum verò intellexiſſet unam ſororum nupſiſſe Reverendo & Clariſſimo Viro D. Paulo Matthiæ tunc temporis Epiſcopo Ripenſi, in Daniam ſe contulit: Poſt, prædictum Dominum Epiſcopum comitabatur Hafniam, vocato illo ad adminiſtrationem Diœceſis Selandiæ, atq; ita factus eſt Studioſus almæ hujus Academiæ Hafnienſis, anno 1569. Inde cum uberiorem feciſſet profectum in ſtudiis, rurſus ſe contulit Roſtochium, inde Wittebergam anno 1580. Inde reverſus ſtipendium Regiæ Majeſtatis eſt nactus, atq; illo adjutus in Italiam eſt profectus, ubi manſit triennium, facultatis Medicæ Studioſus. Completo autem curriculo ejus ſtudii, Baſileam eſt profectus, ubi Lauream Doctoralem eſt nactus, ſignum virtutis & profectus ſummi in arte Medica. Anno verò 1583. reverſus eſt Hafniam, atq; demum conſilio amicorum & majoris experientiæ gratia, profectus eſt in Angliam, ubi accipiendo & dando conſilia mirum in modum profecit. Poſt, anno 1590. rediit Hafniam, atq; ſeqventi duxit uxorem honeſtam, piam ac pudicam Virginem Chriſtinam filiam Nicolai Paaſckes, ſcribæ primarii in arce Haf-

Digitized by Google

Hafnienſi: qvæ nunc vidua mœſta relicta eſt mater ſeptem liberorum. Anno autem 1593. in minorennitate Regiæ Majeſtatis vocatus eſt in aulam ut Archiatri Regii munere fungeretur, in qvo munere in diem hodiernum permanſit, multis exantlatis laboribus & periculoſis profectionibus cum Regia Majeſtate. Anno autem præterito cum Regia Majeſtas hybernaret in arce Anderſchow, ipſe verò officii ratione commoraretur Slagloſiæ, cum aliis aulæ miniſtris, in graviſſimum morbum incidit, qvi poſtea ipſum non deſeruit penitus, ſed interdum remittens, vires inde fortius eas per vices exerebat, donec tandem ipſum dejiceret, & continuè lecto affixum detineret à die 6. Auguſt. indies magis magisq; excreſcens usq; ad 3. Septemb. qvo inter qvartam & qvintam horam poſt meridiem ſuperior factus ita volente DEO, coegit prædictum Virum Ampliſſimum atq; Clariſſimum D. Jacobum vitam cum morte commutare. Qvam qvidem forti & conſtanti animo exſpectabat fiducia in Mediatorem unicum Jeſum Chriſtum, cui ſe totum commiſit toto illo tempore qvo cum naturæ debito conflictaretur. Illi funus fiet hodie hora prima, &c. P. P.

In

In lucem emiſit

1. Carmen nuptiis Aurifabri & Helenæ, Haſniæ 1577.
2. Epitaphium Illuſtriſſimæ Reginæ Scotiæ Sereniſſimi Jacobi IV. matris ab Elizabetha Angla ſecuri percuſſæ.

In officinis noſtris Pharmaceuticis uſitatum eſt hoc Electuarium Diacoron *D. Haſebardii.*

R. Diacoron. ſimpl. lib. v.
Cond. Cort. Citri Unc. xij.
Conſ. Flor. Anthos
Borragin.
Bugloſſæ ana Unc. ix.
Electuar. molle aromat. roſat. major. Unc. iij.
Spec. Diatrion Santal.
Diarrhod. Abbat. an Drach. ix.
Diagalangæ Drach. vj.
Cum Syrup. Adianth. q. ſ.
f. Electuarium.

LOCULUS XV.

Vita D. ANDREÆ CHRISTIERNI Med. Profeſſ. & Oeconomi, demum Præfecti Sorani.

D. ANDREAS CHRISTIERNI natus eſt Ripis Cimbrorum, Patre Chriſtiano Severino, Matre Catharina Andreæ f. Conſumtis in Schola patria magno cum fructu annis 16. ſtudia ſua ad Academiam Hafnienſem tranſtulit, in qva annos 8. transegit clariſſimis ibidem Viris D. Knoppero, D. Hemmingio, D. Pratenſi, D. Johan. Franciſco aliisq; notus & dilectus. Interea Philoſophiæ Baccalaureum meruit, & Communitatis Regiæ Præpoſitus conſtitutus. Exinde Regio ſtipendio impetrato exteras regiones inviſit. Wittebergæ primum per biennium ſubſtitit & titulo Magiſterii exornatus fuit. Studii verò Medici gratia Jenam adiit opera D. Schröteri per biennium uſus. Iterum illum Witteberga revocavit propter Anatomica exercitia qvæ ibidem per biennium qvoq; fervidè urſit, aliosq; publicè docuit magna nominis celebritate. Italiam deinde petiturus Francofurti ad Mœnum pleureſi detentus, operâ D. Mouſeti Angli convaluit. Poſt mo-

moram in Patavino Gymnaſio celeberrimo, Baſileæ Doctoris Medici titulum obtinuit. Editis ibidem variis in Re Medica opuſculis, poſt decennale iter in patriam revocatur deſtinatus Succeſſor D. Johannis Franciſci in Cathedra Medica Hafnienſi, qvam deinde magna cum laude ornavit annos XVII. Interea uxorem duxit Abigaelem Johannis Suaningiam, & Communitatis Oeconomiam magna prudentia adminiſtravit, donec ad Præfecturam Sorenſem Ser. Reg. Maj. clementer jubente vocaretur. Soræ vixit magno Scholæ commodo per qvinq; annos donec dolore lateris placidè exſpiraret 27. Novembr. 1606. anno ætatis 54. cum dimidio. Vir experientia inclytus, doctrina celebris, morum facilitate omnibus gratus, prudentia civili ſpectatus, & in artis Medicæ uſu felix; Qvodq; illo ævo rarum, Anatomicis exercitiis addictiſſimus, qvæ qvum aliqvando in hac Academia in corporis virilis diſſectione in uſum juventutis & Academiæ ſplendorem repetere vellet, eo ferè rem perduxiſſet, niſi manum retraxiſſet, ut à conviviis honeſtiorum, hiſce minus aſſvetorum, abſtinere oportuerit, adeò nauſeabant tum noſtrorum hominum mores ab utiliſſima hac Medicinæ parte.

In Matricula veteri Academiæ, hæc leguntur ad Annum 1590.

VII. Martii Rex Scotiæ Jacobus VI. ingreſſus eſt Collegium Hafnienſe, ubi ad duas fere horas audivit continuè docentes Doct. Joh. Slangendorphium Theologum, & Doct. ANDREAM CHRISTIANUM Medicum, qvibus abſolutis, brevi oratione ejus Majeſtatem alloqvutus eſt D. Paulus Matthias Rector, gratulando, gratias agendo & benè precando.

Monumentum D. Andreæ Chriſtiani Soræ.

MORS MIHI VITA FUIT.

P. MEMORIÆ ERGO BEATO IN DOMINO D. DOCTORI ANDREÆ CHRISTIANI F. RIPENSI PHILOSOPHO QVONDAM ET MEDICO HAFNIÆ EXCELLENTI AC DEMUM PRÆFECTURÆ SORENSIS PER QVINQVENNIUM ADMINISTRATORI INTEGERRIMO. MARITO SUO LONGE DESI-

Digitized by Google

SIDERATISSIMO ABIGAEL SVANINGIA. MONUMENTUM HOC M. P. OBIIT PLEVRESI XXVI. NOV. ANNO DOMINI M. DC.VI. ÆTATIS LV. CONJUG. XXI.

LOCULUS XVI.

Diſpenſationum Theriacalium approbationes Medicæ,

Facultatis Medicæ in Academia Haſnienſi Profeſſores,

THOMAS FINCK. D. GELLIUS SASCER: D. Benevolo Lectori S.

IN Medicamentis & antidotis generoſis Theriacam ab Andromacho potiſſimum Claudii Neronis Medico deſcriptam & confectam, longa ſeculorum ſerie continuata experientia & unanimis Medicorum conſenſus extulit; cum ut Galenus loqvitur ob promiſſionum certitudinem tum ob actionum efficaciam. Qvanqvam vero primis eam temporibus imperatorum ſumma cura ac ſolers Medicorum induſtria confeciſſe videatur: adeo

adeo ut Galenus ſuis ſe Cæſaribus Romæ non eam tantum ſed & alteram Mithridaticam præparaſſe ipſe teſtetur: temporum tamen viciſſitudine & variis Medicorum officiorum impedimentis factum eſt: ut pharmacopœis non communium tantum & obviorum remediorum ſed & celebris hujus antidoti compoſitio relicta ſit, & ita tamen relicta, ut ſolertem Medicorum cenſuram & examen, ſingulorum ex arte delectum intervenire & adhiberi non modo reipubl. moderatoribus conſultum viſum fuerit ſed & ipſis pharmacopœis judicatum utile: ut induſtriæ diligentiæ ac fidelitatis conſecuti teſtimonium honori ſuo exiſtimationi & rei qvoqve ſuæ tanto conſulerent melius.

Id ſecum exputans JOHANNES STEINIUS civis Hafnienſis & induſtrius pharmacopœus cum ad communem multorum utilitatem conficiendæ Theriacæ conſilium cepiſſet; Comparatam eo nomine omnem materiam & noſtræ, aliorum qvoq; præſentium Medicinæ & Doctorum & candidatorum CONRADI SCHATTENBERGII D. GEORGII FUIRINGII D. M. JOHANNIS ERASMI profeſſoris Phyſici, M. TANCREDI LEIIEL, cenſuræ & examini, qva par erat modeſtia, ſubjecit: appro-

approbatamq; non modo præſentem ſed & deſideratis, paucis tamen, recto Medicorum conſilio ſurrogari ſolitam, antidoti interim ſcopo ſatisfacturam, commoda εγχειρήσει ſolertiqve præparatione tritam diſſolutamq; oportune 15 Februarii 1609 ita miſcuit, ut qvam habet Andromachi menſuram Galenus libr. de Theriaca ad Piſonem, eam ille ſingulorum aucta qvantitate qvadruplicaret: & hactenus duorum menſium ſubactionem & agitationem diligenter continuavit.

Cum vero hujus ſuæ operæ & diligentiæ in Theriaca conficienda abs ſe ſine fuco adhibitæ teſtimonium peteret: qvia negotio ipſi interfuimus materiam ſimplicem approbavimus, miſtionisqve normam & continuationem rectam animadvertimus: non voluimus honeſtæ illius petitioni de eſſe qvin hujus ſuæ diligentiæ ac fidei hoc ſub Facultatis Medicæ Sigillo teſtimonium obtineret. Actum Hafniæ XIII. Aprilis, Anno M. DC. IX.

Facultatis Medicæ Hafnienſi in Academia Profeſſores,

THOMAS FINCKIUS D. CASPARUS BARTHOLINUS D.

Benevolo lectori S.

THeriacam Andromachi ſenioris ut pluribus hic commendemus, haud operæ precium judicamus: jam tot ſeculorum continuata ſerie, non tam Medicorum cenſu qvam hominum rectè judicantium non vulgarium tantum ſed vel ſummorum experientiâ nobilitatam. Qvantò autem illius aut ad ſperatum eventum amplitudo eſt major aut actionis efficacia evidentior: tantò illius ritè conficiendæ curam ac dexteritatem majorem jam à tot ſeculorum memoriâ adhibitam animadvertimus: ut vel ſuis manibus Cæſaribus ſuis Galenus ſe eam præparaſſe ipſe teſtetur. Qvanqvam autem temporum viciſſitudo & varia in Medicis officiis impedimenta non communium tantum medicamentorum ſed in antidotis, hujus qvoq; ita nobilitatæ præparationem Pharmacopœis demum commendarint: id tamen principum ac Rerumpubl. ſalutari inſtituto, anxiis Medicorum votis indultum eſt & ſancitum: ut ſingula prius cenſuræ & examini Medicorum ad ſelectum

ſelectum ſubjicerentur: & integra demum ac incorrupta admitterentur eaq; fide præparata & commixta ſubigerentur: ut fermentatione peracta Medicamentum optato ſcopo qvàm commodiſſimè reſponderet: re interim erectis Pharmacopœis vel eo nomine profutura: qvod ita induſtriæ ac fidelitatis ſuæ teſtimonium conſecuti, non modo honori & exiſtimationi ſed etiam rebus ſuis æqviſſimè conſuluiſſe viderentur.

Id ſecum exputans Johannes Steinius civis Hafnienſis, & à Ser. Reg. Majeſtate privilegiatus Pharmacopæus: Cum vel alias in peſtis ſuperioris contagio freqventior Theriacæ uſus maturiorem conficiendæ alterius occaſionem obtuliſſet: vel Superiorum juſſu intercedente: Comparatam eo nomine melioris notæ materiam non eorundem tantum præſenti voluntati & inſpectioni, ſed noſtræ pariter aliorumq; præſentium Medicorum D. Georgii Furenii, D. Olai Wormii Gr. Ling. Profeſſoris, D. Esperni Nicolai, & M. Tancredi Leiel cenſuræ & examini, qva par erat ratione & modeſtia ſubjecit: approbatamq; non modo præſentem, ſed etiam deſideratis nonnullis, paucis tamen, recto Medicorum Conſilio ſurrogari ſolitam, anti-

Digitized by Google

doti interim ſcopo ſatisfacturam, commoda ἐγχειρήσει ſolertiq; manu tritam & diſſolutam oportunè 4. Febr. anni præſentis ita miſcuit: ut qvam habet Andromachi menſuram Galen. Libr. de Theriaca ad Piſonem: eam ille ſingulorum proportionata qvantitate ſextuplicarit: & hactenus duorum menſium ejusq; qvod excurrit ſubactionem & agitationem diligenter continuarit.

Cum vero ſuæ hujus & operæ diligentis & fidelitatis in Theriaca abs ſe ſine fuco adhibitæ teſtimonium peteret: qvia negotio ipſi interfuimus, materiam ſimplicem approbavimus, miſtionisq; normam & continuationem animadvertimus: nec voluimus nec debuimus honeſtæ illius petitioni deeſſe: qvin hujus ſuæ induſtriæ ac fidei hoc ſub facultatis Medicæ Sigillo, teſtimonium obtineret. Hafniæ 24. Maji An. 1620.

Patavii non à Medico tantum Collegio teſtimonium poſt Theriaces Diſpenſationem petunt & accipiunt Pharmacopolæ, ſed ab Inclytæ qvoq; Nationis Germanicæ Conſiliario & Procuratoribus. Qvum ego Conſiliarii munere ibidem Anno 1642 defungerer

hoc

hoc à me impetravit typiſq; edi curavit Mich. Petr. Maria Pharmacopola:

NOs Conſiliarius, & Procuratores Inclitæ Nationis Germanicæ Artiſtarum fidem facimus & atteſtamur, Magnificum & ſpectatæ fidei Virum D. Michaelem Petrum Mariam Pharmacopolam Patavinum eximium ſub ſigno Sirenæ die 15. & ſeq. Menſis Junii, anni currentis 1642. exactiſſimam magnarum Antidotorum Theriacæ, & Mithridatii compoſitionem ſumma induſtria ad normam præſtantiſſimorum Medicorum præparaſſe: omniaqve harum ingredientia ab Illuſtriſſimis Patauini Collegii Medicis, præſentibus pleriſqve Inclitæ Nationis noſtræ Civibus, penitus eſſe examinata, atqve approbata, adeoqve deſiderari nihil, qvo minus omni ex parte Antiqvis, veriſqve compoſitionibus reſpondeant. Cujus rei feliciter actæ teſtimonium manu propria, & publico Inclitæ Nationis noſtræ ſigillo libenter confirmavimus.

Patavij 1642. die 6 Septembris

Locus Sigilli.

Conſiliarius
&
Procuratores.

LOCU-

LOCULUS XVII.

Viro Clariſſimo JOHANNI BAUHINO CASPARUS BARTHOLINUS.

De Rusmate Turcarum.

PEtis à me, Vir Clarisſime & Celeberrime, nonnulla per internuntium, qvibus qvantum in me eſt, ſatisfacere conabor lubens. Ac cumprimis, qvia modo patrios reguſtare lares eſt animus, ſi poſtmodum Deo vitam & ſanitatem largiente, qvidpiam in plantis noſtrarum regionum rari invenero, uti me reperturum haud diffido, non deero tibi meâ operâ, qvi magno Reipub. medicæ fructu in arena hac Botanica ſudas, & ab omnibus idcircò meritò ad cœlum usq; eveheris. Utinam magnum illum tuum theſaurum herbarium non diu ſupprimeres, ſed cito atq; adeò bis tot doctis cum deſiderio expetentibus promeretur? De Rusmate Turcarum, ſub qvibus naſcitur, qværis; prout mihi in Italia videre licuit à Turca qvodam acceptum, ita habet: Minerale eſt ſcoriæ ferri perqvam ſimile; niſi qvod levius ſit, nigriusq;, ſunt qvi conjectantur calcanti genus aliqvod eſſe, ſory vel melanterium vocatum. Cæterum nihil tale vel guſtu vel extrin-

trinſecâ admotione vel aliis ingeniis deprehendi poteſt, qvod pyroticam aliqvam facultatem prodat; ſed temperatam potius. Et tamen in pſilothris dignitate primarium audit. Eo qvod absq; dolore & uſtione celerrimè Turcicis fœminis uti ſolitis partes obſcœnas & axillas depilet, nullo pilorum remanente veſtigio. Utuntur autem paulò ante balnei ingreſſum, lævigato prius in pulverem ſubtilem, & addita parte calcis vivæ mediâ, in aqva macerata. Ita enim parato membra ungunt, & à balneo una cum pilis promtè abſtergunt. Narravit mihi etiam qvidam, Monspelienſem Pharmacopæum Chatellanum aliqvid aliqvando loco theſauri habuiſſe & Comitiſſæ cuidam magno vendidiſſe pretio. Paradoxa mea inaudio te relegiſſe, tam eruditis oculis neſcio an digna. Ex Italia enim reduci & per literas ſubitò in patriam revocato aliqvid ex tempore adeoq; in tempore extemporaneum loco diſputationis proponendum fuerat. Qvibus, ſi Deo ita viſum, aliàs triplo plura adjicere eſt animus, & cum munitionibus ſuis publicare. Nunc ſub manibus fervet atq, exire geſtit Tractatus qvidam de Cauteriis, cujus adumbrationem non dubitavi ad te mittere, rogans ſubnixè,

judi-

judicium tuum ad me perſcribas, an talia ſint qvæ publica luce digna ſint & frugifera. Mihi qvidem hactenus nondum obtigit auctor ullus, qvi ea ex profeſſo tractare ſaltem ſolum conatum afferre viſus. Si intra binas has hebdomadas proximas litteras ad me dirigere haud gravatim digneris, committes primum Argentinam Bibliopolæ Paulo Leders. Alio autem poſtea qvovis tempore occaſio vix emergit ſcribendi, niſi nundinis Francofurtenſibus, qvibus intereſſe ſolet Henricus Waldkirck Bibliopola Hafnienſis Danus. Ad hujus manus ſi aliqvid perveniat, certò etiam ad meas. Et per eum ego Te qvoq; litteris compellare ſæpius non intermittram, modò id gratum fore percepero. Vale Vir Clariſſime meq; inter amicos tuos ſaltim imi ſubſellii locum aliqvem ſortiri patere. Baſileæ raptim, itineri accinctus. Anno 1610.

C. B.

Epi-

Digitized by Google

Epiſtola D. Caſpari Bartholini ad Cl. & Excell. Virum Dn. D. Philippum Mullerum Friburgenſem Chymiatrum peritisſimum.

De editione Miraculorum Chymicorum.

ERgo tandem diffuſurum te inaudio, Mullere mi oculisſime, ingenii monumenta; ſatis diu hucusq; occultata. Numero cenſebis, ſat ſcio, in lucem efferri. At cenſet præter te nemo alius. Cùm juncti olim fuimus ſermonibus in Italia, regionum illa regina, memoriam tibi refrico, qvid condixeris, nempe ut de editione non tardares, ob operis argumentum; qvod pro Publico bono. Præſta age fidem! mihi verò amorem: qvi, qvoniam corpore non licet, animo tibi junctus ſum, optimâ illâ parte mei: Coitum illud inter nos amicitiæ fœdus; fac non niſi nobiscum moriatur. De me, ita me ſancta Hygeja noſtra amet, hunc affectum tibi ſpondeo: qvi vehemens (Amicitiæ genium juro) in te fuit, ſtatim ac concepi. Qvia verò virtutis cauſſa, qvæ æterna; æternum alam: qvamqvam & ob mei amorem reciprocum; qvo pluris me facis & æſtimas, qvam mea mediocritas meretur. Præſta, inqvam

inqvam, fidem & miracula illa tua Chymica ede. Ede, ne talentum tibi à Deo commiſſum humi ſervaſſe videare. Metuis ab obſtreperorum qvorundam, ad naſcentem Famam tuam obruendam conatibus? Ride, vicisſim irride, & ſolo contemtu, ut facis, ab iſtis te vindica. Imò felicitatis loco habe. Qvo enim plures in ramos luxuriavit arbor; eò ſtrepitum denſiorem ab aurâ vehementiori commota edit; fortius verò, qvam paucioribus à ramis inſtructa alia, reſiſtit: Ita Fama, virtus, eruditio, qvò ſe expandunt magis, augentur, multiplicantur, eò magis etiam invidorum tempeſtate, & malivolorum turbine premuntur, turbantur, rapiuntur: non opprimuntur, non exturbantur, non abripiuntur. Per eam cauſam optabis potius vel cœli & terræ in te commotionem: ceu infallibile ſignum virtutis denſioris, Famæ explicatioris. Interea ita Famam capta, qvaſi contemturus: ita contemne, qvaſi captaturus. Ut mundum perluſtrando, mundum contemnere diſcimus: ſic Famæ blandientem auram anxie captando, eandem pro aurâ, umbra, nihilo habere. Interim Famæ & Gloriæ contemtu, in horundem præmium, ut ut non affectatum, nolentes volentes incurri-

curtimus De me ſcire vis, & rebus amici, qvo verſentur in cardine? Habe pauca. Fervere modò ſub manibus meis medica varia, qvæ exire geſtiunt; & in iis præire: Paradoxorum Philoſophicorum & Medicorum Centuriæ aliqvot; Opuſcula nonnulla Anatomica; Tractatus de Cauteriis, de Opio & Laudanis opiatis liber, &c. Utinam cum bono aliqvo publico! Conor qvidem magis, qvam efficio; volo, qvam poſſum, in publicum prodeſſe. Præ me fero. Nec tamen omnem deſtituit conatum effectus; nec omnem poteſtas voluntatem. Tu ecqvid jam agas, & cum primis ecqvid valeas, fac me ſcitiorem: atq; in me ſis, qvem oſtendiſti; certus à Bartholino eadem tibi fore: Salve à me ex animo, qvi ex animo tibi cupio: & parentem tuum, Senatorem ampliſſimum, naturæq; amatorem & indagatorem haut poſtremum à me ſaluta. A. 1610.

Ab eodem Bartholino illi communicata remedia ſecretiora.

I.

Aqva Antapoplectica & Antepileptica præſtantiſſima.

R. Salviæ cum fol. & fl.
Majoranæ
Hiſſopi
Meliſſæ
Lavendulæ an. M. j.
Rosmarini
Verbenæ an. M. ſ.
Nucis moſch.
Galangæ
Cinamomi an. Unc. j.
Granorum Juniperi Unc. iij.
Sem. Carvi,
Erucæ, id eſt ſinap. alb. ſilveſtr.
an. Unc. ſem.
Vini albi opt. ſexies tantundem.

Contuſa omnia infundantur per dies aliqvot, aut ſtent in fimo eqvino per dies qvatuordecim, poſt deſtilla in B. M. Hæc aqva eſt miræ virtutis in confortando cerebro & nervis. Memoriam admodum juvat; ingenium acuit, præſervat ab Apop. epilepſ. paralyſi & aliis periculoſis capitis affectibus; qvia humores inſigniter diſcutit & attenuat. In Apoplexia præſertim apprimè confert; ſive intrinſecus aſſumatur, ſive membrum affectum foveat. Ditiores aliqvid addant ex ſolu-

ſolutione perlarum, tinctura corallorum, qvinta eſſentia auri & ſimilibus.

2.

Pulvis Bartholini Antepilepticus nobiliſsimus & certiſsimus.

R. Cranii humani nunqvam humati, & combuſti: oſſium humanorum combuſtorum an. Unc. ſem.

Pulv. oſſium lacertarum magnarum & viridium Drachm. ij.

Viſci qvercini

Pæoniæ maris rad. & ſem. decort. Lunâ decreſcente collect, an. Drach. j.

☿ præparati

Ungulæ alcis

Aſini an. Drach. ſem.

Saccari albiſſ. Unc. iiij.

Pulveriſanda pulveriſentur ſubtiliſſ. & f. pulvis.

Doſis Drach. j. cum aqvâ deſtillatâ ex C. C. recenti qvod primò naſcitur; & miſtâ cum aq. fl. tiliæ & lilii convallii dupla qvantitate. Qvi volet bibat cum aqva hirudinum vel picarum.

Digitized by Google

3.

Cauterium potentiale Bartholini, qvod citò, & abſq; dolore inſigni agit.

R. Tart. alb. uſti (Weidaſchen) part. j.
Cinerum ex caulium truncis & tumoribus roboris an part. ij.
In ſ. q. lixivii ſaponis Belgici ſeu nigri, qvod primo fit, diſſolve, & fiat lapis ſ. a.

De hoc videatur Caſp. Barthol. de Cauteriis Syntagma, edit. Hafn. in Qvarto 1624.

4.

Electuarium Prophylacticum in Peſte Bartholini.

R. Rad. Imperatoriæ, Angelicæ, Granorum Juniperi an. Drach. ij.
Sem. Card. Bened. Acetoſæ an. Drach. ij. ſem.
Boli præpar. cum ſucco citri Unc. ſem,
Ras. C. C. diamarg. frig. an. Drach. j.
Theriacæ vet. opt. Mithridatii an Unc. j. cum Syr. de acetoſ. citri fiat Electuarium.

Capiat per ſe vel cum aqvis vel vino.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XVIII.

De CHRISTIANI BORDINGII Laurea Doctorali.

Rector Academiæ Hafnienſis, M. Johannes Eraſmius, Phyſices Profeſſor Publicus, Lectori Benevolo S.

IN qvanti beneficii loco ars Medica ſit reponenda, claſſicus ille & ad memoriam, uſuramq; religioſam commendatus Siracidæ locus c. 38. his verbis luculenter oſtendit, *Honora Medicum propter neceßitatem; Etenim illum creavit altißimus: A Deo enim eſt omnis Medicina &c.* Qvod qvidem elogium, in laudem ac dignitatem Medicinæ illuſtrandam atq; augendam adeò eſt inſigne ac luculentum; ut ſi absq; omnibus Philoſophorum Encomiis vel maximè foret; nec qvicqvam ſuppeteret, qvod ad artem hanc extollendam uſurpari dignè poſſet, utiq; ex ſola loci ac elogii iſtius luculenta authoritate in laudes Medicinæ ampliſſimas, fontes aperire liceret uberrimos. Eqvidem ſi authorem artis ſpectes, qvid qvæſo luculentius eam in partem adferri potuiſſe putes, qvàm qvod diſertè aſſeritur, tum Medicinam ipſam, tùm

tùm Medicum à Deo eſſe? adeoq; in partem operum ac munerum divinorum utrumq; numerandum? Qvâ qvidem cenſurâ qvid gravius? Qvid ad Encomium Medicinæ dignius? Jam verò ſi ab hac conſideratione, ad utilitates & commoditates Medicinæ, easq; neceſſarias & incomparabiles æſtimandas te conferas, diſerta ſanè ac rata reſponſio ex allegato Siracidæ loco exhibetur, qvo ita neceſſitas atqve utilitas Medicinæ demonſtratur; ut inde deducto argumento, S. S. perſvadeat Medicum omni honore & amore eſſe proſeqvendum. Et ſanè ſi penitius in vitæ humanæ vicem ſortemq; præſentem intueri nobis libet; vix qvicqvam reperire facilè licebit, qvo expresſior imago præſentis mortalium ſtatus repræſentari qveat, qvam ſi Noſocomio eundem asſimilaveris. Revera enim mundus iſte amplisſimi Noſocomii ſimulacrum nobis exhibet, in qvo jam inde à lapſu ac noxa Protoplaſtorum ὑγιὲς ὐδὲν; ſed morbis ac morte omnia plena deprehendas: idq; tanta varietate ac difficultate; ut numerum ac cenſum ipſorum Medicorum jam tandem mala ejusmodi effugiſſe videantur. In tanta igitur mortalium miſeria, divina benignitas non

modo

modo remedia abundè proviſa voluit; ſed & uſum eorundem ſalutarem benignè monſtravit. Qvanto autem apparatu infirmitati humanæ ad emendandas corporum noſtrorum offenſiones, & corruptelas, proviſum voluerit; vel ſola herbarum officina, luculento indicio erit. Conſtat enim herbarum ſpecies tam divina virtute ac varietate donatas ac diſtinctas eſſe, ut aliæ aliis partibus inſerviant, aliis aliisq; uſibus accommodatæ exiſtant. Harum autem uſus, aut nullus omnino futurus fuiſſet; aut ille certè minus ſalutaris, niſi archiater ipſe cœleſtis excitatis qvibusdam ingeniis Medicinæ cultoribus eum monſtraſſet, qvorum deinceps opera ſalutarem Medicinæ apparatum adminiſtraret. Recte igitur Plato ſenſit, *Philoſophiam & Medicinam præſtare, ut ſit mens ſana in corpore ſano.* Rectius verò etiam Siracides ille noſter divinus pronunciavit, eandem (Medicinam puta) ab ipſo Deo proficiſci; atq; adeo humanas corruptelas ac morbos, ab ipſo, Medicorum tamen interventu ac miniſterio curari. Accedunt verò ad Medicinæ commendationem etiam atq; etiam provehendam, ſummorum hominum, Principum, ac Procerum exempla, apud qvos Medici in magno honore ſunt

 habiti:

habiti: ut apud Darium Democedes; Apud Alexandrum Philippus; apud Antigonum Diocles; apud Antiochum Eraſiſtratus, apud Auguſtum Antonius Muſa, apud Antonium Galenus; & alii apud alios.

Hæc igitur qvô nos penitius intuemur, ac metimur accuratius; eò impenſius de artis hujus cultura ac gloria hodierna nobis gratulamur; Non deeſſe etiamnum viros Præclaros, qvi adytis atq; officiis ſecretioribus Medicinæ, partim ipſi incumbant; partim verò aliis faveant, qvorum ope & opera tam nobilis & ſalutaris ſcientia in cultum atq; uſum ſalutarem transferatur.

In qvo qvidem cenſu jure meritò reponendum arbitramur Clariſſ. atq; Doctiſſ. virum Dn. CHRISTIANUM BORDINGIUM Arhuſium, divina benignitate ſuperiorumq; authoritate nobis Senatuiq; Academico commendatum. Is enim ex qvo animum ad artes & curas medicas induxit; nihil operæ atqve induſtriæ reliqvum fecit, qvam qvidem ad indipiſcendam artis hujus notitiam ſolidiorem pertinere arbitraretur; qvâ adeoq; ſibi ac patriæ poſtmodum deſerviret. Eoq; nomine nec impenſis interea, nec moleſtiis itinerum ac ſtudiorum parcendum duxit: Inde verò

Digitized by Google

verò factum, ut ad exoticas, & illas qvidem diverſas ac celebriores bonarum literarum officinas & Academias publicas paſſim per Germaniam, Italiam, Angliam, utramqve Galliam, &c. ſeſe transportarit. Interea in diſciplinis Philoſophicis, qvæ præviæ eruditionis & literaturæ humanioris munus ſuſtinent, ita verſatus, ut majore cum apparatu & uberiore fructu atqve emolumento in Coloniam Medicorum transiret. Ac proinde in horum ſcriptis animum ſuum tantiſper occupare perrexit, dum in artis tam nobilis atq; Divinæ adyta ſeſe inſinuaret penitius, ejusq; notitiam ſolidiorem cum uſu & experientia conjunctam ſibi cum laude compararet. Qvo qvidem merito ac famâ cum in patriam redux, ſuperiori Magiſtratui inclaruiſſet, Deo ita paternè providente idoneus judicatus eſt, qvi Sereniſſ. ac Illuſtriſſ. Principi Dn. CHRISTIANO Electo Daniæ & Norwegiæ Regi â valetudine eſſet, Medici ordinarii functionem obiturus. Ne igitur vel legitimo eruditionis teſtimonio diutius deſtitueretur, vel ſine publico ornamento in provincia adeò illuſtri verſaretur, ad publici honoris petitionem, præeunte authoritate Regia, per virum illuſtrem atq; Magnificum Dn. CHRI-

STIANUM FRISIUM Regiæ Majeſtatis Cancellarium, conſervatorem Academiæ primarium, totiusq; ordinis patronum meritiſſimum, nobis declarata, adducitur. Venerandi igitur Collegii Medici in hac Regia Academia, judicio atqve cenſuræ ſeſe modeſtè ſummiſit, eiq; in utroq; examine ac deinceps diſputatione publica, eum profectum in arte ac re medica probavit, ut ipſius facultatis totiusq; Academ. conſenſu dignus ſit habitus, cui ex ſententia Magnifici Dn. Cancellarii, qvem honoris cauſa ſuperius nominavimus, ſummam in Medicina Lauream ac Doctoris inſignia, vir Clariſſimus atq; excellentiſſimus Dn. THOMAS FINCKIUS Medicinæ Doctor & Profeſſor Acad. Regiæ publicus ſolenniter conferret. Cui qvidem inaugurationis ſolennitati in templo Academiæ peragendæ cum dictus ſit dies 30. Aprilis, omnes noſtri ordinis homines, literarum inprimis fautores ad actum promotionis publicum officiosè invitamus, qva par eſt contentione rogantes, ut ad ſolennia noſtra bono Reipub. inſtituta freqventes ac lubentes conveniant; partim Doctisſimo Dn. Candidato exoptatum honorem habituri; partim etiam votis precibusq; nobiscûm religioſis novi honoris auſpicia,

ſpicia, totiusq; Scholæ, Eccleſiæ ac Reipub. incolumitatem Clementiæ ac providentiæ divinæ commendaturi. Qvam ſanè officii benignioris partem cum apud Dominum Candidatum digno loco poſuerint; tùm Senatui Academico, ipſi adeoq; Deo gratiſſimam exhibuerint. V. P. P. Hafniæ 29. Aprilis Anno 1611. Sub officii noſtri, ac facultatis Medicæ Sigillis.

LOCULUS XIX.

Vita D. Gellii Sascerides Med. P. P. ex Programmate Academiæ Hafn. Rectoris D. Leonh. Metzneri. Anno 1612.

ILle inqvam D. Gellius Sascerides, qvi maximo Reipublicæ literariæ bono natus, ſummo verò ejusdem intertrimento denatus, triſte qvidem, ſed æternum ſui deſiderium in animis omnium bonorum 9. Novembr. reliqvit. Qvem autem jam denatum qverimur & miſeramur, is natus olim fuit hic Hafniæ anno Chriſtiano 1562. die 3. Martii: Patre qvidem M. Jano Saſceride, illatebratæ eruditionis Viro & Mathematum Profeſſore publico;

blico; Matre vero Elizabetha, fæminâ lectiſſimâ. Annum ætatis vix egreſſus 13. nomen ſuum in hac Republicâ litterariâ profeſſus pro cive ſe geſſit, & pro tali qvidem, ut paucos habuerit (palponem haud agam, ſed qvod res eſt dicam) qvi palmam doctrinæ pariter & virtutis ambiguam ipſi fecerint; pauciores qvi præripuerint. Solido verò triennio in Academiâ noſtrâ exacto Witteber-gam conceſſit, ubi ab anno 1578. ad annum 1581. commoratus, Viris Academicis induſtriam in re litteraria plusqvam Cleantheam, omnibus autem amuſſitatam vitæ integritatem adprobavit. In Scholis non tantum Philoſophorum & Medicorum aſſiduus & curioſus fuit, ſed etiam eorum ----

Qvi docto æthereos ſignant in pulvere curſus,
Qvos pia ſollicito deprendit pollice Memphis:

---- qvemadmodum Diſciplinam Mathematicam pergraphicè Poëtarum optimus depictum ivit. Qvæ & cauſa fuit qvæ hominem impulerit, ut poſtqvam è Germania redux annum apud ſuos certis de cauſis ſubſtitiſſet, magnum illum Atlantem Tychonem Brahe adiret totumq; ſexennium apud eundem

dem hæreret, qvò ſcilicet tanti doctoris ductu

— qvis certus in aſtris
Error, —

ex amuſſim condiſceret. Nec vel tùm Scholam Tychonianam deſeruiſſet, niſi opimum & verè regium Regiæ Majeſtatis ſtipendium juvenem in Germaniam retraxiſſet: qvo qvoq; ſtipendio anno 1588. benignè auctus, optimos qvosq; ſuæ ſectæ in Germania Magiſtros, imprimis Baſilienſis Academiæ Æſculapios, adiit, audivit. In Italiam Germaniâ relictâ anno 1591. cum Nobiliſſimo Alberto Skeel arcis Ripenſis præſide Regio profectus, antiqvitate præſignem Romam, illam nobilem, illam cultam & amænam Neapolin, amicam Muſis Bononiam & eadem laude inſigne Patavium, maris dominam Venetias, cæteraq; illa terræ fama & ſcriptis inclutæ viſu digniſſima loca vidit, trivit, qvædam etiam diutiuſculè inhabitavit. Baſilæam tandem reverſus, tanqvam myſteriorum Hippocraticorum callentiſſimus ſummos in Medicinâ honores inibi anno æræ Chriſtianæ 1593. ſolenniter eſt indeptus: qvo ipſo qvoq; anno in patriam rediit, Canonicus Capituli Lundenſis & Medicus Scaniæ Ordinarius anno 98. deſignatus. Ætate autem & annis jam accre-

tate temporis ita gravitate ſui invaleſcere videatur, Medica, qvæ Hafniæ eſt, Facultas, tam Chriſtianâ inducta charitate & συμπαθεία, qvam benevolo ſupremi Magiſtratus impulſu perſvaſa, in vulgi commodum crebris diligentibusq; Conſultationibus habitis, è re duxit breve Conſilium edere de graviſſimi hujus morbi origine ac cauſis, item de mediis qvibus divino ſuffragante auxilio tale tantumq; periculum vel præveniri poſſet vel evitari, & qvi eo infeſtantur, divina qvantum permiſerit gratia, ab ipſo morbo gravibusq; eum concomitantibus ſymptomatis liberari valerent.

Undiq; ſerpentis & tantum non omnia pervadentis cauſas qvod ſpectat, etſi primam inter eas ſedem ſibi vendicent innumera noſtra peccata maximumq; ingrati in Deum animi vitium; (noſtra namq; ſcelera tales & Epidemicas illas de cœlo pœnas devocant,) ſi tamen in naturalibus ſubſiſtendum ſit cauſis, qvibus tanqvam miniſtris utitur Deus, venenata hæc & contagioſa lues alibi prius accenſa, noxia ſua ſemina ac ſcintillas ad nos inde diſperſiſſe videtur per infectos homines, eorumq; vel veſtimenta vel aliunde

unde allatas merces, qvibus ſubtilis ea & contagioſa lues adhæreſcere, inibiq; ad tempus deliteſcere ſolet, Præterea cum magis ſe prodat, majoresq; in iis exſerat vires, qvi immoderato & nimio luxu gulæ ventriq; dediti aſſiduis poculis & commeſſationibus indulgent, vel inopia adacti vitioſo veſcuntur pane, potuq; & cibis, vel ſponte pravis, vel ob neglectum corruptis miſeram ſuſtentāt vitam, qvibus excrementitios, malos, præter naturales & putridos in corpore humores accumulant; Ut & qvi loca inhabitant in qvibus aër vel concluſus non perflatur, vel ab inqvinamentis, tetrisvè & corruptis vaporibus ex nimia hujus urbis immunditie exſpirantibus conſpurcatur; Hinc facile colligi poteſt, non minimam hujus morbi cauſam eſſe putredinem, qvæ intra multorum corpora reperitur, in qvibus venenata corruptio ac putrefactio interdum ſponte accenditur, cætera facili vel nullo negotio ut ignis ſtupam vel paleam inflammat ac inficit. Nec hinc eximendus eſt inqvinatus ille & impurus cœli hauſtus, qvi non ubivis æqvè immundus vel iniqvus, una cum communi aëre in caput & pectus attrahitur ac inſpiratur, unde Cerebrum & Cor inficiuntur, vel adeo debilitantur,

Digitized by Google

tur, ut ſuccumbere cogantur, nec venenum illud ſuperare qveant, qvod vel ab infectis & contaminatis qvibuscum vivunt ac converſantur, vel à mercibus, qvas tractant, exhalat.

CAPUT SECUNDUM.

De Præſervatione à Venenato hoc morbo.

DIfficili hoc tempore & in vehementi hac peſte ubiq, inter nos vigente, ſumma ac præcipua hæc erit præſervatio, ut ſeriam peccatorum pœnitentiam agentes ad omnipotentem confugiamus DEUM, Sanctumq; Ipſius nomen invocemus, in hac, qva nos affligit, pœna miſericordiæ ſuæ memor immenſa noſtra peccata remittat, & ingentem horrendamq; cervicibus noſtris impendentem imminuat pœnam. Dummodo hæc noſtra ad Deum converſio & preces ſinceræ fuerint, nulli dubitabimus qvin exaudiamur.

Adde vulgatum adagium dum tales graſſantur morbi:

Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum non omnium fert conditio locum vel officium tam facilè deſerere ad qvod à Deo ſunt vocati. Unusqvisq; igitur ædes ac loca hoc Morbo jam infecta, ægrorumq; conſortia & converſationes qvantum licuerit, vitet. Fætentes halitus, corruptumq; aërem fugiat. Sit mundities lecti, veſtium, cubiculi, utenſilium &c.

Qvia vero magna aëris habenda eſt ratio, in tali epidemica conſtitutione conſultum erit ut qvovis mane & veſperi aër cubiculi purus reddatur & à peſtilenti contagio mundus ligno vel baccis Juniperi, angelica, abſinthio, roremarino, lavendula & ſalvia. Emi etiam in officinis poſſunt parvi trochiſci, qvi ſecundum hanc deſcriptionem proſtant.

R. Ladani opt. Unc. ij. Styrac. calamit. Unc. j. Roſarum rub. pulveris Unc. j. S. Thuris Unc. ij. Camphoræ Drachm. S. cum aq. roſ. in qva parum tragac. ſit dilutum f. trochiſci parvi.

S. Trochiſc. ad ſuffitum. Drachma j. 2. Solid.

Ex his trochiſcis, duo, tres, vel plures ignito Carboni imponi poſſunt ad ſuffiendum in cubiculo mane & veſperi.

Digitized by Google

Magna vis ſita eſt in crebra aëris permutatione, nam mirum exinde robur aſſumunt vitales ſpiritus, aer in Corde, cerebro, omnibusq; arteriis. Indies experimur q̃ cito alterari poſſumus a pravo fætore ac impuro aëre ac debilitari.

Venenati aeris vitiis ea, qva fieri poteſt, diligentia correctis, proprium corpus ita eſt præparandum ut veneno huic ac contagioſo morbo reſiſtere valeat. Enimvero qvicunq; præternaturalibus abundat excrementis & pravis humoribus facile inficitur, graviusq; ac citius qvam alii, corripitur.

Utile igitur fuerit, ut ſangvinis miſſioni aſſveti, vel plethorici (hos autem comitantur ſpirandi difficultas, dolor lateris, laſſitudo, corporis gravitas) venam ſibi ilico tundi curent: æſtivo tempore medianam dextram, hyberno ſiniſtram, permittantq; tantum ſangvinis effluere qvantum ipſorum conditio & ætas permiſerint, qvod accuratius a Medicis vel Chirurgis determinari poteſt, modo opus fuerit.

Expurgandum poſtea eſt corpus pilulis Ruffi vel peſtilentialibus dictis.

Pilul. peſtilential. Drachma j. - 6. ſolid.

Hæ pilulæ bis in hebdomade aſſumi poſſunt, Juveni ſufficit Drachma ſemis, adultiori

& ro-

& robuſto Drachma integra, unde pilulæ efſingantur majores aut minores prout cuiq; commodiores viſæ fuerint, aſſumendæ hora matutina ſexta cum cereviſia vel vino, poſt qvas non capiatur cibus ante undecimam horam. Nec inconſultum erit, ſi cæteris diebus ante prandium vel cænam tertia drachmæ pars ex iisdem pilulis exhibeatur; Ventriculus namq; earum ope a putredine & impuritate conſervatur immunis, qvod hoc inprimis deſideramus tempore.

Qvod ſi placuerit fortius paulo expurgare corpus, ſeqvens formula in pharmacopolio præparari poteſt:

R. Diaphænici Drachm. ij. Trypheræ Perſicæ, Elect. de ſucco roſar Elect. de Pſyllio ana Drachm. j. S. cum aq. acetos. card. ben. ana Unc. j. ſ. Syr. de acetos. Citr. Unc. j. f. Hauſtus.

S. Potio Purgans -- 22. Solid.

Qvisqvis hoc medicamento purgari amat, ipſius ætas, vires & conditiones ſunt conſiderandæ, harum namq; ratione habita medicamenti qvantitas augebitur vel minuetur.

Ubi in publicum progrediendum eſt, inprimis ſi aliqva contagii ſuſpicio in eo-

 dem

dem fuerit loco, utiliter in ore tenentur, Zedoaria, angelica, Cortex Citri, aurantiorum, vel parum præſervativi hujus qvod ſecundum hanc deſcriptionem in officinis præſcriptum eſt.

R Theriac. veter. Unc j. Gentian. Baccar. lauri, myrrhæ, ariſtol. rot. tormentill. ſcordii, Zedoariæ, C. C. raſi, Boli armen. Terræ Sigil. Cortic. citri an. Drachm. vi. Mellis deſpumat. & Sacchar. ad conſiſt. mellis in aqva decocti ana libr. j. f. Electuarium.

S. Primum Electuar. Præſervans. Unc. S. 4. Solid.

Item hoc Electuarium. R. Rad. Angelic. domeſt. Imperatoriæ, Zedoariæ, ſemin. angelic. domeſt. Granor. Juniperi, folior. rutæ, Boli armen. pingvis irrorati ſucco Citri & rurſum exſiccati ana Unc. j. Cinamomi, rad. tormentill. Cardopatii ſ. Carlinæ, Vincetoxici, Pimpin. Morſus diaboli, Phu veri domeſtici, ſemin. acetoſæ, citri mundat. Card. bened. Baccar. lauri, fol. Card. ben. Croci, C. C. uſti ana Unc. S. Piperis longi, maceris ad Drach. ij. f. pulvis tenuis ex omnibus.

R. Prædicti pulveris Unc. viij. Drachm. iij. Nuc. Jugland. non rancidar. Pulpæ ficuum ana Unc. ij. Sacchar. finiſſ. Unc. viij.

Mellis

Digitized by Google

Mellis puriſſ. cum Vino Hiſpan. deſpumati & decocti ad ſpisſitudinem ſyrupi lib. iij. ſpir. Vitrioli ſcrup. ij. Miſc. f. Electuar.

S. ſecundum Præſerv. Electuar. Unc. S. 2. ſolid.

Aut ex morſulis qvi facti ſunt ex dictis pulveribus.

R. Pulv. prædicti Unc. vij. Drachm. iij. ſacch. finiſſ. libr. v. cum aqva ſcabioſæ & Card. bened. diſſolve & coqve, formentur morſuli pondere Unciæ Semis.

S. Morſuli Præſervantes. Unc. ſ. - 3. Sol.

Singulis vel alternis ſeptimanis ſemel prout occaſio tulerit, aſſumatur drachma j. vel j. ſ. in aq. Card. bened., vel ſi haberi neqvit, ipſi ſubſtituatur vinum, hora matutina ſexta, ſudorq; inſtituatur unius vel duarum horarum. Non tamen Junioribus ea qvantitas eſt exhibenda, qvæ adultioribus.

Ut Medicamentorum delectus haberi qveat, ne uni generi aſveſcat natura, hujus præſervativi loco nonnunqvam conducet aſſumptio Theriacæ Andromachi, Electuarii de ovo, Mithridatii, Diaſcordii.

Utilis eſt geſtatio ſvaveolentium pomorum ambræ, qvorum maſſa hoc tempore

Digitized by Google

parabitur ex hiſce ſimplicibus, qvæ veneno & malignitati aëris reſiſtunt.

R. Ladani opt. ſtoracis calamit. ana Unc. ſ. Garyophyllor. macis, calami arom. Cinamomi opt. Ligni aloës, Santalor citrinor. Nucis Moſch. ana Drachma j. Camphoræ, Croci ana Drachm. ſ. Excipiantur pulveres aqva roſ. cum mucilag. gumm. arab. & tragac.

S Pomambræ Drach. j. -- 3. ſolid.

Pro ditioribus addi poteſt dictis ſpeciebus Drachma j. (qvæ conſtat 6. marcis Imperialibus & 8. ſolidis) vel Drachma ſ. Trochiſcorum galliæ moſchatæ, ſic namq; odor evadet nobilior.

Ex his etiam confici poſſunt Candelæ pro fumo peſtilentiales & trochiſci. Candelarum pro fumo peſtilent. Drachm. j. 3. ſolid.

Prodeſt odor aceti Bezoartici in ſpongia incluſa globulo ex oſſe, vel ex ligno Juniperino confecto.

Aceti Bezoartici Unc. ſ. -- 4. ſolid.

Qvicunq; laudatis utitur remediis, & ſuum præterea corpus venæ ſectione, purgatione, & ſudore expiat, non ita facile contagioſo hoc corripietur morbo. Si verò præter opinionem eo inficiatur, non tanta eſt morbi vis, faciliusq; & citius ei obviam ibi-

ibitur, qvam ſi nullum antea remedium uſurpatum fuiſſet.

Ultimò, nec minimum contagioſæ hujus luis præſervativum habent, qvotqvot mente intrepida nec timent, nec terrore morbum ſibi imaginantur. Omnes namq; tales timidæ & melancholicæ cogitationes, facilè contagium aſſumunt, inſtar picis & ſulphuris, nec qvicqvam boni aſciſcunt.

CAPUT TERTIUM.

De Infectorum Curatione.

UBi qvis in ſe jam adverterit frigus, tremorem, totius corporis debilitatem, capitis dolorem, vertiginem, angorem cordis, difficultatem reſpirandi, cibi faſtidium, ingentem ſitim, nauſeam, vomitum, magnam conſveti in facie coloris & formæ mutationem, aut alia in infectis obſervata ſigna, ſine mora primo omnium paternæ Dei voluntati morem gerens, cauſam ſuam omnipotentiæ Divinæ committet, nec tamen aſpernabitur media à Deo creata adverſus morbi hujus vim & impetum, qvæ corpus ab eo qvod excrementitium eſt & pravum, liberant, imprimis autem venenum à Corde

ad exteriora pellunt, humores, ſpiritus, & aërem corporis in melius permutant, roburq; dant & vires.

In principio ſtatim ac aliqvis malè habere incipit, vel aliqva dictorum ſignorum obſervat, ſine omni mora intermiſſis purgatione & venæ ſectione intra horas duodecim aſſumet alexipharmaca, qvorum nonnulla memoravimus ſecundo de præſervativis capite, ſed in majore doſi & crebrius uſurpanda. Sunt autem hæc.

Theriaca Veneta.	Drachma j.	-	5. ſolid.
Electuar. de ovo.	Drachma j.	-	8. ſolid.
Mithridatium.	Drachma j.	-	3. ſolid.
Diaſcordium.	Unc. Semis	-	8. ſolid.
Confect. liberans	Unc. Semis	-	2. ſolid.

Vel Electuaria præſervativa ſuperius præſcripta. Ex qvibus Drachma plus minus prout opus fuerit aſſumi poteſt; Diſſolvantur in aceto, vino, aq. Card. bened. ſcabioſæ, ſcordii vel Meliſſæ, (ſingularum Unc. ij. conſtant $1\frac{1}{2}$ ſolid.) vel etiam duobus aut tribus cochlearibus aut Unc. ij. hujus aqvæ vitæ qvæ in officinis parata ſecundum hanc deſcriptionem huic uſui valdè accommoda eſt:

R. Angel. domeſt. Imperator. Zedoar.

Semin.

Digitized by Google

Semin. angelic. Granor. Junip. ana Unc. Semis, fol. ſiccorum rutæ, calendulæ, verbenæ, ſcabioſ. ſalviæ ana Drachm. iij. Rad. Enulæ, Bardanæ, tormentillæ, pimpinellæ, Vincetoxici, Phu veri, Cardopatii, Croci ana Drachm. ij. Incidantur & pulverizentur omnia infundanturq; in ſpiritu vini generoſi vel Hiſpanici qvi octo digitorum transverſorum ſpatio materiam excedat, ſtentq; in loco calido per dies octo, poſtea liqvor ſenſim effundatur a materia in aliud vas.

S. Aqva vitæ Peſtilential. Unc. S. - 2. ſolid.

Similibus jam medicamentis aſſumptis, æger ſtragulis contegatur, ſudoriq; det operam qvantum vires ferre poſſunt; qvo finito corpus calidis linteis exſiccandum, lectus, induſium, & tegumenta lectorum mutanda, cavendo ne nimis ſubito refrigeretur æger, neve ſudor & venenum intro recedant. Nec abs re erit vel ægroti vel aſſiſtentium, linteamina iſta ſtatim in aqvam conjicere. Cubiculum poſtea & veſtes ſuffumigentur Junipero, Candelis vel trochiſcis pro fumo peſtilentialibus, de qvibus ſecundo egimus capite. Talium medicamentorum & antidotorum modo hoc modo illud ter vel pluries exhibendum (ſi tamen ægri vires id ferre va-

leant)

Digitized by Google

leant) ſed inter ſingulas exhibitiones 6. vel 8. horarum ſpatium intercedat, donec æger multo melius habeat, visq; veneni fracta ſit, nec ſudor ita ut antea fæteat.

Si qvis nauſeabundus pulveres vel Electuaria averſetur, ipſorum loco hanc ebibat emulſionem: R. Aq. Card. ben. Unc. IV. Sem. Citri Drachm. j. S. ſem. Napi Drachm. j. Terræ Sigill. Drachm. S. ſyr. de ſucco ſcabioſæ Unc. j. miſc.

Emulſio Sudorifera — 10. ſolid.

Qvi magis a medicamentis abhorrent, crebro ſumant hos trochiſcos.

R. Cort. citr. elect. Drachm. j. Boli Arm. orient. Drachm. S. Zedoar. ligni aloes, Ireos ana ſcrup. j. Moſchi, Ambræ, ana Gr. iiij. cum Conſerv. Roſar. f. trochiſci.

S. Trochiſci Peſtilentiales — 3. & dim. Marc Imper. Si aſſumptum medicamentum ore reijciat æger, idem vel aliud brevi poſt, bis vel ter repetatur. Si verò omnia ex præſcripto ritè ſucceſſerint, natura diligenter porro obſervanda eſt, qvo reliqvias veneni amandet, opera itidem danda eſt & tum temporis & poſtea, ut graviſſimorum hujus morbi ſymptomatum vehementia infringatur, de qvibus mox dicemus.

CAPUT

CAPUT QVARTUM.

De Variis Symptomatibus, quæ hunc morbum communiter comitari ſolent.

PEriculoſa hæc ſymptomata Venenatæ & contagioſæ noſtræ peſti ut plurimum accidunt. (1.) Bubones retro aures, ſub axillis, in Ingvine. (2.) Puſtulæ peſtilentiales, Carbunculi, vel Anthraces. (3.) Gravis ſopor ſive veternus. (4.) Intolerabilis capitis dolor. (5.) ſitis inextingvibilis. (6.) Debilitas (7.) Lingvæ ariditas. His Symptomatis ſeqventia conducent remedia.

(1.) Ubi Bubones eruperunt ſedulam dabimus operam, ut attrahentibus medicamentis huc attrahatur venenum, maturior tumor ad ſuppurationem ducatur & aperiatur ut liber veneno dari qveat exitus: Cui intentioni ſeqvens inſerviet Emplaſtrum. Cæpam mediocris magnitudinis excava, ſub cineribus coqve, coctam imple Theriaca optima. Cæpam hanc Buboni impone; bis vel ter in die innovari poteſt. Vel R. Alkekengi Unc. j. S. cum cochleari ol. anethi, contunde ad formam Emplaſtri, extenſum in duplici petia linea calidum applicetur. Idem bis vel ter in die permutari poteſt.

S. Em-

S. Emplaſtrum attrahens peſtil. 14. ſolid.

Seqvens Emplaſtrum uſu expertum eſt Bubones ad maturitatem deducere. R. Gumm. ammoniac. Unc. ſ. bdellii, ſagapeni ana Drachm. ij. ſinapis, Pyrethri ana Drachm. j. Euphorb. Caſtorei ana ſcrup. j. ficuum n. IV. f. Empl. ſ. a. Uti poteris hoc emplaſtro pari modo cum cæteris.

S. Emplaſtr. aperiens Bubones, 12. ſolid.

Admoveri etiam poteſt Cucurbita tres vel qvatuor digitos infra Bubonem, item Cutis ſcarificanda & incidenda per phlebotomum, idq: bis vel ter repetendum. Sed nec phlebotomo ſemper uti opus eſt. Remotâ Cucurbitâ Empl. ex Cantharidibus eidem loco applicari poteſt, ut veſica excitetur, qvæ aperienda eſt, & diu aperta conſervanda.

Bubones qvo citius eo melius aperiuntur, etiam priusqvam ad perfectam maturationem pervenerint. Qva vero ratione poſtea tractandi ſint, expertis notum eſt Chirurgis, ita ut ſuperfluum ſit prolixius de iis ſcribere in hoc noſtro brevi conſilio.

(2.) Dicta Emplaſtra inprimis duo priora applicare licet puſtulis peſtilentialibus, Carbunculæ & anthracibus: Hac tamen cautione, ut qvanto ocius aperiatur albicans vel

livida

livida puſtula, ut veneni pravitas expiret. Circa locum affectum aliqvot digitorum diſtantia uſurpabitur defenſivum & ungventum, ne latius ſe diffundat venenum; Ipſius hæc eſt compoſitio: R. Boli armen. Santalor. rubeor. ana Unc. ſ. ol. roſac. ſucci Scabioſæ ana q. ſ. ad mollioris ungventi conſiſtentiam.

Ungventum defenſivum 10. ſolid.

Hoc ungvento vicinas Carbunculo partes aliqvoties indie inunge, donec ſedata fuerit inflammatio. Tandem utere Emplaſtro qvod ſanum à corrupto ſeparat; ultimò qvod conſolidat.

(3.) Comitari hanc ſolent febrem Vapores & narcoticæ exhalationes qvæ ad Cerebrum aſcendentes magnam cauſantur propenſionem ad ſomnum qvi omnino in principio arcendus. Scopo huic ſeqventia competent: R. Succi rutæ Unc. ij. [conſtant 4. ſolid.] Aceti Unc. ij. miſc. duplicatum pannum linteum eo imbutum ægroti naribus admove.

Aliud remedium ſomnum hunc impediens. R. Angelic. Zedoariæ, torment. diptami ana Unc. j. Roſ. rubr. Majoran. Lavend. an. Unc. ſ.

Digitized by Google

Unc. ſ. Acet. opt. libr. iiij. Tecta bulliant ſesqvihoram & refrigerentur.

S. Epithema contra ſoporem. 2. Marc. Imper. 16. ſolid.

Duplicata vel triplicata lintea hoc imbuta capiti impone, Vertici inprimis & temporibus; ſæpe immuta, naribus crebro admove; fricentur eo brachia & pedeſ. Errhinorum etiam laudamus uſum, nam inde & commovetur Cerebrum ac expergiſcitur, & copioſi, viſcidi atq; narcotici expelluntur humores.

(4.) Pro ingenti capitis dolore qvi multis intolerabilis eſt R. Aqv. Roſar. Verben. viol. aut ſambuci [qvaſcunq; harum habere poteris] libr. j. Aceti roſ. Unc. iiij. ſalis nitri Drachm. j. ol. roſ. cochlear. ſ.

Epithema contra dolorem capitis 8. ſolid.

Invicem agitatis immitte duplicatam petiam lineam, ac exprime ne humidior vel frigidior capiti imponatur; locus eſt in vertice & temporibus: exſiccatam iterum atq; iterum intinge & applica: Æger eandem olfaciat aqvam: & eâ nares ſuas inungat.

Vel ſume acetum Sambucinum cum roſis contuſis vel fl. Sambuci cum roſis & a-

qva

Digitized by Google

qva Sambuci, ſimul contuſa capiti tepida admoveantur per petiam linteam.

Uſu comprobatum eſt experimentum qvod paratur ex Camphora ad Drachm. j. ʒ. ſolid. in taleolas diſſecta, & in aq. vitæ agitata donec diſſoluta fuerit, additis albumine ovi diligenter conqvaſſato, aqv. roſ. Cochl. ij. aceti roſ. vel ſambuc. Cochl. j. ſubtili ſtupa excepta capiti & temporibus non omnino frigida imponantur. Conſultum erit laudatis mediis ſtatim uti, nam ſi veneni vis ilico ad caput victrix aſcenderit, gravia & lethalia ſymptomata ſuperveniunt delirium nempe & furor maniacus.

(5.) Sitis ingens hic non infreqvens, mox ſedetur, nec potus ægrotis prohibeatur, qvippe omnes inde enervantur vires. Nec alia re in hac febri magis roboras Cor, viresve naturæ addis, qvam ſi convenienti potu ſitim leves ac mitiges, calore inprimis per univerſum corpus diſperſo, ægroto intrepide exhibeas potum frigidum ex ſeqventibus, nec opus eſt eum calefacere, modo nullum pulmonis, laterum, vel hepatis apoſtema fuerit.

Liberalem ægro hauſtum concedens memineris in omnibus mediocritatem optimam

mam eſſe. Primo decoctum hordei, qvod variè fieri poteſt cum prunis, vel uvis paſſis. Item mel deſpumatum in aqva decoctum cum pauca qvantitate aceti opt. ad gratam aciditatem. Serum lactis vino vel cereviſia alteratum, cum modica aceti portione. Item aqva cocta cum Rob ribium, ſucco Cydoniorum aut citri donec gratam aciditatem acqviſiverit. Cereviſia Barſenſis vel etiam noſtra qvæ non multum lupuli habet cum offa panis & pauco ſaccharo ſitim tollit & roborat. Hac ratione per refrigerantes has potiones, non modo ſedatur ſitis, ſed & magna caloris pars demitur.

(6.) Magnum hunc capitis dolorem, moleſtum ac profundum ſomnum, fætentem ſudorem, calorem ac ſitim, debilitas, lipothymiæ, cardialgia, ſpasmus & horrendæ convulſiones excipiunt. Suffitus itaq; hic ſtatim fiat ex Succino (album præſtat) Drach. j. 4. ſolid. ægriq; naribus admoveatur.

Trochiſci peſtilentiales pro fumo convenient notati cap. 2. Brachia demum, pedes & dorſum calidis fricentur pannis.

Succum rutæ expreſſum aceto permixtum naribus admove, eoq; ipſas inunge & ubi

ubi prima debilitas remiſerit brachia & pedes oleo & ſale durius fricentur.

Parum pulveris unicornu, cui etiam ſuccinum album ſubſtitui poteſt, ex aq. Card. bened. vel Scabioſæ, proderit. Item pretioſus lapis Bezoar (cujus gr. j. conſtat 6- ſolid.) in hoc affectu & præſervativus eſt & curativus ſumptus ad v. vj. grana in cochl. j. vini vel aq. Card. bened. ubi vel ad præſervandum vel ad curandum eo uti animus eſt, ſed in hoc caſu duo triave grana ſufficiunt.

Poma ambræ deſcripta cap. 2 commodè odore excipiuntur; Item aq. Lil. convall. florum Tiliæ ad j. vel alterum cochlear ſumptæ.

Aliud remedium carpo & temporibus admovendum R. Baccar. Juniperi Unc. ſem. Garyophyllor. Drachm ij. Camphoræ Drach. j. Croci Drachm. ſ. Contunde in mortario cum modico aq. roſar. & acet. roſ. miſc. hoc imbuatur petia linea carpoq; & temporibus applicetur, interdum ægroti naribus adhibeatur.

S. Aqva pro Carpo 16. ſolid.

Parari etiam qveunt variæ aqvæ odoriferæ, item aqvæ apoplecticæ, qvæ in officinis proſtant ſi expetantur [libr. ſ. conſtat 3. marc. Imper. & 4. ſolid.] Item variæ aqvæ

Digitized by Google

vitæ vires ſubito reficientes, qvæ ſingulæ ob brevitatem conſilii hic non adducuntur.

(7.) Ultimò magnus Lingvæ ardor ſæpe ſupervenit, ita ut fauces à viſcidis vaporibus fœtidisq; fuliginibus accendantur, lingvaq; arida evadat & nigra , ut inde intumeſcat mortemq; cauſetur. Statim igitur ac lingvam videris ſicceſcere & nigreſcere, & circa tonſillas, uvulam & fauces tenacem lentorem obſervaveris, hoc gargariſmate uteris: Gargariſma 20. ſolid. R. Aqv. Prunell. Acetoſ. Plantag. ana libr. ſ. ſucci moror. ſi haberi poterit, vel ipſius loco Diamori Unc. j. ſ. mell. roſ. Unc. ſ. alumin. uſti Drachm. j. lento igne ſimul coqvantur ſub operculo per horæ qvadrantem, miſce, eoq; tepido os ſæpius ablue & gargariza. Penicillum ex filis decerptis paratum huic intinges aqvæ [ſi ſpiſſiorem deſideras, adde plus diamori] & lingva nitido linteo atrepta, fauces, tonſillas, uvulam & lingvam eo optimè mundabis, ita ut viſcida ea materia & tenax ſeparari qveat. Vomitus etiam proficuus erit poſt ablutionem, qvippe qvi multum viſcidi ſecum aufert.

Mucilago qva obducatur lingva exſiccata & corrugata.

Ungven-

Ungventum pro lingva 6. ſolid.

R. Sem. Cydonior. pſyllii, tragac. ana Drachm. j. cum aq. roſ. f. mucilago qvâ lingva ſæpius obducatur.

Plura hic recenſere neceſſarium haudqvaqvam videtur. Qvi majora deſiderant, Medicos conſulant, vel prudentes Chirurgos qvi uberius ipſos docebunt, cum ſingula tam diffusè hic conſignari neqveant.

Breve hoc conſilium in vulgi gratiam conſcriptum eſt, qvod ſi commodum aliqvod attulerit, gratum nobis erit qvalemcunq; hunc noſtrum laborem non inutilem fuiſſe.

Recenſita Medicamenta proſtant in officinis Hafnienſibus.

LOCULUS XXI.
Fundatio Stipendii Medici Finckiani.

Thomas Finck Med. Doct. & Profeſſor in Academia Hafnienſi patentibus his literis notum facio omnibus, me in Dei omnipotentis honorem & grati animi ſignum, ad

 pro-

promovenda meliora ingenia, ſtudia Medica & Philoſophica, mea ſponte, benevolo animo & meditato fundaſſe & donaſſe, & hoc ipſo fundare in perpetuum & donare pro me & hæredibus meis, Academiæ Hafnienſis Facultati Medicæ ſummam 2200. Thalerorum Imperialium monetæ probæ & ſignatæ, ad Feſtum Trium Regum 1620. ſolvendam, & annuam illorum uſuram ſemisſeni, ſeqventi modo impendendam. Primo XX. Imperiales qvotannis reſervari debent pro augmento ſummæ principalis, ita ut anno 1625. trium Regum, & deinde elapſo qvovis anno qvinto collecta ſumma 100. Thalerorum fœnori exponi poſſit. Deinde XII. Thaleri conceduntur Profeſſoribus Facultatis Medicæ & Medico Doctori Seniori in Facultate Philoſophica cum Decano Facultatis artium. Tertiò, centum illi Imperiales donantur Studioſo cuidam Philoſophiæ & Medicinæ, ut in exteris Academiis ſe ſuſtentet, & prædicta ſtudia continuet, ad ulteriorem tamen deliberationem, ſi emergente occaſione & ſufficientibus rationibus ſubinde conſultum ſit futurum, in hac Academia alere qvinq; juvenes, Philoſophiæ aut Medicinæ Studioſos, ita ut unicuiq; XX. Unciales cedant, duobus

vel

vel tribus annis pro rerum ſtatu, & qvando in numero illorum eminet capax aliqvod & bonæ ſpei ingenium, eligi poſſit communi Inſpectorum conſilio, cui 100. Imperiales dentur ſpatio qvatuor vel qvinq; annorum pro Inſpectorum diſcretione. Notandum hic qvoq;, nullos ab iſto beneficio excludendos, qvanqvam Flensburgi, in Provincia Eiderоſtadenſi, vel alibi in Ducatu Sleswicenſi aut Holſatiæ nati ſint, modo fuerint Academiæ noſtræ cives. Qvod ſi qvoq; ex meis hæredibus, cognatis vel affinibus inveniantur cæteris virtute pares vel capacitate haud inferiores, & illud petant, non minus, imò magis ad illud ſtipendium promoveantur. Uſuram ex augmentis qvod ſpectat, qvando ad 100. Unciales excrevit, hujus uſura concedatur primo uni vel duobus vel tribus Studioſis Philoſophiæ aut Medicinæ, prout augmentum excreverit, qvi in hac Academia alantur, ut ex illis ſeligatur unus, cui ordinarium ſtipendium 100. Thalerorum erogetur. Qvod ſi etiam temporis decurſu augmentum ita augeatur, ut & domi aliqvibus & illi qvoq; provideri qvi in exteris degit, & Inſpectoribus Profeſſoribus aliqvid amplius ſuperaddi poſſit, illud qvoq; Inſpectorum omnium judi-

Digitized by Google

judicio & conſenſu concedatur. Summam capitalem cum augmento qvovis anno qvinto accreſcente, Nobilibus fide dignis & bonis Inſpectores fœnori dent, acceptis chirographis in Nundinis uſurariis conſvetis ſub obſtagio, ita ut Regni leges & Magiſtratus conſtitutiones ſemper obſerventur, qvantum ad fori ac juris proceſſum attinet. Præterea, ut hæc conſtitutio & donatio mea ad legitimos uſus juxta prædictum tenorem convertatur, & in perpetuum ſine obſtaculo ullo conſervetur, ego Inſpectores ad id conſtitui & nominavi, non ſolum legitimos meos hæredes proximos ſucceſſivè, ſed & prælaudatos Academiæ Profeſſores, Collegas meos & ſucceſſores perdilectos, qvos omnes & ſingulos peramanter rogo, diligenter provideant ut donatio hæc benevola in uſus juvenum dignorum ſemper convertatur, qvi & hic & ubicunq; locorum vivant, ubi aliqvid præclari videre, audire & experiri datur, ita ſtudia ſua & exercitia perſeqvantur, & Inſpectoribus ſufficienter probent, ut aliqvando Regni & Reipublicæ bono inſervire qveant in prænominatis Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis. Qvod ſi proximi mei hæredes præſentes non fuerint, moneri debent ab Inſpectori-

ctoribus reliqvis, ut præſentiant & una cum cæteris disponant qvis donatione iſta ſucceſſivè frui debeat, qvo fine Inſpectores Profeſſores de aſumnis & ipſo ſtipendio accuratè in Diario referant, ut ſi unqvam hæredes mei illorum petierint explicationem, ſufficienter illa monſtrari poſſit. Pro tanto labore qvotannis fruantur XII. Uncialibus, & ſi aliqvando augeri hæc poſſint, vel ex minutis qvatuor annorum ſorte ex augmento ſummæ collectis, uſura aliqva haberi, illorum cedat commodo. Hæredes mei extra ordinem Profeſſorium, contenti ſint eo qvod præſciant & cum cæteris poteſtatem habeant ſuper donatione iſta benevola & conſtitutione, cujus ex parte commodum etiam illorum (filii vel poſteri) expectare poſſunt. Et ſicut nullo modo dubito, qvin Deus Omnipotens, in cujus manibus potentibus ſortes noſtræ, ad hoc inſtitutum gratiam & benedictionem ſit conceſſurus, Magnificus qvoq; Dn. Cancellarius, Dn. Rector & omnes Academiæ Profeſſores eandem benevolam conſtitutionem etiam promoturi ſint & defenſuri, ſub clementi Dei remuneratione: ita hæredibus meis diſertè reſervatum volo, ſi juxta præſcripta, ad dictos uſus Conſtitutio

hæc non impendatur aut obſervetur, ut licitum ſit ipſis hanc donationem retractare & revocare, ſicut copia mihi ab Academia conceſſa, uberius declarat. In rei teſtimonium, qvò rectius omnia ſerventur, exoravi Viros Clariſſimos & Excellentiſſimos, Affines & Generos meos dilectos, Medicinæ Doctores & Collegas, D. Caſparum Bartholinum, pro tempore Academiæ Rectorem Magnificum, D. Georgium Fuirenium, D. Olaum Worm Philoſophicæ Facultatis ſpectabilem Decanum, mecum ut ſubſignarent & ſubſcriberent.

Actum Hafniæ 6. Januarii Trium Regum 1619.

Thomas Finck. L. S.   Caſparus Bartholinus. L. S.

Georgius Fuiren. L. S.   Olaus Worm. L. S.

Hanc magnificam fundationem ſuam paucis ante obitum annis reformavit Senex ſeculorum memoria digniſſimus, &, ne poſthac per annua augmenta turbarentur rationes, ſupplevit ipſe ſummæ principali qvod deeſſe

Digitized by Google

deeſſe videbatur, ut jam ſumma 3000. Thalerorum Imperialium ſit conſtans & perpetua, ex cujus annua uſura ſemiſſi, XVI Thaleri diſtribuuntur Profeſſoribus Inſpectoribus, Studioſis in Academia Hafnienſi XLII Thaleri, Stipendiario Studioſo in exteris Academiis Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis invigilanti CXX. & qvi reſidui ſunt duo Unciales, neceſſariis aliis ſumptibus impenduntur. Tantis beati Senis in Rempublicam noſtram Medicam meritis grati aſſurgimus, & famæ immortalitati applaudimus, benè Manibus defuncti precantes.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XXII.

CASP. BARTHOLINI

De Aere Peſtilenti corrrigendo Conſilium.

Ad

Generoſiſſimum Virum

Dn. SIGVARDUM GRUBBE,
Dn. de Houdale, &c.
Malmogienſium, Lundenſium, &c.
Præſidem Regium.

ITerum ad te itionem parat Conſilium, Vir Generoſe, nonnullibi jam adauctum, & comite antidoto nobili Nobilis & illuſtris Viri, Dn. Tychonis Brahe, denuò editum. Et cur non pararet? Primitus ſiqvidem 1619 publicatum tam ſerenâ fronte exceperis, animoq; benivolo complexus ſis; ut literis etiam, iisq; amuſſitatis ad me directis gratum fuiſſe ſis teſtatus. Taceo, qvibus me poſtea Malmogiæ in ædibus tuis negotiorum meorum cauſſa degentem exhilaraveris meritis, qvamqvam, penitus ut taceam, vetet

Digitized by Google

vetet gratitudo. Verum benefacta non ſatis dignis laudibus extollere, eſt tacere. Tua certè in me abundè multorum jam annorum decurſu atq; olim in parentes collata tacere ita malo, ſilentioq; apud animum meum deprædicare, qvàm verba, qvod alias dicitur, dare. Vale literarum Antiſtes & literatorum Patrone conſtantiſſime.

Hafniæ 3. Kal. Mart. Anni Chriſtiani ∞ IↃC XXIV.

PROOEMIUM.

QVamqvam peſtis aliqvando & ſæpe qvidem citra aeris infectionem graſſetur, vel ex pæna divina Exod. 9. & 32. Lev 26. Num. 12. 14. & 25. Deut. 28. 2. Sam. 24. 2. Reg. 19. Jerem. 14. 29. & 34 Ezech. 5. 14. & 33. Amos 4. Apoc. 6, ſingulari (Paracelſus vocat ex Ente Dei) ut exemplis & dictis ſcripturæ ſacræ bene multis liqvet; vel ex peculiari influxu (Vide Aſtrologiam noſt.) aſtrorum; (Paracelſo ex ente aſtrorum) ſæpius etiam in corporibus qvam in aere ſemina peſtifera hæreant

reant (Parac. ex Ente naturæ, ex ente autem pagoico vocat, qvæ per imaginationem concipitur) utplurimum verò per contagium ſerpat (Paracelſo ex Ente veneni) aliisq; communicetur: Attamen cùm & per aerem intermedium ſeminaria luis hujus de corpore in corpus transferantur; & nonnunqvam aer ipſe infectus ſit; & corpora etiam noſtra iis utiqve alterentur, qvibus aer corrigitur corpora ambiens & per inſpirationem ſubiens; aeris certè alteratio repurgatioqve ad vim peſtilentem retundendam, divino auxilio oppidò fuerit proficua. Hinc in malignis & peſtilentibus conſtitutionibus vel maximè ad aerem reſpexerunt Medici tam veteres qvàm neoterici. Unum producamus Medicorum coryphæum, Hippocratem: Hic libro de flatibus, morborum omnium cauſſas in univerſum aeris inſpirationi & victus rationi adſcribere auſus eſt; has adducens tanqvam cauſas potisſimas & inevitabiliores. Aere namq; & victu diu citra periculum interdicere animanti non poſſumus, ſecùs qvàm animi perturbationes & hujus cenſus atq; clasſis cætera. Aer autem potisſimus in communibus efficiendis morbis ſtatuitur; qvia nobis & communior cæteris, & juxta inevitabilior, majo-

Digitized by Google

majoresqve in ſe alterandi vires habet, ſicut & ipſe alteratur variè modò ſecundùm manifeſtas qvalitates, ventorum inqvinamentis, cœli mutationibus, &c. modo totâ, ut cum Medicis loqvar, ſubſtantiâ, vel cum Philoſophis, occultis qvalitatibus, qvando venenatum qvoddam inqvinamentum aeri adſperſum admixtumq; eſt: idq;, vel à cauſſis ſuperioribus & cæleſtibus; vel inferioribus; ut per contagium à rebus peſtiferis & venenatis, (qvod plerumq; fit) à putridis cadaveribus inſepultis, corruptis frugibus, leguminibus & oleribus, lacubus, ſpecubus, barathris, cloacis, metallifodinis, &c.

Sed cum hoc loco inſtituti noſtri non ſit Peſtis naturam, cauſas, ſigna, aut plenam curationem venari, qvod alii plenis libris abundè præſtiterunt: verùm ea dumtaxat, qvæ negligentiùs & parciùs alii perſeqvuti ſunt, nempe qvæ Aeris correctionem per varia artificia ſpectant; rem hanc ſtatim ulterioribus absq; ambagibus aggrediemur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Qvis aër potiſſimum eligendus, & qvis vitandus.

CUm omnibus non datum ſit avium inſtar avolare qvò lubet & juxta verſum iſtum, *Mox, longè, tardè, cede, recede, redi*, Reſculas ſuas ſecum aliò transferre; Præcepta & conſilia de aëre, in qvo tempore peſtis vivimus, notanda ſunt.

I. Aër eligendus, non concluſus, ſed pervius, ventis præſertim ſeptentrionalibus & orientalibus, minimè verò meridionalibus, qvippe calidis & humidis, ideoq; ad putredinem disponentibus. Itaq; eligatur habitatio, aqvilonaribus ventis expoſita, clauſa, niſi ad ventos frigidos & ſiccos, in qvâ pauci habitatores: atq; idcirco vitandi, qvantum poſſibile, hominum conventus, niſi qvando diverſum ſvadet pietas.

II. Aër antemeridianus hora prima aut ſecunda ab orto Sole egredientibus ſalubrior. Nocturnus ſtudio vitetur maximo. Meridianus antemeridiano minùs ſalubris. Pomeridianus & veſpertinus periculoſiores ſunt: etiam ipſo nocturno. Hoc enim pori cutis conſtringuntur; illo magis aperiuntur, & introi-

troitum infecto aëri liberiorem præbent. Conclavia ergo aëri externo non priùs pateant, qvàm is à Sole illuſtratus benèq; purgatus fuerit, & humidæ noctis relliqviæ à Sole diſſolutæ.

III. Vitetur aër calidior, qvalis in hypocauſtis nimiùm calefactis; præſertim qvi in balneis ſiccis: Itim impurior; qvalis propè lacus, cloacas, cæmiteria, in locis humilibus &c. Removeantur inqvinantia aërem qvæcunq; corrupta, putrida, ſordida, fœtida, ut platearum ſordes, inſepulta cadavera &c. feles & inutiles canes ne vagentur, ſed interficiantur: per canes enim, feles, columbas, niſi domi maneant, facilè de domo in domum hæc lues uti & per veſtes ex ædibus infectorum tranfertur.

Magiſtratus itaq; tempore peſtis officium fuerit, curare, ut nihil putridum aut fœculentum civitatem oneret: cadavera putreſcentia terræ mandando; ſpecus & barathra malignum exſpirantia obſtruendo; annonam putridam meliori commutando, infectos à ſanis arcendo; vicos & plateas omnes, ſentinas, aqvæductus &c. à fimo & ſterqviliniis accuratiſſime expurgando; aliaq; id genus ſimilia factitando.

Digitized by Google

CAPUT II.

De aëris flabellatione, itimq́ de irrorationibus.

NOn parum aëris renovationi flabellatio inſerviet. Hinc & magnarum campanarum ſonitum graſſante peſtilentia commendant. Hinc aves, præſertim paſſeres, gallinas, pavones, anates, ciconias, ſi in hypocauſtis aut cameris alantur, aërem purgare crediderunt: fortè qvòd volatu aut ſaltem alarum agitatione aërem ventilent atq; diſſipent.

Accedat irroratio conclavis æſtate aceto, aq. roſ. violarum, nympheæ, citri, myrti, florum ſambuci &c. floribus & herbis frigidis & ſiccis ſparſis: hyeme calidioribus. Sic & ſubuculæ abluantur aq. roſac. cum modico aceto vel aliis odoris. Fornax hyberno tempore aqvis odoratis conſpergatur. Incoqvantur etiam Juniperi baccæ aceto optimo, adjectis cariophillis, roſis, corticibus citriorum & cydoniorum &c. qvo decocto lateres igniti irrorentur. Æſtu caniculæ diſpergantur per conclavia, myrtus, rubus, cotonea, aurantia mala, manipuli juncorum, folia vitis, ſalicis, violarum, nympheæ, frondes

Digitized by Google

des cotoneæ mali, ulmi, qvercus & populi; flores roſarum, cichorei, bugloſſi &c. poſcæ ſeu oxycrato immerſi: qvo etiam muri ac pavimentum irrorentur, cum caliditate exundat aër. Olfacias eadem, atq; camphoram cum ambra, ſantala citrina &c. Ditiores intingant lintea, ſtragula, & pannos lectis circumtenſos aq. roſ. nenupharis &c. adjecto acet. roſac. q. ſ. rectiusq; aëris correctionem promotum ibis, ſi prius immacerentur ſantali, roſæ rubræ, flores violarum, bugloſſæ &c. cum tantillo camphoræ.

CAPUT III.

De aëris purgatione per ignem.

IGnis luculentus accenſus aërem immane qvam perpurget. Unde Hippocrates tempore peſtis integra incendebat nemora, peſtemq; graſſantem ceſſare faciebat. Sic in peſte, cujus meminit Thucydides, qvæ ex Æthiopia in Ægyptum, & hinc in Græciam ſerpſit, exſtructis per Athenienſium urbis pyris Hippocrates odoratiſſima ligna, ſvaviſſimosq; flores ac coronas incendit, & aromata atq; ungventa inſperſit, ut cum ignis virtute, tum odorum fragrantia aërem e-

mendaret: qvare non tantum præclaram nominis famam conſeqvutus eſt, ſed inſimul aureâ ſtatuâ donatus. Ante Hippocratem idem conſilium ab Empedocle & Agrigentinis Medicis ut Acrone datum fuiſſe, proditum eſt.

Ignis in foco paretur ex ligno ſicciſſimo, qvercino, fagi, vitium ſarmentorum, ſalicum, injecta ruta, junipero, & aliis.

Admodum etiam proderit tempore peſtilenti bombardas & tormenta bellica freqventer explodere, qvo remedio diſſipentur nebulæ & infecti aëris contagia. Exemplum ita fugatæ peſtis citat Lemnius de Occult. Cap. 10.

CAPUT IV.

De aëris inqvinati correctione per ſuffitus.

SUffitus, ſuffumigia vel ſuffimenta, vulgo Græcis *θυμιάματα* & *ἀνακαπνίσματα*, ſunt qvæ incenduntur, aut prunis imponuntur ad fumum. Præter ſimplicia, dantur compoſita, qvæ formari poſſunt 3. fere modis. 1. In pulveres, qvi carbonib. ignitis inſperguntur: ut eſſe poteſt adverſum peſtem pulvis viola-

olarum, & conſimiles. 2. In paſtillos ſeu placentulas (trochiſcos vocant) pulveribus humiditate ſubactis atq; carbonibus impoſitis, ut ſenſim in halitus reſolvantur. 3. In oblongas pyramidales columellas tribus pedunculis innitentes, qvæ incenſæ ardent tantiſper fumantq; halitu odorato, donec conflagrent. Has candelas vocant odoratas, peſtilentiales, nigras, fumantes, aves cyprias &c.

Fiant autem ſuffitus in locis tam publicis & compitis, qvam privatis, qvater cottidie, manè, ante prandium & cœnam, & poſt pocœnium, præſertim ſub utrumq; crepuſculum ex variis, ut lignis, præſertim odoriferis, reſiniferis, calidis, & naturâ vel diurna repoſitione ſiccis: qvod & de herbis notandum.

Simplicia in hunc uſum ſunt ſeqventia præcipuè.

Abies, *lignum & reſina.*
Abrotanum.
Abſinthium, inprimis Ponticum.
Acorus ſeu calamus aromaticus, *radix.*
Agallochum *ſeu lignum aloës.*
Ambra.
Angelica.

Digitized by Google

Artemiſia.
Aſarum, *radix*.
Aſſa dulcis.
Balſamita.
Balſami veri lignum.
Belzoinum.
Betonica ſilveſtris.
Betula.
Buxus.
Calaminta.
Camepithis.
Camemelum.
Cariophilli.
Cedrus.
Cinamomum.
Citrii mali cortex.
Coſtus, radix.
Crocus
Cupreſſus.
Cyperus, radix.
Enulæ radix.
Fraxinus.
Galanga, radix.
Geniſta.
Hiſſopus.
Junci odorati herba & radix.
Juniperi lignum, folia & grana.

Iri-

Digitized by Google

Iridis radix.
Lacca.
Ladanum.
Laricis reſina.
Laſerpitii lachryma.
Lavendula.
Lauri lignum, baccæ & folia.
Lentiſcus.
Libanotis ſive Rosmarinus.
Majorana.
Maſtix.
Meliſſophyllon.
Mentha.
Myrrha.
Myrthus.
Nardus.
Ocymum.
Oliva.
Origanum.
Pinus, lignum & reſina.
Polium.
Pomorum cortices ſicci.
Pſeudonardus.
Pulegium.
Qvercus folia & lignum ſiccum.
Ruta.
Sabina baccifera.

Digitized by Google

Sarmenta.
Salvia.
Scordium.
Serpillum.
Spica.
Sqvinanthum ſeu juncus odoratus.
Stæchas.
Styrax.
Succinum.
Tamariſcus.
Terebinthina odorata.
Thus.
Thuris cortex.
Thymus.
Thymbra.
Valeriana radix.
Vitium palmites.
Zinziberis radix.

Trochiſci pro fumo idonei ſunt, de gallia vel alipta moſchata, de camphora, vel ſic:

R. Ladani opt. unc. ij.
Styrac. calamit. unc. j.
Roſ. rubr. pulv. unc. j. ſ.
Thuris unc. ij.
Camphoræ drachm. ſem.
Cum aq. roſ. in qvaparum tragac. di-
Trochiſci parvi. (lut. f.

Alii,

Alii.

R. Styracis calam.
Benzoini an. unc. ſem.
Ligni Junip. drachm. j.
Rad. Angel. ſcrup. j.

Cum infuſ. gummi tragacanth. in aq. roſ. addendo moſchi grana aliqvot f. Trochiſci pro fumo. Vel ſic:

R. Lign. aloës odori drachm. j,
Santali utriusq; an. drachm. ſem.
Benzoini drachm. j. & ſem.
Cinamomi elect. ſcrup. j.
Saccari puriſſ. drachm. vj.
Ambræ opt. gr. ij.

Cum mucilagine tragacanth. ex aq. roſ. f. Trochiſculi pro fumo, & ſignentur. Citat *Saracenus* Empirici cujusdam ſuffimentum paratu facilius, at paullò ingratius, tale.

R. Pulv. tormentarii unc. ij.
Thuris.
Sulphuris.
Granorum Juniperi an. unc. j.
Caph. unc. ſem.

Excip. aq. vit. & reſina larigna, & conform. trochiſci craſſiuſculi.

Hactenus Trochiſci. Seqvuntur *aviculæ cypriæ* dictæ.

Digitized by Google

Candelæ pro fumo vulgar.

R. Ladani unc. vj.
Styrac. rub. unc. iiij.
Calamit. unc. iij.
Liqvidæ q. ſ.
Baccarum Junip. unc. j. & ſem.
Cariophillor. unc. j.
Carbonum libr. j. & ſem.

Cum infuſ. tragac. f. Candelæ. Vel ſic

R. Aſſæ dulcis unc. ſem.
Pulv. ireos drachm. ij.
Ligni aloës.
Nucis Moſchat.
Cariophillor.
Maſticis an. drachm. j.
Styracis calamit. drachm. ij
Sandal. omnium an. ſcrup. ſem.
Caphuræ gr. v.
Ambræ.
Moſchi an. gr. iij.
Saccari alb. unc. iiij.

Cum mucilag. tragacanth. & ſtyrace liqvida pauca & aq. roſ. f. Candelæ.

Aliæ:

R. Benzoini.
Styracis an. drachm. iij.
Baccarum Juniperi.

Mirrhæ

Mirrhæ.
Thuris an. drachm. ij.
Ladani drachm. j. & ſem.
Ligni Junip.
Cort. pom. ſic. an. drachm. j.
Citri ſic.
Santali citrini.
Succini an. drachm. ſem.
Ligni aloës
Cariophill. an. ſcrup. j.
Carbonum ſalicis vel tiliæ ad duplum ponderis.

Cum infuſ. gummi tragacanth. addendo camphoræ gr. vj. f. Candelæ.

Candelæ Grataroli.

R. Ladani puri
Styracis calamitæ
Myrrhæ
Maſtiches
Thuris an. unc. ſem.
Majoranæ
Cyperi vel junci odorati
Roſ. rubr. an. unc. j.
Cinamomi
Cariophillor.
Santali citrini
Macis an. unc. ſem.

Car-

Digitized by Google

Carbonum ligni ſalicis aut tiliæ libr. ſ.
Styracis liqvid. unc. j.
Aq. roſ. q. ſ. ad incorporationem.

Adde ad placitum, camphoræ, moſchi aut ambræ parum. Proſunt ſuffumigationes ad ſpiritus reficiendos, cor exhilarandum & ab externa malignitate vindicandum.

Conclavia, in qvibus peſte correpti exſpirarunt, purificentur, ſublata ab uſu hominum ſuppellectile, inprimis lectiſterneis, culcitris, & veſtibus pelliceis, in qvibus aura venenata non ad menſes tantum ſed etiam annos deliteſcere poteſt, teſtantibus variis hiſtoriis Medicis: Deinde feneſtris apertis calx viva exſtingvatur in aq. frig. cui aliqvid aceti admixtum, pro ſuffimento. Veſtes infectorum ut purgentur, fumum ex ſulphure imbibant, aut aqvæ fluenti immergantur: nec enim indiſcriminatim præſertim à pauperibus igni cremandæ. Commendatur etiam ad ædes & veſtes purgandas hoc ſuffumigium:

R. Vitrioli p. j.
Myrrhæ p. dimid.

Diſſolv. in aceto & lateri candenti inſpergas. Solum vitriolum pro ſuffitu in ædibus extollit *Brunnerus*, ſi unc. iij. in ſemi ſextario vini boni contritæ ſumantur & infundan-

dantur in laterem ignitum, ut vapor conclave, ubi ægri jacent, pervadat & imbuat, adeoq; malignitatem corrigat. Addit: Qvod ſi inibi peſte infectus fuerit demortuus, ne contagium deliteſcat, & ita ulterius ſerpat, aliosq; ingreſſos inficiat, calce nova parietes inducendi ſunt, ut ita venenoſæ peſtis fomes abſorbeatur.

Ulterius circa ſuffitus obſervandnm, cælo æſtuoſo & fervente ignibus conclavium injiciantur potius frigida, ut malorum ac pyrorum, mali punici & cotonei putamina, roſæ, violæ, ſantalorum genus omne, Camphora, myrthus, coriandrum præparatum, ſuccinum, ſemina mali citrii & oxylapathi.

Qvæſtio autem in hoc capite moveri poteſt; *Annon graveolens vapor, & putridus aër tempore peſtis conveniat, potius qvam purus & ſuaveolens?*

Non enim deſunt, qvi ad peſtis præcautionem qvotidie fœtidiſſimas cloacas & latrinas accedunt, inde fœtorem plenis naribus excipiendum contendentes, in præcipuum qvoddam contra luem hanc imminentem præſidium. Qvod qvibusdam in Galliis uſitatum ſcripſit *Palmarius*; & nuper in Norwegia

tempus adeò infici poſſunt, ut inde morbi lethales progignantur, & qvaſi ex ovo peſtis pullulet. Qvantò magis peſtilenti tempore, qvo lues inſtar fulminis neq; robuſto neq; debili parcit, neq; adſveto putridis, neq; odoratis inhianti. Unde & qvi diu cum infectis converſati ſunt (ut objectionibus obviam veniamus) tandem etiam non raro ſuccumbere eos monſtravit experientia. Adde periculoſum eſſe malis fœtidisq; adſveſcere; ſordidum & turpe inqvinamentis adhæreſcere. Præterea peſtis cauſa omni putredine eſt deterior: neq; hic peſtem tamqvam ſcorpium manu capies peſti medicaturus; ut taceam omne claudicare ſimile.

CAPUT V.

De aëris emendatione per odoramenta.

ODoramenta non accenſa hoc loco intelligenda. Ut ſi qvis ſecum geſtet odoratos flores & herbas, inprimis rutam, mala citria, limonia, arantia, camphoram &c.

Balſami hic non poſtremas tenent: præſertim Angelicæ, apoplecticus, citri, rutæ, ſuccini.

Loti-

Digitized by Google

Lotiones faciei, manuum, axillarum, pudendorum per odorata utiles, ut: acetum ſimplex vel roſac, aq. angelicæ, lavendulæ, addendo aliqvid camphoræ; vel aq. naffe ſeu florum citrangulum.

Veſtibus omnibus concilietur *odor* ſvavis, æſtate frigidus, hyeme calidus. Qvamobrem proſunt veſtimentorum perfumationes, ſuffitus &c. Geſtentur Chirotecæ odoratæ, aut ſacculi in ſinu ex pulveribus cypriis, violaceis, & conſimilibus.

Pilæ odoratæ (qvæ vulgo dicuntur *Pomambræ* vel poma odorata) pyxidi eburneæ undiqvaq: perforatæ incluſæ manibus geſtentur, ut:

Pomum odoratum.

R. Storacis drachm, iij.
Cariophillor.
Cinamomi an. drachm. ij.
Maſtichis drachm, j. & ſem.
Macis
Nucis Moſchat. an. drachm. j.
Ligni aloës drachm. ſem.
Moſchi
Ambræ an. gr. iij.

Vel:

R. Ladani

Digitized by Google

Styracis calamit. an. unc. j.
Benzoini drachm. ij.
Pulv. violar. drachm. ij.
Santali albi
Cinamomi
Spicæ an. drachm. j. & ſem.
Cariophillor.
Nucis moſchat.
Ligni aloës an. drachm. ſem.
Moſchi
Ambræ an. q. ſ.

Vel hoc Rulandi:

R. Ladani unc. ſem.
Styracis odorat.
Myrrhæ an. ſcrup. j.
Cariophillor.
Macis an. ſcrup. ſem.
Moſchi gr. vij.
Ambræ gr. iiij.
Cum vino aromatico & aceto acerrimo
f. Pomum.

Aliud F. Med. Hafn.

R. Ladani opt.
Storacis calamit. an. unc. ſem.
Cariophillor.
Macis
Calami aromatici

Digitized by Google

Cinamomi opt.
Ligni aloës
Santalor. citrinor.
Nucis Moſchat. an. drach. j.
Camphoræ
Croci an. drachm. ſem.

Excipiantur pulveres aq. roſ. cum mucilag. gum. arab. & tragacanth. pro ditioribus adde trochiſcorum galliæ moſchatæ drach. j. vel drachm. dimidiam.

Aliud Plateri:

R. Ladani
Styracis calamit an. unc. ſem.
Benzoini
Rad. Angelic.
Myrrhidis an. drach. ij.
Roſ. rubr.
Myrrhæ an. drach. j.
Nucis moſchat.
Cariophillor.
Zedoariæ
Lavendulæ
Sem. Angelicæ
Nigellæ
Coriandri an. drach. ſem.
Cort. citr. ſicc.
Cinamomi

Digitized by Google

Ligni aloës
Juniperi
Sant. citr. an. ſcru. ij.
Camphoræ gr. vj.

Cum infuſ. gummi tragacanth. facta in aq. roſar. vel angelicæ f. Pomum. Odoratius fiet, ſi parum olei cariophillor. vel ſ. angelicæ permiſceas, & in ſuperficie bombace moſchata involvas.

Aliud C. Bauhini:

R. Ladani unc. iij.
Styracis calamit. unc. j.
Benzoini unc. ſem.
Cariophillor. drach. iij.
Roſ. rubr. drach. ij.
Ligni aloës
Santali albi an. drachm. j.
Majoranæ
Lavendulæ
Sem. nigellæ odorat. an. drach. ſem.
Camphoræ gr. iij.
Styrach. liqvid. unc. ſem.

f. Maſſa pro pomis. Qvi volet, addat
Ambræ
Moſchi an. gr. ij.

Aliud Capivaccei pro tempore calidiori.

R. flor. ſiccator. citri

Limon.

Limon.
Aurant.
Nympheæ
Roſar.
Santalor. an. drachm. ſem.
Corticis mali citridrach. j. & ſem.
Ambræ odoratæ gr. v.
Tragacanth. drach. ij.
Cum aq. roſ. vel aceto f. pila ſeu pomum.

Aliud noſtrum.

R. Santalor. omnium
Ladani
Flor. Nympheæ
Violar. an. drachm. ſem.
Roſ. rubr.
Cort. mali citri an. drach. j.
Styrac. calam. ſcrupul. j.
Moſchi gr. v.
Ambræ diſſol. ex ol. majoran. gr. v.
Cum infuſ. gum. tragac fact. in aq. roſ.
f. Maſſa pro 2. pomis odoratis.

Gratiſſimi eſt odoris minimæq, mordacis aut caput petentis.

Aliud Sarraceni.

R. Roſ. rubr.
Flor. nymph. & violar. an. ſcrup. iiij.
Santal. citr.

Digitized by Google

Cort. citr.
Ladani
Ligni aloës
Coriand. præpar.
Baccari myrti
Maſtich.
Succini an. drachm. j.
Caph. ſcrup. j.
Ambræ gr. iiij.

Cum mucag. gum. tragac. extract. cum aq. roſar. vel myrt. & aceto f. globulus unus aut plures.

CAPUT VI.

De Amuletis à Peſte præſervantibus.

HUc ſpectant qvodammodo *Amuleta* ſeu appenſa, Græcis περίαπτα, qvæ aëre agunt intermedio. Neq; enim in eos qvidqvam jam movere animamur, qvi amuletis vel nihil planè tribuendum cenſent; vel ad alterum prolapſi extremum, nimium ea ubiq; extollunt.

In peſte ergo manibus geſtari præcipiunt: betonicam cum radice, radices pentaphilli, dictamni &c.

Collo geſtare jubent, ut nudum pectus attin-

Digitized by Google

attingant, granatum, ſapphirum, hiacinthum, ſmaragdum, lap. bufonium, unicornu, ebur, exuvias ſerpentis, araneam nuci avellanæ incluſam, lingvam ſerpentis in plenilunio evulſam, cor lupi, talpæ, upupæ &c. *Marſilius Ficinus* exemplis probat mire juvare Avellanam perforatam, eò usq;, ut nucleus eximi poſſit, repletam vero hydrargyro obturatamq;, & de collo ſuſpenſam: qvo ſolo remedio dicitur ſe & Chirurgum ſuum à lue peſtifera ſervaſſe in obſidione Metenſis civitatis *Henricus II. Galliarum Rex*. Alii autem appenſam cordis regionem volunt attingere. Magni etiam fit ☿ geſtatus, ſi figatur & induretur in metallicam qvaſi naturam, ut tinnitu duritieq; ☽ referat; id qvod variis artificiis aſſeqvi datum eſt. Nullum autem amuletorum peſti adverſantium adeo umqvam celebratum eſt, atq; *Xenechdon* vel tabella ex Arſenico; cujus amuleti inventor primus eſt *Jacobus Carpenſis*; illudq; experientiis nobilitatum comprobavit *Fallopius & Ingraſſias*, *P. Salius Diverſus* aliiq; Itali Medici ceu divinum medicamentum extulerunt. *Antonius Saracenus cap. 7. de peſte*, *Paræus lib. 21. cap. 12.* aliiq; Galli Medici collaudarunt. Qvia verò experientia nondum hunc Arſenici uſum, re-

 pro-

Digitized by Google

probavit, cur nos improbaremus? Geſtatur in cordis regione, aut ſub ſiniſtra ala duplici ſerico involutum; alii autem primum panno lineo, deinde vero ſerico includunt.

Qvomodo vero agat & agendo proſit, diſputari poteſt. *Droëtus cap. 8. de peſte*, admiratur hic Dei πρόνοιαν, qvod pernicioſa & deleteria docuerit noſtræ utilitati inſervire. *Pius Æneas Caprilius de febrib putrid. lib. 2.* ita in hanc rem diſſerit: *Cum Arſenicum ſit venenoſum, naturam habebit cordis naturæ contrariam, cauſæ autem peſtilenti ſimilem: qvocirca qvemadmodum peſtilens aër arſenici ope inſpiratur, ita idem ejusdem foris appenſi beneficio è corporis centro ad circumferentiam viciſſim prolectatur.* Hæc ille. Sed dubia multa in hac ſententia: inprimis qvomodo aër peſtilens ope arſenici inſpiretur. *Gratarolus de peſte*, in hoc caſu inqvit venenum unum aliud à corde repellere; qvod certe cum natura repulſionis contrariis rebus competentis διαῤῥήδην pugnat.

Appenſum Arſenicum ſubſidiari nos exiſtimamus: vel qvod appenſum vim occultam alexipharmacam ſeu reſiſtendi venenis poſſideat; ſicut intro ſumtum vi pollet deleteriâ:

teria: vel qvod natura aſveſcat paullatim uni veneno, poſteaq; peſte tanqvam Arſenicali veneno conſimili haud ita afficiatur: vel qvod venenum unum alterum ſimile petat, eiq; conſocietur, adeò non cordi. Unde nec *Mercato* diſplicet, Arſenicum vim habere è corpore qvod ſibi ſimile trahendi, ut venena cor ſubire ac inficere haut permittat. *lib. 7. de febrib. peſtilent. & malign. mihi pag. 482.* Subſcribit *P. Salius Diverſus lib. de feb. peſt. cap.* 20. duplici nempe ratione appoſitum hoc remedium venenatam qvalitatem internam ad extra evocare 1. totius ſubſtantiæ ſimilitudine, ſicut percuſſi à ſcorpione ab eodem appoſito ſanantur. 2. ratione caliditatis attrahentis, cum ſit cauſticæ facultatis. Sed ſecunda hæc ratio non militat, niſi proxime cuti applicaretur remedium & exulceraret. Addit ibidem Salius rationem aliam: nempe qvia talia ſumma ſua ſiccitate humiditati & corruptioni noxiæ adeoq; peſtis inqvinamentis reſiſtant. At ita qvævis ſicca hoc præſtarent, qvod veritati inimicum. Ab ipſo arſenico extrinſecus uſurpato non ita metus eſſe poteſt: cum nec proxime cutim tangat (qvamvis *Gratarolus* tutius putet, ſi ulcuſcula aut veſiculas parti inducat) duplici

Digitized by Google

ſerico inſutum, nec corpore geſtandum, ſi ſudor ullus apertis poris excitatur. Qvamobrem rectè monent *Crato* in aſſert. lib. de peſtil. pag. 53. & *Vidius lib. 6. de febrib*, inter geſtandum occaſiones omnes, qvæ ſudorem provocare poſſunt, ſtudioſiſſimè fugiendas, nè recluſis cutis meatibus vapores veneroſi non abſq; nocumento cor impetant.

Qværere hoc loco ulterius licebit; num amuletum hoc ſæpius renovare conducat, necnè? Si vim alexipharmacam foris geſtatum obtinet arſenicum, uti ſtatuunt nonnulli explicitè; alii, dum cordialia & pretioſa miſcent, implicitè; dubium nullum fuerit, ſæpius renovatum magis commendandum, qvam idem diu geſtatum. Sin verò exteriùs appenſum vi venenoſa pollet, qvâ aliud venenum ceu ſimile attrahit imbibitq; ; idem diutius uſurpatum præferendum videtur. Vis enim venenoſa, alia accedente adaucta, potentius adhuc attrahere peſtilens venenum poterit: adeoq; arſenicum extrinſecus adventante malignitate imprægnatum potentius officium faciet prophylacticum. Hinc experientia commonſtrat utentes plerumq; unum idemq; aliqvot annos geſtare, nec renovatione aliud ſubſtituere.

Para-

Paratur ergo ξένεχτον hoc modo:

℞. Arſenici criſtallini & rubei an. part. æqval. (alii prioris accipiunt tres partes, poſterioris duas) f. pulvis excipiendus albumine ovi vel mucilag. tragacanth. pro placenta vel tabella ſpiſſa paranda, duplici ſerico involvenda. Admiſcent aliqvando pulveres cordiales, ut:

℞. Fragment. lap. pretioſor.
Coralli rubr. & alb.
Margaritarum
C. C. uſti an. drach. j.
Ireos unc. ſem.
Croci ſcrupul. j.
Ambræ parum
Arſenici albi unc. j.
Auripigmenti unc. ſem.

F. pulvis pro ſacculo ex ſindone purpur. cordis regioni apponendo. Bufonis exſiccati pulver. unc. ij. aliqvi permiſcent, magno, uti dicunt, ſucceſſu. Alii miſcent diptamnum creticum, ſemen ſinapi, cinamomum, ambram, benzoinum &c. atq; una cum arſenico ſacculo inſuta ſub alis geſtant. Sed omnia talia cordialia, qvæ admiſcent, improbat Crato l. d.

Xenech-

Xenechdon Paracelſi.

R, Alcool bufonum aridorum unc. ij.
Arſenici criſtallini unc. j.
Rubei unc. ſem.
Rad. dictanıni
Tormentill. an. drach. ij.
Margaritar. non perfor. drach. j.
Corallorum
Hiacinthor.
Smaragdor. an. drachm. ſem.
Croci oriental. ſcrup. ij.

F. pulv. cum mucilag. tragac. in maſſas figuræ cordialis formetur; & geſtetur de collo per intermediam camiſiam una ſindone inſuta.

Ex variis porrò amuletis has tres mixturas admodum commendat *Scheunemannus*; qvarum primam vocat *Mithridatium Olympi*; ſecundam, *Theriacam cæleſtem*; tertiam *Suffuſſ ætbereum*.

Mithridatium Olympi.

R. Carnis viperæ
Bufonis
Ranarum exſicc an. drach. ſem.
Aranearum è M. M. procreatar. n. vj.
Cordis lupi
Talpæ

Upu-

Upupæ
Catti ſilveſtris an. drachm. j.
Sangvinis anatis
Ciconiarum an. unc. j.
Ammoniaci
Ceræ virgineæ an. unc. j. & ſem.
Theriaca cœleſtis.

R. Carnis pavonis
Corvi
Merulæ an. drach. ſem.
Reg. apum ex gobione piſce excluſ.

No. VII.

Xenexti fumo ℌ indurati
Opprimechioli an. drach. j.
Sangvinis leonis
Cervi an unc. ij
Tereniabin
Elemi an. drach. vj.
Ceræ virgin. q. ſ.
Suffuff æthereum.

R. Ling. angvillæ
Tincæ
Murenæ [illegible] ʒ. III
Serpentis in lucio è ſpermate ceti generati drach. j. & ſem.
Boleti cervini drach. ij.
Gallæ intus araneam foventis
Gaman-

Gamandreæ herbæ
Nucis moſchat. an. drach. j.
Succi chelidon.
Allii an. unc. ij.
Ceræ virgin. q. ſ.

LOCULUS XXIII.

Qvæſtio

An Lac in mammis mulierum ſit ſufficiens conceptionis indicium?

Propoſita in Acad. Haſn. 14. Maji 1621.
à Viro Clariſſimo
M. JACOBO HASEBARDO
Math. inf. Profeſſ.

O Utinam Spectabilis Dn. Decane, promotor & fautor obſervande, eâ melioris ingenii abundantiâ, accurati judicii dexteritate, diſertæq; lingvæ facundiâ præſtarem & valerem; qvæ ſatis tantæ tuæ exſpectationi & petitioni facere poſſent. Verum ingenii judiciiq; mei vires alias teneræ, nunc verò negotiorum, & rerum variarum mole & multitudine acciſæ, lingvam, ut cum poëta loqvar, non parum rubigine læſerunt. Adeò pro-

profectò nihil mihi antiqvius eſſet, qvam provinciam hanc ad alium devolutam & ab ipſo occupatam. Sed in eas me omnino conjectum video anguſtias, ut ſi commiſſi mihi abs te muneris partes non ſuſcipiam, in manifeſtum adverſum te ingratitudinis, Academicæq; conſvetudinis contemptæ crimen incurram. Mandatis itaq; tuis obtemperabo lubens & qvidem tanto alacrius & confidentius, qvanto certius ex auguſtiſſimo illo clariſſimorum Dominorum Profeſſorum cœtu aliqvem oculis meis deſignem, in qvem maxime arduam tributæ mihi ſpartæ molem ceu Athlantem qvendam liceat derivare. Si qvid igitur, A. O. ingenii mei tenuitas & infantilis lingvæ balbuties vobis damni dederit, id ſolidæ ipſius eruditionis & expromptæ verborum elegantiæ ſpe certiſſima levate. Qvamvis ego ſacratiſſim. cœleſtis ſapientiæ, & regiminis Dei myſteriis cognoſcendis non contemnendam ætatis meæ partem impenderim; non raro tamen Phyſicorum & Medicorum hortos amœniſſimos ingreſſus ſum, ut ibi aliqvid floſculorum, qvod ad naturæ qvalem qvalem cognitionem mihi comparandam, & ſanitatem alendam conſervandamq; faceret, decerperem. Inter alia ſe freqvens mihi

Digitized by Google

mihi à multis diutiſſimè qvæſtio agitata obtulit. *Lac ne in mammillis mulieribus ſit ſufficiens conceptionis indicium, & infallibile deſloratæ virginitatis ſignum:* Qvæſtio ſanè ut explicatu digniſſima, ita & animis diſcendi avidis fœcundam qvandam utilitatem cum immenſa utilitate conjunctam paritura. Sive ego ajentis, ſive negantis partis, qva varia hinc inde adferuntur argumenta excutiam, utriusq; ſententiam non infirmo tibicine ſtatuminatam video, adeò ut omnium rectiſſimè facturus mihi videar, ſi à rebus incertis & dubiis cum Academicis aſſenſionem cohibeam & ſuſpendam. Sed tamen inchoatum orationis filum ex Academiæ conſvetudine pertexendum eſt. Si verò, A. O. vobis in re adeò ardua minus ſatisfecero, veniam qvæſo date, & ignoſcite, meamq: dicentis inopiam æqvanimitate veſtra ſublevate. Initio omnium accuratiori aliqvando mentis lance mecum perpendenti, *Lac ne* in mammillis mulieribus ſufficiens præbeat conceptionis indicium, & infallibilem delibatæ pudicitiæ notam, conſvetudo longiſſimo uſu recepta & approbata occurrit. Cujus vim eſſe permaximam rectè agnovit Seneca, qvamq; iliam ſecundam, & ad fabricatam natu-

Digitized by Google

naturam nominavit Auguſtinus. Ei ſi controverſiæ hujus dirimendæ facultas concedatur, intrepidè utiq; aſſeret; verè lac eſt conceptionis indicium infallibile, & certiſſimum violatæ pudicitiæ argumentum. Neminem ego vel etiam ætate infimum, inter lectiſſimos & ſtudioſiſſimos illos juvenes, qvos adeò pleno conſeſſu ſubſellia illa occupare ex animo gratulor, eſſe arbitror, qvi ignoret, qvotiescunq; ea committuntur, qvæ inter Chriſtianos ne qvidem nominari oportet, cum videlicet matres non matres, ſeu quæ belluina ſibi inſita ferocia, infantes exponant & abjiciant, ſeu cum Agave & Medea uteri ſui fœtus ſangvine manus ſuas commaculare non erubeſcant, neq; de tantorum malorum authoribus conſtet, ſtatim convocentur obſtetrices peritiores, aut è reliqvo matronarum cœtu ætate grandiores, qvæ manus ſuas in ſuſpectarum ſinus inſerant, non qvidem eo inſtituto, qvo ſuam Clitipho Terentianus Antiphilæ pectori adplicuit, ſed ut an vitæ humorem illum, qvem in lucem recens editi primum appetimus & ſugimus, habeant, explorent. Eum ſi emulcerint, una voce, unoq; ore vociferantur & atteſtantur omnes, Hæc, hæc profecto aut infantis illius, ſeu expoſi-

poſiti, ſeu ſuffocati, ſeu alia arte mala qvacunq; interempti mater eſt, aut ſaltim luſum luſerat illum, qvem doctis conſtat cum Propertio Cynthiam, cum Ovidio Corinnam, & cum Chærea Terentiano Pamphilam luſiſſe. Qvam ego conſvetudinem tot benè multis annis receptam ſtabilitam & confirmatam, tantum abeſt ut improbem, ut etiam ſi deſita & abolita eſſet, denuò in uſum revocandam ferme mihi perſvadeam; cum ea efficit, ut ſontes ab inſontibus, pudicæ ab impudicis diſcriminentur, & qvæ virtutis ipſius & caſtimoniæ amore peccare minimè oderint, pœna tamen & dedecoris formidine peccandi occaſioni & libidini reluctentur, atq; tandem adeò reſpublicæ à fornicandi vitiis puriores exiſtant. Neq; me, ſi ſententiam hanc porrò tueri perrexero, rationes & authoritates deficiunt, qvibuscum confirmare liceat. Si vel primoribus tantum labiis divinarum humanarumq; rerum ſapientiam deguſtaverimus, eum naturæ genium, eamq; indolem eſſe conſtabit, ut in omnibus ſuis operis, certum ſcopum ſibi habeat præfixum, ad qvem conatu ſuo omni collineet atq; collimet, nihilq; tentet aut moliatur fruſtra. Aſſerere itaq; ego minimè auſim, eam

hic

Digitized by Google

hic potius, qvam alibi temerariam eſſe, & lac qvidem progignere ſed nullius infantis ſeu fœtus uſui, & nutritioni deſtinatum. Qvis qvæſo lactis illius finis & uſus erit, ubi nullus fœtus adeſt, qvi eo enutriatur & vivat?

Hippocratem tanqvam Deum & parentem qvendam Medici agnoſcunt & venerantur, Is lib. 1. περὶ γυναικείων, ſigna & cauſas molæ ſeu irriti conceptus indicaturus, inter alia inqvit: ἐν τοῖσι τυνῇσι γάλα οὐκ ἐγγίνεται. Perinde èſt qvaſi diceret: ſi cuiqvam mulierum uterum intumeſcere videas, neq; alia conceptionis indicia appareant, mammillas illius, an lac habeant explora; id ſi expreſſeris, uterum eam ferre verum eſt argumentum, ſin minus, nihil præter molam geſtat. Huic ſuffraganeus eſt Philoſophus libro 3. de Hiſt. Animal. c. 20. ubi ita ait: Γάλα δὲ οὐ γίνεται, πρὶν μὲν τὸ ἔγχυον γένηται, οὐδενί τῶν ζώων, ὡς ἐπιτοπολύ: id eſt: Nulli animalium ut plurimum lac prius fieri ſolet, qvam uterum ferat. Videte qvam arctè hæc Philoſophus inter ſe conjungat, lac generari, & uterum ferre, ut vel invitus qvivis ſtatuat neceſſe eſt, lac ut verum conceptionis ſit κριτήριον, ita & læſæ virginitatis

eſſe ſignum. Qvin etiam Logici ad unum omnes, hoc ipſum aſſeverare minimè dubitant. Qvid qvæſo crebrius in ipſorum ſcholis & ſubſelliis jactatur & perſonat, qvam hæc, nulla arte, ut ipſi putant convellenda argumentatio?. Lac habet: ergo peperit, vel ſaltem qvid ſit virum inſomnem amplecti, experta eſt. Et qvid qvæſo prohibet qvo minus concluſè efficiamus, mulieres lactantes, matres aut eſſe, aut fuiſſe, aut etiam brevi futuras. Scio eqvidem à nonnullis nonnulla in medium adduci, qvæ contrarium planè ſtatuere videntur, ſed cum ea perrariora ſint, & cum Philoſopho in oſtentorum cenſum referenda, ſententiam qvæ communiter obtinet, neq; incertam neq; ſuſpectam meo, ſed ſalvo interim aliorum judicio, reddere comparata ſunt. Cum verò aqvam mihi hærere animadvertam, ſemperq; in intimam veritatis cognitionem admitti mihi fuerit animus; neq; tamen qvidqvam tantæ tantorum Virorum authoritati temerè diffidere velle videar, cum utroq; Medico & Philoſopho è noſtris Medicum & Philoſophum unum committam, qvi eo eſt ingenii ſubtilis lumine, judicii limati acumine, ut nobis in tenebris qvaſi ceſpitantibus claram

facu-

Faculam poſſit allucere. Is Tu es Clariſſime & Experientiſſime Dn. Doctor Olae Wormi, qvem ut ante oculis, ita nunc clara voce deſigno, & ſubmissè ſimul & enixè oro, velis qvid de re hac ardua & difficili eruditi animi ſententiæ habeas exponere, meq; in veritatis viam, ſi aberraſſe tibi videar, comiter reducere. Facturus es utiq; mihi & toti auditorio gratiſſimum: Et ego qvæ ex mea tenuitate proficiſci poſſint officiola, faxo pro re & copia, ſi qva tibi prodeſſe poterint, exſtent qvam paratiſſima.

Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri OLAI WORMII Med D. & P. P. Reſponſio.

QVampturima ſunt, candidate digniſſime, qvæ te meritò à propoſito avocare deberent, atq; anſam ſuppeditare alium ex Dominis Collegis, ingenii acumine, rerum pondere, dicendi flumine me longè ſuperiorem in hanc arenam provocandi, qvi & Tua, & totius auditorii expectationi cum laude ſatisfacere poſſet. A me etenim qvid

expectabis? qvem noſti ægrorum ejulatibus & planctibus magis ſemper intentum fuiſſe, qvam flexiloqvæ ſvadæ lenociniis, aut tam auguſto conceſſu dignis diſcurſibus. Huc accedit, qvod licet meam in rebus tam arduis & verborum delectu, imprudens prodere vellem infantiam: tamen cum hanc qvam propoſuiſti diligentius conſidero qvæſtionem, ita eam conſtitutam eſſe animadverto, ut qvocunq; me verterim, aut invidiam, aut veritatis jacturam me reportaturum præſentiam. Invidiam qvidem ſi à recepto more & vulgi opinione receſſero; veritatis jacturam, ſi communi ac tuæ menti calculum adjecero. Verùm ne deſidiâ aut inertiâ oblatam provinciam detrectaſſe videar, tuamq; petitionem ſuperciliosè reſpuiſſe; potius exiſtimationis jacturam ultrò ſubibo, qvam ut committam, ut qvis me ab officio receſſiſſe jure conqveri poſſit. Præſertim cum ſubtiliſſimum Philoſophum Jul. Cæſ. Scaligerum aures vellicantem & hæcce inſuſurrantem audire mihi videar: *Nolite exiſtimare qvicqvam eſſe peſtilentius humano generi, qvam populares perſvaſiones, qvippe qvæ & conſtantes animos interdum labefactant; & ſimpliciores aut irretitos occupant vanâ ſpe temerariæ credulitatis, aut per*

per ſe in deteriorem partem pronos impellunt ſæpenumero ad mala facinora perpetranda. Dicam igitur ac liberè dicam, qvicqvid ratio, qvicqvid experientia, qvicqvid Naturæ Myſtæ præſtantiores de hoc tam arduo dubio decrevere, veniam difficultas & neceſſitas impetrent.

Qværis an Lac in mammis mulierum ſufficiens præbeat conceptionis ſignum, ac defloratæ virginitatis indicium infallibile? Cui ut ſatisfiat, paucula de lactis natura & generatione, ex qvibus totius controverſiæ enodatio dependet, ut prius prælibemus, neceſſarium omninò arbitramur. Ariſtotelem itaq; Philoſophorum Coryphæum ſi conſuluerimus, comperiemus eum 4. de Gen. Animal. c. 8. Empedoclem reprehendere, qvod Lac à pure nihil differre exiſtimaverit. Sed merum pus illud vocitare non erubuerit. Præclarè enim docet, illud verè eſſe ſangvinem ſuperfluum, à moderato mammillarum calore mutatum & dealbatum. Materiam etenim, ex qva fiat & generetur, agnoſcit ſangvinem, eumq; ſuperfluum & nimiâ copiâ abundantem, qvem Natura, ut onere moleſto liberetur, aſſiduè expellere & evacuare geſtit. Cumq; varias qværat vias, per

Digitized by Google

qvas expulſionem hanc moliatur, tum inter principales & in ſexu femineo maximè ſolemnes ſibi ſeligit mammillarum glanduloſos & ſpongioſos anfractus, à qvibus ſangvis & colorem, & lacteam ſubſtantiam acqvirere poteſt. Qvibus præditus tanqvam onus moleſtum excernitur, & qvandoq; in fœtus extra uterum exiſtentis, cedit alimentum. Perpende jam, digniſſime Domine candidate, an hæc lactis reqviſita in nullis aliis qvam defloratis eſſe valeant? Putasne impoſſibile eſſe, ut virgines & aliæ qvæ nondum conceperunt ſuperfluo ſangvine (præſertim ſi menſes ſubſtiterunt) abundare qveant? Putasne illas mammis ſimili calore præditis deſtitutas eſſe? Putasne Naturam in onere ſuperfluo expellendo minus in illis laborare, qvam in aliis? vides ut res ipſa loqvatur. Ne verò exiſtimes neminem ante nos hæc vidiſſe, age ſuffragia ex ſummâ antiqvitate, & qvidem autoribus indubitatæ fidei colligamus. Hippocrates noſter 5. Aphr. 39. ſic inqvit: Η γυνὴ μὴ κύουσα μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχει, ταύτα τα καταμήνια ἐκλέλοιπε. id eſt: *Si mulier qvæ neq; peperit, neq; utero gerit, lac habeat, ſignum eſt menſtrua defeciſſe.* Audis divinum Senem lac

inter

inter ſigna defectus menſtrui referre; non vero conceptus, ſimulq; ejus materiam ſangvinem ſcilicet manifeſtiſſimè ob oculos ponere, & unâ adſtruere mulieres, qvæ neq; conceperunt, neq; utero gerunt, illo abundare poſſe. Vis Philoſophum tibi adducam? Is totus noſter eſt. Tertio namq; de Hiſt. Animal. c. 20. in hæc verba prorumpit: *Non prægnantibus aliqvando ſed raró, eduliis qvibusdam efficitur ut lacteſcant, etiam qvibusdam mulieribus natu majoribus, ſuctu freqventiore lac prodiit & copia tanta, ut infantem enutrire potuerint.* Et paulo poſt: *Lac viris poſt pubem nonnullis exiguum exprimitur, verumtamen per ſuctum freqventiorem, vel multum prodiiſſe aliqvando traditum.* Et 1. de Hiſt. Anim. c. 12. *In maribus etiam lac fieri poteſt: verum caro iis ſpiſſa, mulieribus fungoſa, foraminolentaq; eſt.* Qvis tam manifeſtis contradicere poteſt? An viros etiam illos concepiſſe affirmabimus? Certè ſi in maribus lac generari potuerit, multo magis in puellis & iis qvæ nondum conceperunt, cum & materia uberior, locus aptior, efficiens moderatior. Verum ſi qvis tam perfrictæ frontis reperiretur, qvi tantorum virorum autoritatibus ſtare nollet, eum infinita retundat experientia, ex

Q 5 qvâ

qvâ unam aut alteram adducere lubet. Aſfirmat Alexander Benedictus lib. 3. Anat. c. 4. ſe mulierem vidiſſe virginem (infœcunda enim erat) qvæ, cum menſes ſubſtitiſſent lacte ſemper diffluxerit. Chriſtophorus à Vega Com. in Aphoriſ. 39. l. 5. hæc narrat: *Vidimus*, inqvit, *puellam Brugenſem*, *cui menſibus ſuppreſſis, lac in mammis erat. Medicus verò, cui res fuit commiſſa (accuſabatur enim ab hero) conſtantiſſimè affirmabat ipſam gravidam eſſe, qvam ego coram hero & aliis defendi, fieri poſſe, dicens, ut lac habeat mulier ex ſola menſium retentione, citra conceptionem. Tempore autem novem menſium transacto, maniſeſtè conſtitit, mulierem honeſte vixiſſe, & virginem eſſe, cui aliqvot poſt diebus menſes profluxerunt.* Andreas Laurentius refert ſe à fide dignis, qvi novum orbem perluſtrarunt, percepiſſe, viros penè omnes ibidem maximam lactis copiam habere. Ac ut magis mirere, teſtatur Cardanus ſe feminam noviſſe qvindecim annis ſterilem, qvæ infantem maſculum pepererit, qvi primo menſe lac copioſum è papillis emiſit, qvod obſtetrices dum ineptè repellentibus avertere tentarunt, per vomitum eduxerunt. Verba ejus addam: *Nuper Martino Boglino amico noſtro uxor jam*

qvin-

Digitized by Google

qvindecim annis ſterilis, filium enixa eſt, qvi primo menſe & lac emiſit è papillis copioſum, mammæ intumuerunt atq́ obduruerunt, adeò ut obſtetrices adhibitis repellentibus vomitum lactis non curato priori affectu excitarint. Qvæ de capro Lemniano ejusq; prole maſculâ tantum lactis præbente, ut inde coloſtra conficerent, referat Ariſtoteles, notiſſima ſunt. *In Lemno inſula*, inqvit, *capro ex mammis qvas geminas juxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, ut coloſtra inde conficerent: qvod idem etiam proli maſculæ capri illius eveniſſe accepimus.* Tres tales uno eodemq; tempore in Bohemia à ſe viſos peculiari epiſtola ad Caſparum Peucerum teſtatur Petrus Andreas Matthiolus, Medicus Cæſareus. Ex his verò, ille qvem ipſi nutriendum dedit Archidux Auſtriæ, lac præbebat ut copioſum, ita epilepſiis infantum apprimè ſalutare. Cum itaq; & ratio & authoritatum majeſtas & infallibilis experientiæ momenta abundè evincant, tam in virginibus, qvam in mulieribus ſterilibus, tam in maſculis rationalibus, qvam irrationalibus lac copioſum exiſtere poſſe, & extitiſſe, qvis unqvam ſanus pro infallibili conceptus ſigno illud acceptabit? Sed ut videas qvam debili tua opinio ſtabiliatur fulcro,

cro, breviter ſingula qvæ adduxiſti, perſtringam. Primò qvidem in tuæ cauſæ patrocinium, receptum apud nos caſtitatem explorandi modum allegas. Verum cum is falſo, ut à nobis demonſtratum, nitatur fundamento, hoc ſublato, & illam corruere neceſſe eſt. Ut nihil dicam qvam ſæpe inſontes & famæ, & honoris, tam perverſo præjudicio, fecerint jacturam. Nam ſi ullo alio in negocio, hic certè

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Ut non immeritò cum Seneca exclamare liceat: *Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, qvod viximus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſvetudine abducimur. Qvod ſi pauci facerent noluimus imitari, qvum plus facere ceperunt, qvaſi honeſtius ſit, qvia freqventius, ſeqvimur: & recti apud nos locum, tenet error, ubi publicus factus eſt.* Deinde Naturam omnia propter finem agere, ambabus manibus largior: Sed in lactis generatione eam ſemper infantis nutritionem, tanqvam ſcopum ſibi præfigere, ut pernego; ita in hoc negotio principaliter ſuperflui expulſionem eam moliri conſtanter aſſero. Hippocratis authoritatem

tatem qvod attinet, licet ex loco ſuperius adducto ſufficienter ejus conſtet ſententia, ac à te adducta refutentur, ſi tamen hunc ipſum, qvem producis textum conſideres diligentius, parum tuæ cauſæ patrocinari videbis. Sic enim inqvit: Eςὶ δὲ τοδὲ τεκμήριον μέγα, ἐν τοῖσι τιτθοῖσι γάλα οὐκ ἐγγίνεται. Dicit eſſe τεκμήριον μέγα, magnum ſignum, non verò μέγιςον, maximum & infallibile. Et nos ultrò largimur eſſe magnum ſignum conceptionis ſi plura adſint: Sed ita magnum, ut ſæpe fallat ac decipiat obſervantes. Pari ratione Ariſtoteles ſeipſum perbellè explicat: ubi enim dixiſſet: *Nulli animalium lac fieri antéqvam conceperint*, mox ſubjungit ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *ferè, ut plurimum*, non verò ſemper, qvæ & noſtra eſt ſententia. Nec temerè, ſed conſultò eum hoc adjeciſſe, vel ex ſeqventibus liqvidò conſtat, in qvibus, pluribus demonſtrat, qvomodo lac in non prægnantibus ac vetulis magna copia produci poſſit, & rationem oſtendit, qvâ paſtores ex uberibus caprarum ſterilium illud emulgent. Logicis verò demonſtrationes & infallibiles hinc nectentibus conſeqventias, nihil aliud qvod reſpondeamus, habemus, qvam tritum illud:

Ne ſutor ultra crepidam. Aut ſe intra limites ſuos contineant; aut accuratius ſuum evolvant Ariſtotelem; qvi & de his & aliis melius eos erudire poteſt: aut credant artificibus in ſua arte, & tum demum de rebus cognitis & perſpectis judicent & pronuncient.

Qvod verò excipiunt qvidam, exempla & obſervationes à me adductas raras eſſe, à Philoſopho ad oſtenta referri, & id qvod in virginibus & viris conſpectum, verum lac non fuiſſe, & parcè admodum fluxiſſe; id veritati & experientiæ vim inferre manifeſtiſſimam, partim ex iis qvæ dicta ſunt, partim ex dicendis apparebit. Rara non eſſe obſervationum docet freqventia. Legat, qvi volet, Ariſtotelem locis toties citatis, legat Anatomiam Alexandri Benedicti, legat obſervationes Schenckii, legat Cardanum, legat Veſalium, Engubinum, Baricellum, aliosq; infinitos, ſat ſcio, exemplorum multitudine obruetur. Nec oſtenta hæc vocavit Philoſophus, ubi enim de capro Lemniano egiſſet, hæc ſubjungit: *ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ὡς σημεῖα ὑπολαμβάνουσαν.* Id eſt: illi in Lemno hæc pro ſignis habebant futuri decre-

menti

menti peculii. Non dicit ὑπολαμβάνω, nec ὡς τέρατα, ut illi volunt; ſed ὡς σημεῖα. Falſum igitur Philoſophum hæc oſtenta vocaſſe. Deniq; verum lac ac copioſum è maribus effluxiſſe vel illud arguit, qvod eo infantes enutriverint. Syrus enim ille, de qvo Alexander Benedictus, mortua conjuge proprium filium admotis papillis enutrivit: Verba ejus lib. 3. Anatom: cap. 4. hæc ſunt: *M. Maripertus ſacri ordinis eqveſtris, tradidit Syrum qvendam, cui filius infans mortuâ conjuge ſupererat, ubera ſæpius admoviſſe, ut famem filii vagientis fruſtraret, continuatoq; ſuctu, lacte manaſſe papillam qvo exinde nutritus eſt, magno totius urbis miraculo.* Antonius Benzius, de qvo Cardanus, lacte adeò abundavit, ut infantem nutrire potuiſſet. Laurentius Wolff civis Briſacenſis tanta lactis veri copia ſcatebat, teſte Joanne Conrado Schenckio, ut ebrius jam factus in aſſidentium è regione faciem crebrò illud exſtringeret. Novimus, inqvit Schenckius, *virum præfectum Seniorem portæ cupreæ dictæ, Laurentium Wolff, civem Briſacenſem, qvi ab ipſa juventutis ætate, ad annum qvinqvageſimum qvintum usq;, qvem nunc agit, ambabus mammis lac in aſſidentium è regione*

Digitized by Google

gione faciem exſtringat atq; ejaculetur, qvo nomine qvibusvis ſuis concivibus innotuit, qvi eum etiam ſæpius, ut aliis demonſtret, adhortatur. Infinita alia brevitatis ergo omitto, cum nemo ſanus verum lac eſſe, qvod infantes nutrire pote eſt, lactis veri habet ſubſtantiam, qvalitates, & vires, negabit unqvam: nemo cordatus illud, qvod exſtringi pro lubitu in aſſidentium faciem poteſt, & infanti nutriendo & educando ſufficit, parcum eſſe affirmabit. Faceſſant igitur frivolæ hæ exceptiones.

Habes noſtram de arduâ hac controverſiâ, rationibus, autoritatibus & experientiis ſtabilitam ſententiam, habes adverſariorum ratiunculas & ſophismata refutata: non certè, ut potuimus aut voluimus, ſed ut temporis & inſtituti poſtulabat ratio. Qvin igiter invictæ veritati palmam ultrò ſis oblaturus minus dubito.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XXIV.

CASP. BARTHOLINI

De ſtudio Medico inchoando continuando & abſolvendo

Pro accurato & ſupra vulgus futuro Medico,

Conſilium breve atq; extemporaneum.

Ad optimè ingenuatum & paternarum virtutum æmulum Juvenem

PETRUM CHARISIUM

Jonæ filium, Med. & Philoſ. Stud. amicum & affinem ſuum:

Nec non ad filiolos ſuos,

BARTOLUM, THOMAM,
CASPARUM, ALBERTUM,
JACOBUM, & ERASMUM.

QVandoqvidem, mi Chariſi, variis documentis edoceor, animum te ad artem Medicam, exemplo avi tui materni, Medici & Spagirici olim incomparabilis, & nusqvam non celebris, Doct. Petri Severini p. m. appulſurum; mearum partium eſſe cogitavi, non affinitatis tantum, ſed etiam, & vel inprimis ultimæ patris tui (heu qvanti viri amiſſi!) in mortis agone voluntatis causâ, hanc curæ tui partem in me ſuſcipere, ut te

de ſtudio hoc Aſclepiadeo aggrediendo, & cum Deo, niſi propoſitum mutaveris, perficiendo nonnihil inſtituerem, idq; eâ fidelitate atq; ingenuitate, qvâ proprios filios in id monitos, atq; inſtitutos diſcupio, ſi qvi forte illorum adoleſcente ætate huic ſe ſtudio ſint ſacraturi: qvo nomine eos tecum inſcriptione jungere libuit. Qvanqvam enim jam anni abierunt, cum omnibus occupationibus Medicis, qvà publicè, qva privatim, qvà theorian, qva praxin, ſepoſitis, ſapientiæ cœleſtis doctrinam juventuti, publicè ac ordinariè, Deo ſic vocante, & Magno Rege meo, reliqvoq; Magiſtratu jubente, inſtillare inciperem: qvia tamen artem medicam pro virili, annos non paucos primum in exteris, apud Germanos, Bohemos, Italos, Siculos, Gallos, Belgas, & Britannos, deinde in patria Danorum Academia Regia, docendo & operando, etiam apud Regios & Principes viros, Comites, Barones, & innumeram nobilium aliorumq; ignobiliorum multitudinem, excolui atq; exercui; huic negotio alios edocendo non penitus impar aut inſufficiens cenſebor. Non autem ad pompam, ſed ad uſum hoc meum erit conſilium; ideoq; breviter & ex tempore, aliis, iisq; ſacris labo-

laboribus occupatus, animi mei ſententiam vobis, mi Affinis, vosq; filioli mei, aperiam, rebus magis, earumq; momentis, qvam locutionis ampullis velificaturus.

Primum ergo & ante omnia *Pietatem* vobis commendo, vitæ integritatem, preces cottidianas, amorem verbi Dei, ejusq; auditum:

Ni Deus affuerit, viresq; infuderit herbis,
Qvid rogo Dictamnus, qvid panacea juvat?

Fruſtra omnis labor ſuſcipitur, omnis peregrinatio, omnis moleſtia, cura, ſtudium, vigiliæ, ſine pietate. Animalis homo hanc monitionem vel negliget, vel flocci pendet, vel fortè ex inſania qvadam irridebit; at ſpiritualis, qvi omnia dijudicat, & mentem Dei tenet 1. Cor. 2. animo perpendit, pietatem magnum lucrum eſſe, ad omnia eſſe utilem, habereq; cum præſentis tum futuræ vitæ promiſſionem; 1. Tim. 4. & 6. animo ſecum meditatur, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Rom. 8. E contra omnem creaturam ingemiſcere, refractariam homini, qvando hujus vanitati ſubjecta eſſe cogitur, ideoq; liberari exoptat, neq; homini ſervire. Qvod ſi ita eſt, uti revera ita eſſe

ſpiritus Dei inculcavit, qvâ felicitate invitis canibus qvis venabitur? qvâ felicitate impius ſtudium aliqvod vel meditando tractabit, vel operando exercebit? Videntur ſibi qvidam ſine pietatis ſtudio Medicinam, more Ethnicorum & Judæorum fortè velle aut poſſe facere, cæterum aut ad tempus duntaxat durat felicitas; vitiorum amore omnia in mente & manu coinqvinante: aut evigilans conſcientia, melancholiam incurabilem progenerans perturbat omnia: aut eadem mentem hujus morbi liberam, inqvietam anxiamq; in dubiis percurandis, aut malè percuratis reddit caſibus. Qvæ omnia & ſingula preces atq; ex verbo Dei ſolamina potentiſſimè depellunt. Qvamobrem in lucro ponet qvivis artis hujus ſtudioſus, ſingulis matutinis, præmiſſis precibus, caput unum atq; alterum ex ſacroſanctis Bibliis, non perfunctoriè, ſed attentè & meditatè, perlegere; atq; ita ut ſingulis annis univerſa Biblia percurrendo abſolverit. Neſcis enim qvisqvis es, qvia flos es evanidus, dicto citius deflorefcens, qvid ſerus veſper vehat, & nemo craſtinum ſibi polliceri poterit: ac ſi vel maximè Neſtoris tibi polliceberis annos, qvis tamen non illâ cumprimis imbui geſtiet doctrinâ, qvæ in altera vita uſum eſt

habi

habitura, omnibus aliis diſciplinis atq; ſcientiis rerum ſecularium ſempiternâ oblivione ſepeliendis.

In adyta Medicorum, illotis, qvod dicitur, manibus minimè irrumpendum, ſed præmittenda.

Lingvarum Latinæ & Græcæ, qvibus præcipua hujus artis decreta ſunt conſignata, accurata & minimè ſuperficiaria cognitio. Qvid enim ex aliis percipies, aut aliis docendo tandem explicabis, latinè non ſatis doctus? qvid ex Hippocrate vel Galeno benè vel malè dictum æſtimabis, Græcanici ignarus idiomatis? Poëſis ſive Græcorum, ſive Latinorum futuro Medico parum vel nihil utilis: iis tamen qvibus vena ac indoles, ornamentum. Sic neq; Arabicæ Lingvæ magna utilitas: nam etſi Arabes Medici à peritis hujus lingvæ exactius intelligantur; tamen cum illi à Græcis ſua meliora extraxerint, & ne qvidem meliora ſemper aſſecuti ſint: præſtabit ex ipſo fonte aqvas bibere: qvam ex lutulentis inde derivatis lacunis. Satis multa ſunt neceſſaria planè, in qvibus ætatem inſumere dabitur: Non enim fruſtra dixit 1. Aphor. Coryphæus hujus artis: *vita brevis, ars longa, &c.* Uno ſaltu qvi plures lepores aſ-

Digitized by Google

ſeqvi volet, ingenii acumine, atq; amplitudine, Latinam lingvam ex Cornelio Celſo, Fernelio, & Joanne Heurnio; Græcam ex Hippocrate & Galeno venabitur: ita rebus pariter Medicis & ſtyli nitori adſvefiet.

Philoſophiæ organa *Rhetorica & Logica* non poſthabenda: hæc inprimis divinationi inſerviens, ubi cauſæ morborum indagandæ, præſagia & prædictiones inſtituendæ, ſigna venanda & colligenda: ubi non fauſtiter ſatis ſine rationis adminiculo artificiali datur progredi. Inferior in uſu eſt Rhetorica; non enim verbis ſed herbis æger curatur. Præcipui harum artium Doctores in mea Rhetorica & Logica ſunt annotati.

Philoſophiam practicam, qvia exigui uſus in hoc ſtudii genere, perfunctoriè percurriſſe ſufficiet, atq; ob uſum in vita communi non neglexiſſe penitus. Accuratior tractatio Juriſconſulto neceſſaria eſt, non Medico.

Metaphyſica etiam nullum penè uſum Medico præſtat. Ingenii bonitate qvi pollent atq; acumine, & otio abundant; inprimis ſi Philoſophi Profeſſores in Academiis futuri, ejus dogmata ex præcipuis authoribus haurient, qvorum nomina Enchiridion noſtrum Metaphyſicum poſt præloqviū recitavit.

Phy-

Digitized by Google

Phyſica verò & *Matheſis* tam ſunt in rem Medici, qvam Ethica JCti. Ubi enim deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus.

Arithmetica ad criticas ſupputationes, ad medicamentorum compoſitorum examen & reſolutionem atq; ad alia utendum: ſuffecerit vobis Longomontani, præſertim auctior illa & correctior, qvæ brevi prodibit; Interim Clavii vel Urſtiſii.

Geometricum compendium Dybvadii junioris, Dani, ſi publicè proſtaret, eſſet perqvam accommodatum. Hujus defectu compendioſus eſt Rhodius, Clavius paulo prolixior, ſed lectione dignus. Alii enim plerumq; prolixiores ſunt, ideoq; futuro Medico, cui univerſa natura eſt contemplanda, tædioſiores.

Opticam ex Albazeno, Vitellone & Keplero addiſcetis.

Aſtronomiam ex ſcriptis Tychonis Brahe, conterranei noſtri; additis Aſtronomicis Kepleri. Unus verò pro omnibus ſufficiet Longomontanus, Aſtronomus poſt Tychonem nulli ſecundus, affinis noſter: Cujus Aſtronomia Danica evolvenda, doctrinam Triangulorum, Sphæricam, Theoricamq; errantium mirâ dexteritate enucleans.

Digitized by Google

Aſtrologiæ uſum in facienda Medicina, qvam Jatromathematicam vocitarunt, licet plurimi ſcripto comprehenderint, ut Marſilius Ficinus, Ganivettus, Gvidō Villarienſis, Aug. Niphus, Chryſogonus Jadertinus, Gauricus, Steflerus, Carellus, Schollius, Tranſtetterus, Schylander, Boderius, Angelus Blondus, Ferrerius, Peucerus, Galucius, Hasfurtus, Maginus & complures alii: duos tamen poſtremos cumprimis vobis habete commendatos.

In *Phyſica* compendioſiori familiam ducunt Magirus & Sennertus. Qvid vero nos in eadem præſtiterimus, judicium penes lectorem eſto. Neq; enim moros eorum mores imitari animus eſt, qvi conſilia pro ſtudiis inſtituendis daturi, ſua præ aliis ſcripta faſtuosè extollunt, atq; etiam qvæ in rerum natura non reperiuntur, ſuo nomine adſuto commendant: nihil niſi qvod ex ſuo tanqvam Jovis cerebro (unde meras ſcilicet projiciunt Pallades) profectum, rectum putantes, ac ſi omnes alii

Sint viles pulli, nati infelicibus ovis.

Nemini qvicqvam detractum volo: ſed aliis detrahentes ex ſuperbiæ ſpiritu, qvi ipſiſſimus eſt Satanas, averſor. Neq; enim uni

morta-

mortali omnem ſcientiam, prodigioſa qvadam prodigalitate infudit natura, aliis omnibus novercata, ſed variè ſua dona hominibus deſtribuit Spiritus, aliis qvidem ſic, aliis autem alio modo. Unum ſicco pede prætcrire non poſſum: Enchiridion Phyſicum Argentinæ editum, ſub meo nomine, me inſcio atq; invito; & qvod iniqviſſimum, libros 2. poſteriores adjectos à qvo neſcio, meo præfixo nomine; qvi tamen mei non ſunt, aut fuerunt unqvam. Itane mei calumniandi anſam dederunt? cùm in aliis meis ſcriptis reperiantur plurima, qvæ è diametro cum duobus iſtis libris diſſident. Inſpexi primùm Wittebergæ in tranſitu ex Bohemia redux Anno 1624. in Octob. adſtantibus qvibusdam meis popularibus: qvibus ſtatim de hac mihi illata injuria conqveſtus ſum, & paulo poſt amico meo veteri Dn. D. Ambroſio Rhodio, aliisq; Profeſſoribus. Domum reverſus duos libros ſuppoſititios diligentius percurri & deprehendi, penultimum eſſe totum ex Magiro deſumptum, ultimum verò ex Scheibleri tract. de Anima in compendium redacto. Qvo animo hæc mihi illata injuria, Deus novit. Forte ne deeſſet dicam plagii mihi ſcribendi occaſio, qvam qvidam an-

Digitized by Google

te annos paucos in Conſilio de Studio Medico ſtudioſe qvæſiviſſe viſus eſt, meq; ejus reum fecit in Anatomicis contra propriæ conſcientiæ teſtimonium & fidem oculorum cujusvis hominis literati, qvi conferre meas Inſtitutiones Anatomicas cum aliorum poteſt. Scripſit me omnia in Anatomicis ex Aqvapendente & Bauhino boná fide deſcripſiſſe. At qvâ fide hæc de me ſcripta ſint, in admonitione editioni Anatomiæ meæ Roſtochienſi ſubnexâ oſtendi. Hoc tamen tum à me omiſſum: ipſum Bauhinum, virum optimum mihiq; amiciſſimum, ultimam theatri ſui Anatomici editionem, nonnullis ex mea Anatomia, adſcripto etiam nonnunqvam meo nomine, exauxiſſe. Exiſtimavit forte laureatus ille, Danos Bæotos eſſe, aut

Vervecum in patria craſſoq; ſub aëre natos, præ aliis: ſicut ille, qvi mirabatur olim Saxoni Grammatico, Hiſtorico clariſſimo, homini Dano, tantam eloqventiam contigiſſe. Sed qverelarum deſino; præſertim cum qvi de me illa ſcripſit, manu ſua poſtea teſtatus ſit, ab amanuenſi ſe inſcio & invito verba illa de me irrepſiſſe: ideoq; in aliis editionibus corrigenda. Qvamobrem Chri-

ſtiana

Digitized by Google

ſtianæ charitatis memor, lubens hanc injuriam ſcriptori condonabo.

Pro Mineralium, Metallorum, & lapidum natura omnino conjungendi ſunt Cæſalpinus, Encelius, Libavius, & Anshelmus Boëtius de Bood.

In Botanicis, Lobelius, Tabernæmontanus, Herbarium Tragi cum notis Sebiſii, Matthiolus Bauhini, & Cluſius. Qvanqvam viva Herbaria propriis manibus colligere & reſervare, lectioni multæ Botanices præſtiterit. Modum ac methodum colligendi ac ſervandi vide apud Spigelium in Iſagoge in rem herbariam.

In hiſtoria Animalium, ut avium &c. conſulendi præ aliis Gesnerus & Aldrovandus.

In Anatomicis, Veſalius, Laurentius, Bauhinus, atq; qvem nuper videre contigit, Riolanus junior. Qvodſi Archang. Piccolom. prælectiones, Columbi, Aqvapendentis, Caſſerii ſcripta ſimul percurratis, operæ diſpendium minimè eſtis facturi. Inprimis privatæ ſectiones animalium, & eorundem partium freqventer inſtituendæ; & publicæ cadaverum humanorum, qvoties fieri poteſt, freqventandæ. Qvoad Icones, omnes penè qvot-

qvotqvot hactenus exierunt, & videre mihi contigit, ex Veſalio deſumptæ ſunt, niſi qvod Aqvapendens & Caſſerius nonnullas accuratiores de Organis ſenſuum edidere; atq; ille inſuper de venarum valvulis, hic de vocis inſtrumentis: Varolus & Archangelus de vero nervorum principio ex medulla cerebri: Laurentius de venis qvibusdam uterinis; & Bauhinus de coli oſtiolo.

In Medica ipſa arte commendo, priusqvam ad Hippocratis & Galeni opera acceſſus fiat, Fernelium & Sennerti Inſtitutiones Medicas, ejusdemq; de febribus doctiſſimum tractatum.

In Controverſiis & Diſputationibus Joubertum, Valleſium, Sylvaticum, Mercatum & Horſtium.

In *diætetica parte*, Qvercetanum, Piſanellum, & Brujerinum *In ſimeiotica* Taurellum. De pulſibus Saxoniam & Struthium. De Urinis Willichium, Reusnerum & Fabricium.

In Curatione morborum particularium omnium, unicus ſufficit Platerus, qvem ſi novit qvis, omnes cognorit. Qvi volet, conjungere poterit Capivaccium, Mercurialem & Rondeletium.

In

In Chirurgia præſtantes ſunt Mercatus, Veſalius, Paræus, Aqvapendens, Fabricius Paterniacenſis, Felix Wierus. Verum non pudebit manum in Italia & Galliis, ubi optimi Europæ Chirurgi, operi admovere, atq; ex cottidiana praxi præcipua, non qvibusvis lippis & tonſoribus nota, notare.

In Pharmacopæa vulgari, Cordus, Weckerus, Qvercetanus, Renodæus, diſpenſatoriaq; varia perluſtranda: imo pyxides & cellulæ apud Pharmacopolas freqventer luſtrandæ, ne qvid Medicum fugiat, qvod operæ Pharmacopæorum norunt.

De Compoſitione Medicamentorum eruditiſſime ſcripſerunt Valleſius, Capivaccius, Haſlerus & Tovarius.

Pharmacopæa Spagyrica ſeu Pyrotechnia cura & vigiliis aſſiduis atq; accubuis attendenda, non tantum ex ſcriptis Qvercetani, Libavii, Crollii, Begvini, Rulandi, Baſilii Valentini, Penoti, Salæ, Mulleri, Finckii, atq; aliorum, ſed qvia præcipua Chemiæ arcana inter viros eruditos, imo etiam Principes deliteſcunt; in ea ſemper inter peregrinandum inqviratis, qvalia ſunt Tychonis Brahe Nobilis Dani, Petri Severini, Archiatri olim Regis Daniæ, Banniſteri Angli, Hart-

Digitized by Google

Hartmanni Haſſi, Joh. Baptiſtæ Portæ Neapolitani, atq; inprimis Sereniſſimi Regis mei, Christiani IV. &c. Domini Clementiſſimi. Non dubito, mi Petre, Avum tuum maternum D. Petrum Severini, plurima reliqviſſe in pluteis latentia, qvæ facile ab avunculo tuo impetraveris. Vos vero, mei filioli, ſi ad hanc artem aliqvando animum applicueritis, multa volumina rariſſimorum arcanorum tum ſpagyricorum tum aliorum, qvæ magno labore & ſtudio in variis Europæ Regnis conqviſivi, in mea bibliotheca Chymica invenietis. Non ſum eqvidem neſcius, qvosdam arcana ejusmodi contemnere, nec multum de iis laborare, ſmethodo medendi contentos. Verùm, hoc eſt faciendum, & illud non omittendum: Non raro in caſu deſperato nobile aliqvod deſideratur auxilium. Immô non pudebit etiam ab aniculis & barbitonſoribus viliora experimenta expiſcari, modo probata & ſæpè cum ſucceſſu uſurpata.

Manus ſemper operi admovendæ & carbonibus & vitris: alioqvin laterem lavabitis. Theorias Paracelſiſtarum haurire licet ex Petro Severini, Petrei Noſologia, Warenio & aliis.

Apo-

Digitized by Google

Apodemicæ neceſſitatem Galenus in libello, qvod optimus Medicus idem ſit Philoſophus, aſſeruit. Non enim omnis fert omnia tellus, ſive ex mineralium, ſive ex vegetabilium, ſive animalium generibus. Neq; omnes præclaros Medicos una regio vel provincia coëgit. Ubi qvæſo tales Medicæ artis, & Spagyricæ præſertim eruditionis antiſtites in Germaniæ Academiis invenies; qvales Witebergæ Daniel Sennertus, & Roſtochii Jacobus Fabricius, amici mihi conjunctiſſimi: In Botanicis qvi excellere cupiet, certè voti compos fiet facilius & felicius, ex converſatione D. Jungermanni in Academia Gieſſena; & D. Burſeri in nova Academia Danorum Sorana, qvam alibi. Sic Anatomicæ ſectiones publicæ freqventius adminiſtrantur Patavii, Bononiæ, Romæ, Montispelii, Pariſiis & Lugduni Batavorum, qvam alibi. Horti Medici plantis exoticis referti cultiores, Patavii, Piſis, Bononiæ & Montispelii, qvam loco ullo in alio. Medicæ & Chirurgicæ praxeos exercitia crebriora, pro ſpectatoribus ſtudioſis Patavii & Florentiæ, qvam ullâ Europæi orbis in parte.

Ex qvibus pauculis exempli loco adductis, qvid peregrinationes conferre futuro artis

artis Medicæ Doctori poſſint, nemo non niſi qvi fungus & ſtipes, intelligit.

Valete, & Deo atq; proximo ſervire diſcite. Hafniæ, Anno 1626.

LOCULUS XXV.

Vita D. GEORGII FUIRENII Med. Hafn.

Ex Programmate Academiæ Hafn. Rect. M. Wulfgango Rhumanno, 1628.

EXperientiſſimus & Clariſſimus Vir D. GEORGIUS FUIRENIUS Med. Doct. excellentiſſimus vitalem hanc auram primum hauſit hic Hafniæ Anno Salvatoris noſtri 1581. ultimo die Maji, parentibus honeſtiſſimis, Henrico Fuireno ſeniore, viro integerrimo atq; Cive Urbis hujus primario, & Mechtilde Hermanni f. optimæ notæ fœminæ jam dudum ἐν ἁγίοις. Qvi Parentes ſicuti pietate & devotioni ipſimet addicti ſemper fuerunt, ita nihil prius habuerunt qvam ut filiolum ſuum ſalvatori Chriſto per Baptiſmi lavacrum inſertum, in pietate & virtute erudien-

diendum curarent, qvod qvantum ætas tenella permiſit factum eſt domi usq; dum ætatis annum duodecimum attigiſſet. Poſtea cum propter bonas artes & Philoſophica ſtudia tum temporis inclaruiſſet Gymnaſium Serveſtanum, miſſus eſt illuc adoleſcens hic cum Præceptore ſuo, ut qvæ domi fundamenta literarum jecerat ibidem continuaret, qvod tamen ultra annum non duravit, cum ad ſaniora loca ipſum ablegare parentes conſultius ducerent. Venit itaq; primum in illuſtrem Wittebergam, ubi per annum commoratus, Roſtochium cum Præceptore ſe recepit, uſusq; ibidem eſt hoſpitio & converſatione, Reverendi & Clariſſimi Viri Dn. M. Johannis Golſteinii Paſtoris ad D. Nicolaum vigilantiſſimi, per integrum ſexennium. Cumq; ibidem humanioribus diſciplinis & Philoſophiæ animum probe inſtruxiſſet, arriſit ipſi celebre illud Batavorum Lugdunum, ubi in ſtudiis Mathematicis & Medicis qvadriennium qvoq; poſuit, donec Ulyſſeum illud conſilium caperet & multorum mores hominum & urbes videre cuperet. Varia igitur Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ loca perluſtravit, inprimis verò nobile illud Patavium,

vium, qvo loco maximè florere facultatem Medicam cognovit, aliqvandiu incoluit, celebremq; itidem Helvetiorum Baſileam, in qva ſummos etiam in Medicinâ honores Anno 1606. 20. Auguſti ſummâ cum laude conſecutus eſt. Inde digreſſus triennium adhuc Mathematicorum & Medicorum ſtudiorum cauſa in Germania & Belgio paſſim conſumſit, usq; ad Annum 1610. qvo parentes ſuos inviſurus domum ſe recepit. Cumq; jam ſtudiorum optatum ſcopum attigiſſet, ut curarum, qvibus vita hæc qvotidiana ſcatet, levamen aliqvod haberet, cœpit animum ad conjugium applicare; qvo fine etiam, divini Numinis ductu & parentum conſilio Virginem pudiciſſimam & caſtiſſimam, clariſſimi & experientiſſimi Viri Dn. D. Thomæ Finckii Medicinæ Profeſſoris in Academia noſtra Senioris & primarii filiam Margaretam Finckiam legitime ambitam feliciter exambivit, nuptiis hic Hafniæ celebratis 18. Julii Anno 1613. In qvo conjugio tanqvam pietatis & concordiæ officina tres filii Henricus, Thomas, Theodorus, & duæ filiæ, Maria & Soſtrata ſuſceptæ ſunt, qvos omnes adhuc cum Matre mœſtiſſima ſuperſtites De-

us ex

us ex alto ſoletur & reſpiciat. Cæterum qvod vitam ipſius attinet compertum omnibus ſatis eſt, Virum ipſum fuiſſe, ut paucis multa dicamus, Antiqvâ virtute & fide, qvi nec aliorum famæ detrahere, nec detrectatoribus aures præbere unqvam auditus ſit. Pietatem & fidem Chriſtianam, qvam toto vitæ tempore, præſertim jam aliqvot abhinc annis ex ſtudio Theologico cui valdè ſe dederat, avidiſſimè hauſerat, non in labiis & lingvâ geſtavit, ſed ipſo opere declaravit: Obedientiâ & officiis erga ſenem parentem; Amore erga chariſſimam conjugem; educationis curâ erga ſvaviſſimos liberos, qvos eò per Dei gratiam perduxit, ut ſpes maxima ſit parentis veſtigiis illos inſtituros; Pace deniq; & concordiâ erga fratres, affines, omnesq; qvibuscum vivere ipſi neceſſum fuit. Neq; etiam talentum divinitus ſibi concreditum defodit, ſed praxin Medicam exercendo multis ſalutariter profuit. Quin in re Botanicâ tantam experientiam habuit, ut à Regiâ Majeſtate dignus judicatus fuerit cui in Floram Regni Daniæ inqvirendi præ cæteris negotium daretur; tantâ etiam dexteritate & fideitate expeditum, ut peragratis plerisq; Re-

gni hujus provinciis & inſulis, magnum numerum optimarum herbarum collegerit & deſcripſerit, qvas in noſtris oris reperiri vix credidiſſemus. Feliciter ita & glorioſè traducto atq; abſoluto vitæ ſuæ curriculo, cum ante qvatuordecim circiter dies 17. Novembris in acutum morbum & ardentem febrim incidiſſet, jamq; mali vehementia ita vires ipſius proſtraſſet, ut humanis remediis loci nihil relinqveretur, totum ſe commiſit ei moriturus, cui vivus totum ſe dederat, & inſtructus ſaluberrimo corporis & ſangvinis Dominici qvaſi viatico revera expertus eſt, nunqvam malè mori illum benè qvi vixerit, & omnibus fidelibus verum illud ſymbolum eſſe; Mors janua vitæ eſt. Hanc januam ipſi clementer aperuit die abhinc ſexto qvi erat 25. Novembris circa qvartam veſpertinam inter preces & ſuſpiria aſtantium, poſtqvam in hoc mortalitatis labyrintho oberraſſet 47. Annos & dimidium.

P. P Hafniæ pridie Calend. Decembris M. DC. XXIIX.

De Syncope Diſputationem Medicam edidit Baſileæ in Qvarto 1606.

EPI-

Digitized by Google

EPITAPHUM
Haſniæ in Templo S. Nicolao dicato,
D. O. M. S.
CLAR. VIRO
GEORGIO FUIRENIO
MEDICINÆ D.
MATHEMAT. BOTANICO CHYM:
SAGACI ET INDUST. EX AMICISSIMO XVI ANN. CONJUGIO
EVOCATO MARITO DESIDERATISS.
MARGARETA FINCKIA
CUM III. FILIIS ET II. FILIAB. SUPERSTES
PERENNIS M. ET M.
MONUMENTUM
B. M.
CONTRA VOTA
P.

OBIIT XXV. NOVEMB.
ANNO M. DC. XXVIII.
ÆTAT. XLVIII.

Digitized by Google

INDEX
Plantarum indigenarum qvas in itinere ſuo obſervavit
D. GEORGIUS FUIREN.
Plantarum qvæ circa Nidroſiam reperiuntur, Nomina.

Abies
Abſinthium.
Acetoſa.
Alchimilla.
Agaricum.
Allium Sativum.
    Caninum.
    Urſinum.
Ambarvalis flos
Anagallis aqvatica.
Angelica.
Artemiſia alba.
    rubra.
Aqvilegia.
Argentina.
Aſperugo
Atriplex ſylveſtris
Barba hirci
Bellis minor

Betu-

Betula.
Bifolium.
Branca urſina.
Brunella.
Braſſica.
Betonica ſerpens
Bruſcus
Borago
Bugloſſa.
Buphthalmus
Burſa paſtoris major
minor
Calendula.
Caltha Virgilii
Camomilla vulgaris
Campanula ſylveſtris flore cœruleo
Cannabis
Carduus Mariæ
Fullonum.
Carex
Carvi
Centumnodia.
Ceraſus
Cerefolium.
Cerviboletus
Chamœdrys
Chamęmorus Norwagica vulgo Mol- (tebær.

Chemæmorus Norwagica altera vulgo Tytebær
Chelidonium majus
minus
Chryſanthemum
Cicutaria
Coccus Gnidius
Cochlearia
Conſolida regalis
Convolvulus major flore albo
minor ſine flore
Cyanus, flore cœruleo
Cynogloſſon
Dens leonis
Digitalis flore albo
flore purpureo
Endivia ſativa
ſylveſtris
Enula campana
Eruca
Eſula
Euphraſia
Filix
Flos Tunetanus minor
Fraxinus
Fumaria
Fragaria

Gallion

Gallion.
Gariophyllata.
Gentiana.
Geranium Fuchſii
Gramen Parnaſſi flore albo
Hepatica nobilis
Heptaphyllon.
Herba Paralyſis
Trinitatis
Hippuris
Hyoſcyamus
Hypericon.
Hyſſopus
Iuniperus
Lactuca.
Lappa major
minor
Lapathum acutum.
Lavendula.
Leviſticum.
Lilium ſylveſtre.
Convallium.
Linum.
Lolium.
Lunaria.
Lupulus
Lychis ſylveſtris

Majorana,
Manus Chriſti
Martagon,
Matricaria,
Mentha criſpa,
Menthaſtrum,
Millefolium pratenſe,
aqvaticum,
Mollugo
Morſus diaboli
gallinæ
Muſcus arboreus
Napus
Naſturtium hortenſe,
Narciſſus flore albo
Pſeudo-Narciſſus
Nummularia,
Nymphæa,
Orobus
Pœonia,
Papaver
Paſtinaca,
Pentaphyllon,
Perfoliata,
Petroſelinum,
Pimpinella,
Piloſella,

Pinus

Digitized by Google

Pinus
Pulicaria
Pyrola
Plantago qvinqvenervia
ſeptinervia
aqvatica
Populus
Porrum
Qvercus
Ranunculus flore albo
flore luteo
Raphanus major
Radicula ſativa
Ribeſium fructu nigro
fructu rubro
Roſa
Rubus Idæus
Ruta
Salvia
Satureja
Satyrion flore albo
Scabioſa
Scolopendrion
Sempervivum tertium
minus
Sigillum Salomonis
Sinapi

Siri

Digitized by Google

Sium odoratum
Staphiſagria
Tanacetum
Telephium
Tomentum pratenſe
Tormentilla
Trifolium acetoſum
aqvaticum
corniculatum
pratenſe
Tuſſilago
Typha aqvatica
Valeriana major
minor
Verbaſcum latifolium
anguſtifolium
Vinca per vinca
Viola mortua flore cæruleo
flore luteo
Unifolium
Uva lupina

Plantæ itineris Blekingenſis.

ALſinanthemum Thalii. paſſim in omnibus ſylvis ſub fagis.
Bryonia. Helſenburg juxta arcem.

Scor-

Scorzonera, ibidem in monte, loco ſicco, qvod rarum.
Lagæa lupi, ibidem.
Helianthemum, ibidem & paſſim.
Hieracium maculoſum. in Reſendal.
Gramen Junceum ibid.
Ranunculus echinatus ibid.
Rubus alpinus minor ibid, Scani vocant Korbeer.
Vitem Idæam rubram vocant Kreſſingbeer.
Herba Paris trifolia & qvinqvefolia, ubi Skoſven hos Kaaber-Mellen.
Erica pulchra latifolia: videtur altera Cluſii. intra Cloſter & Giddeſtrup. Meelbeer ut & in Norvegia vocant.
Geniſta qvædam humilis.
Geranium pulchrum convolvuli flore. paſſim in Scania & Blekingia inter ſepes.
Sigillum Salomonis pumilum flore magno, ibidem ſub alnis & betulis Vocant Bockebæer. Utuntur eo ad vulnera ruſtici, præſertim tibiarum.
Jacobæa rotundi folia, prope Ulſtrup.
Superbula, vel Armerius arvenſis, ibid. & paſſim. Vocant Tieurt in Blekingia, in Scania Peegurt/ qvaſi dicas herbam piceam, eo qvod caulis ſuperior pars, qvæ rubet viſcoſa

viſcoſa eſt, atq; inſtar picis attrectantis manibus adhærere ſolet.

Primula Veris Alpina, intra Rimme & Selſborg. Item intra Hoſby & Londen/ vocatur in pago Rimme/ Blaa-May.

Caryophyllus flore albo admodum odorato foliis parvis, anguſtis: ante Selſborg.

Eqviſetum olidum Bauhini, ibidem.

Pulſatilla Blekingenſibus appellata Bſue-Oren.

Adiantum, apud Bortull in petra.

Filicis qvædam ſpecies Adianto congener ibidem.

Gramen hirſutum panicula juncea, ibid.

Potamogeton latifolium alterum, ibid.

Allium marinum, paa Oeueſter.

Iſatis agria videtur ibidem.

Cochlearia vulgaris, ibid.

Cochlearia Danica parva repens paa Tiernoe.

Thlaſpi qvoddam ſiliqvis oblongis, ibid.

Lactuca agnina, ibidem ad mare.

Thlaſpi qvoddam Cheiri floribus luteis paa Spuſor.

Abſinthium arboreſcens, ibid.

Geranium rotundifolium, ibid.

Viola dentaria Rondeletii, ibid.

Eqviſetum olidum vocant Laffring Bunden.

Seſeli Æthiopicum paa Stiernoe.

Vin-

Digitized by Google

Vincetoxicum flore albo paſſim in Scania & Bleking. in petris.

Androſace altera Matthioli in agro til Nimme.

Chamæmorus. non procul Wramb.

Thlaſpi ſiliqvis oblongis minimum, ibidem in agro.

Pirola. ibidem in ſylvis.

Polygonatum tenuifol. alterum; inter Wramb & Linderod in prato.

Acetoſella longifol. ibid.

Thalictrum ibid.

Thlaſpi foliis ſerratis copioſiſs. & in ſummum faſtigiatis, ante Londam.

Plantæ itineris Gothici.

SEdum Alpinum, uti videbatur, vel Drabæ ſpecies: til Slide.

Gallii facie planta flore albo triphyllo, ibid. & paſſim in ſylvis.

Androſace altera Matthioli, ibid. in petra.

Ruta muraria, ibidem.

Veronica ſpicata, ibidem in collibus & arvis.

Lotus tetragonolobus flore flavo. ibid.

Paralytica alpina, paſſim in omnibus pratis.

Sempervivum majus, Slidæ.

Scordium, ibidem, vocant Fiſſemunde.

Allium

Allium minimum foliis ſubtiliſſimis, ibid.
Illecebra flore albo. paſſim.
Pyrola flore magno & patulo, Slidæ.
Scorzonera anguſtifolia, ibidem.
Pyrola minima qvarta Cluſ. monophyllos, ibidem & alibi.
Orchis odorata, paſſim in pratis humidis.
Helleborine anguſti folia flore albo, Slidæ.
Vincetoxicum, paſſim.
Sorbus centaurii folio, Huchſeltræ / in ſylvis aliqvibus.
Orchis oculata, Slidæ.
Paralytica rotundifolia, radice aniſi odore, ibidem.
Sedum Sileſiacum.
Potamogetum bulboſum, inter Belt & Telling.
Aſphodelus pulcher, ſpica graminea, inter Telling & Hadebur.
Pyrola 2. Cluſii, paſſim in ſylvis.
Centaurium, Aurin.
Serratula, Engeſterde: eâ tingunt flavo colore.
Millefolium, Rollicke.
Lapathum, Rabur.
Frutex periclimeni facie, baccis rubris. intra

Wißby

Digitized by Google

Wiſsby & Luckerom; etiam paſſim in ſylvis alibi.

Caryophyllus pulcher tenuifolius, tenuiflorus, intra Eurberom & Otthomars, etiam in Carolina.

Globularia ibidem.

Phalangium alterum Dodonæi videtur; copiosè in Carolina, ſed parce admodum in Gotlandia.

Scabioſa arietina erecta, intra Weggom & Færoeſundt.

Medium. in Færee.

Ramnus ſolutivus, Wriebærs-Træ.

Ambroſia videtur, qva utuntur ad veſtes, ne à tineis erodantur.

Trifolium flore aureo, inſtar fæni Burgundiaci.

Tithymalus qvidam, intra Boutom & Ange-Kircke.

Seſeſi Æthiopicum, in Torſsborg/ Calſen/ Orlandt.

Conſiligo, copioſiſſimè in Calſen apud Horburg.

Lithoſpermum maritimum videtur in Julloe.

Seſeli peloponenſe, Calſen.

Cochlearia parva, ibidem.

Gramen junceum cum utriculis, intra Buſſ-
wig & Haſſlinghon.
Abſinthium qvoddam marinum in inſula
Haſtøe.
Ophyogloſſum, Buſſwig in prato.
Braſſica marina, til Hoeburg.
Tragum Matthioli ibidem.
Plantago aqvatica tenuifolia.

Plantæ Itineris Scanici.

PRunella flore albo, inter Hafniam & Hel-
ſingoram in ſylva.
Ranunculus bulboſus Helſenburgi ad vallum
arcis.
Serpillum tenuifolium ibidem in monte &
paſſim in Scaniæ locis arenoſis.
Papaver ſpumeum, Helſenburgi inter ſegetes.
Myrtus Brabantica extra Helſingburgum in E-
riceto & paſſim in Scania.
Salix pumila ibidem.
Gramin. amourettis ſpecies ibidem.
Plantula ignota, ad capillares referenda, Hel-
ſenburgi primo, poſt in rupibus apud
Warberg.
Ononidis non ſpinoſæ magna ſpecies, pas-
ſim in pratis.

Her-

Digitized by Google

Herba paris, apud Helſenburgum in arbuſtis.
Satyria ibidem.
Aſcyron ibidem & paſſim in arbuſtis.
Lagæa lupi apud Roſendael copioſiſſimè in in pratis & paſſim.
Scorzonera latifolia & tenuifolia, iisdem locis copioſiſſimè.
Serratula ibidem.
Gramin. Juncei ſpecies.
Erica baccifera in Ericetis paſſim.
Gramen ſpicatum flore luteo inter Sonager & Engelholm in paluſtri loco.
Gramen lucidum Tabernæmontani ibidem.
Rosmarinus ἄοσμος ibidem.
Acinos Lobeliii ibidem.
Trichomanes primo in pago Være è congeſtis qvibusdam ſaxis, poſt in inſulis prope Vardberg copioſiſſimè.
Lyſimachia ſiliqvoſa flore candido in montibus Hallandicis.
Lonchitis ibidem.
Glaux marina, ut videtur. Nos in paluſtri loco apud Aarup reperimus.
Chamænerium Gesneri inter Viſſinge & Trynninge.
Gentianella ibidem in arvis.

Muſcus ramoſus floridus Tabernemontani ibidem in alno.

Chamæmorus in paluſtribus Augurp.

Platanariola ibidem.

Veronica erecta flore ſpicato intra Buberg & Murup ad colles arenarios.

Pneumonanthe in pago Murup in arvis.

Chamæpericlimenum extra Murup ſub corylis, & in inſulis petræis propè Bardberg.

Dryopteris inter Toager & Bardberg è ſaxis prorumpens.

Polypodium paſſim in Hallandia inter ſaxa.

Viſcaria fortè marina flore albo: vel Leucojum marinum. Niſſæ è ſaxis prodiens, & in rupibus Warbergicis.

Serpentina major & minor. Niſſæ in littore.

Fucus marinus tenuifolius }
latifolius } in rupibus ſub aqva.
ſerratus }

Tripolium ad mare.

Geranium columbinum flore majore, in rupibus prope Bardberg.

Papaver ſpumeum marinum in petris ibidem.

Oxytriphyllon ibidem.

Fraga copioſiſſima ibid.

Sempervivum majus ibid.

Cra-

Gramen Sparteum ibid.
Cochlearia ibid.
Lonchitis maranthæ ibid. in rupibus.
Angelicæ ibid.
Chondrilla ibid.
Portulaca marina inter Neß & Vardberg.
Kali geniculatum ibid.
Lyſimachia cœrulea ſpicata. Buberg in prato.
Millefolium aqvaticum ſpecioſum. Augurp in paluſtribus.
Gramen amourettis ibid.
Ruga copiosè in Carup.
Filicis aliqvot ſpecies in montibus Hallandicis.
Circæa Lutetiana, ibidem admodum humiliter ad radices vetuſtarum arborum, & locis udis.
Cuſcuta apud Maro ad ſepem.
Trachelium flore cæruleo, ibid.
Polygonatum alterum, ibidem.

Digitized by Google

LOCULUS XXVI.

Vita D. CASPARI BARTHOLINI Prof. Regii ex Programm. Acad. ProRect. M. Rhumanni. 1629.

CASPARUS BARTHOLINUS Malmogiæ, in urbe Scanorum munitiſſimâ honeſtiſſimis & honoratiſſimis parentibus, patre Viro Reverendo, Dn BARTHOLO CASPARI BARTHOL. primum ad Spir. S. templum hoc ipſo in oppido; de in Malmogiæ Oppidano & Arcis fideliſſimo verbi divini miniſtro; matre v. pientiſſima & pudiciſſima matrona, ANNA ERASMIADE Anno à nato Chriſto M. D. LXXXV. 12. Febr. naſcitur, & ſtatim per lavacrum aqvæ in verbo piâ parentum curâ renaſcitur. Vix trimus præceptoribus bonis artibus & moribus piè informandus traditur. Qvi ab illis, qvæ ad Pietatem & bonam mentem facerent, ita avidè mox hauſit, ut ſupra annos & ætatem Anno ætatis ſuæ XI contribulibus ſuis facem prætulerit & tam ſolutâ qvam numeris devincta à ſe in omnium conceſſu memoriter idq; Græcè & Latinè habitâ non ſemel oratione ſui admirationem in omnium animis reliqverit opimamq; apud omnes de ſe ſpem concita-

citaverit. Nec ſpe ſua fruſtrati ſunt. Qvinqvennio enim inde, cum ille annum tantum ætatis 18. attigiſſet, civitatè noſtrâ donatus eſt & absq; cortice natare didicit. Hinc biennium diurnis nocturnisq; ſtudiis ita trivit, ut Roſtochio Witebergam veniens Anno ætatis 20 palmam cœteris ſodalibus præripiens humaniorum artium & Philoſophiæ Magiſter pronunciatus ſit. Qvos honores non ad aliorum morem ignaviæ tegumentum ſibi eſſe voluit: ſed neceſſitate adactus illos modeſtè ambivit & ſuo qvodam merito exambivit. Studiorum enim, in qvibus ille ſe abdidit, nervis deſtituebatur, nec à qvoqvam qvicqvam opis ſuo non ſudore & indefeſſo labore partum habuit, niſi qvod venerandum Lundenſe Capitulum in ſingulos annos ad triennium cum dimidio 60. unciales ipſi numeraverit. Qvod gratiſſimâ etiam mente ſemper agnovit. Qvocirca propriâ virtute & vigiliis emergere illo neceſſe habuit. Ne itaq; medium ſtudiorum curſum abrumperet deq; neceſſariis ut ſibi proſpiceret, facultatem publicè docendi Honoribus iſtis impetravit, & ita fragrantiſſimum Vitæ & eruditionis odorem aliis in primo ætatis flore ſpiravit. Witebergam v. ad triennium incoluit,

Digitized by Google

coluit, exiguum temporis ſi excipias, qvod præcipuis Germaniæ, Bohemiæ & vicinarum regionum oppidis luſtrandis & pervidendis impendit. Et qvia ab ingenio ipſius prorſus alienum erat patriæ ſuæ deſes adhærere & non Cosmopolitam ſe teſtari, Europam propè univerſam & maximam partem pedes emetitus eſt. Nec prima tantum patentiſſimorum Regnorum & Imperiorum limina ſalutavit; ſed freqventi etiam doctiſſimorum hominum conſvetudine in illis uſus eſt, ut doctior & melior inde rediret. Perluſtravit enim nobiliſſimas Germaniæ Provincias, Civitates & Academias, Halam, Erfurdiam, Jenam; Caſſeliam in Haſſia, Marpurgum, Gieſſam; dein Herbornam, Coloniam & Rhenum circumqvaq;; tum Juliam, Brabantiam & aliqvandiu Lovanii & Antverpiæ hæſit, ubi non ſine vitæ diſcrimine à militibus & piratis pro exploratore habitus, captivus detinebatur. Inde in Flandriam venit, & Gandavum, Cortracum, Yperam, Dunkerkam adiit. Immenſum eſſet ſingula oppida enumerare. Regiones & provincias dum nominamus, præcipuas in illis urbes dicimus. Nec enim ille, ſicut Canis de Nilo, bibit & aufugit; ſed ſingula pro ſumma ingenii ſui

ſagaci-

ſagacitate & capacitate indagavit. Qvocirca in Germania Lipſiam, Coburgum, Bambergam, Noribergam, Altorfium, Rotenburgum, Onolsbachum, Herbipolim, Francofurtum, Heidelbergam, Ulmam, Auguſtam Vindelicorum, Argentoratum inviſit. In Bataviâ Amſtelrodamum, Enchyſam præcipuasq; Civitates adiit & Leidæ aliqvandiu ſubſtitit, cumqve Philoſophis, Medicis & Theologis celeberrimis inibi familiariter converſatus eſt. Gallias etiam ſalutavit & inde in Angliam rectà navigavit, donec Baſileæ tandem Anno 1607. præſtantisſimos Medicos Felicem Platerum, Caſp. Bauhinum & Jacob. Zvingerum ipſe amabilis in ſui amorem pellexerat; Ubi, ſicut Vitebergæ prius pro facultatis Philoſophicæ Adjuncto dignè habitus eſt. Anno 1608. per Helvetiam, & Rætiam Genevam tranſiens Italiam appulit, ubi Bergamo, Breſsâ, Verona, Vicentiâ, Venetiis probè viſis, Patavii hybernavit in Bacchanaliorum usq;, ut vocant feſtum, qvando Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Lucam, Piſam, Livornum, Senas pertranſiens Romam tandem acceſſit inibiqve monumenta perantiqva luſtravit & cum ipſius etiam Pontificis Medico D. Johanne Fabro in ægrotantium morbos inqviſivit.

 Illinc

Illinc Neapolim ſe recepit, ubi Anatomica Profeſsio honorificè ſatis ipſi oblata; ſed inde piis de cauſis non ſine extremo vitæ periculo, qvod piratæ Turcici illi intentabant, in Siciliam perrexit. Qvô haut minus de vita periclitabatur Romæ illuc reverſus, ut ſibi vitæq; ſuæ clam conſulere neceſſe omnino habuerit. Unde Peruſinam Academiam, Lauretum & Anconam acceſſit. Anno per Chriſtum incarnatum ſalutari 1610. Patavium iterato reverſus Cremonam, Taurinum, Genoam; & in Gallias rediens, Marſiliam, Avenionem, Montem Peſulanum inviſit & oblatam in Sedanenſi Academiâ Græcæ Lingvæ Profeſſionem more ſuo modeſte recuſavit, atq; ab Hiſpaniæ finibus Italiam repetiit, tandemq; Patavium tertium venit, ubi non tantum Medicam praxin exercuit; ſed nocturna diligentiq; cadaverum humanorum Anatomiâ hanc artem perficere conatus eſt, qvod ſcripto ſuo Anatomico qvod multorum jam manibus teritur, ſatis etiam abunde teſtatus eſt. Ubi cum aliqvandiu inſigne ingenii ſui ſpecimen edidiſſet trans Marcam Treviſanam, Foro-Julium, Comitatum Tyrolenſem, Oenoponto, Monachio, Vienna in Auſtria, Presburgo in Ungaria Baſileam rediit. Ubi

ab

Digitized by Google

ab experientiſſimo Medico D. Caſp. Bauhino Medicinæ Doctor Anno ætatis ſuæ 25. magna cum laude creatus Witebergam eodem anno repetiit. Seqventi Holſatiam & Cimbriam nihil niſi reditionem in exteras cogitans perluſtrare voluit. Sed literis præter expectationem Illuſtris Viri, beatiſs. nunc memoriæ Chriſtiani Friſii Domini de Borreby huc vocato Lingvæ Lat. Profeſſio demandatur. Qvam qvoq: Provinciam ad ſesqvian- num inſigniter tutatus eſt. Donec Anno Chriſti ſupra milleſimum ſexcenteſimum duodecimo ad ſociam vitam animum appulit ſibiq; in matrimonium deſponſavit 22. Novemb. Præſtantiſſimi & Exellentiſſimi Medici, Profeſſoris in hac Academia Regii, Canonici Roëſchildenſis digniſſimi, & alumnorum Regiorum Oeconomi fideliſſimi filiam, caſtiſſimam & pudiciſſimam Virginem, ANNAM FINCKIAM, qvæ illum in hoc conjugio, qvod ad 17. Annos productum, ſeptem liberis, una filia & ſenis filiis parentem fecit. Qvorum omnium adhuc ſuperſtitum patrocinium ille miſericordiarum pater in ſe benigne ſuſcipiat! Anno 1613. Medico experientiſſimo, qvi fatis tunc conceſſerat Dn. D. Gellio Saſceridi ſucceſſit & Machaoniam artem

ſatis

Digitized by Google

ſatis felici Regis, Principum, Nobilium & aliorum morbo periculoſè laborantium ſucceſſu Annis circiter denis intra & extra Regni Pomæria exercuit. Et interea ab Anno 1618. in 1619. arduum illud Rectoratus Academici munus laudabiliter geſſit. Tandem Anno 1623. in morbum non unum extremè periculoſum ſimul & ſemel incidit, qvi omnibus recuperandæ valetudinis ſpem ademit, qvod morbis ex contrariis cauſis ortum ſuum ducentibus ſalutariter mederi nullus potuerat. Qvocirca videns in humanis nihil tutum ac firmum eſſe, omnes mundi vanitates animo ſuo ſepoſuit, votumq; Domino Deo ſuo imo corde vovit ſtudio potiſſimum Theologico reliqvum ſuæ vitæ ſe impenſurum, ſi ſortè ſanitati priſtinæ reſtitueretur. Probè namq; tum didicit nihil niſi hoc unum eſſe qvod ſatisfacere conſcientiæ poteſt, ſi qvando humanis omnibus deſtituimur. Et cum omnis humana vocatio divinam debeat præſupponere: illa huic ſucceſſit Anno ſeqventi 1624. qvando humanis exempto privato olim illius hic præceptori Reverendiſſimo Viro Dn. D. Cunrado Aslacho Bergenſi, hic ſanctiſſimus Dei Vir ſtatim ſurrogatur 21. Febr., qvando in Theologum expetitur & clementiſſimi Magiſtra-

ſtra-

ſtratus conſenſu approbatur. Qvo ipſo Anno valetudinis curandæ cauſa thermas Carolinas cum uxore adire urgebatur. Veſtigia tamen graviſſimi Morbi in artubus, & renibus ſemper relicta ſunt. Nam ubi proximè elapſo menſe, 4. nim. die Junii Magnificus Academiæ Rector ſecundo conſtitutus eſſet, & Regiam nobilemq; Soranam jam 10. hujus menſis die cogitaret, ut tenellæ ſuæ Juventuti in ædibus Burſerianis peſtifero hoc tempore partim conſuleret: vis priſtini morbi invaluit in itinere, & ad dictum præſtantiſſimum Medicum divertentis vires ita proſtraverunt Colici cruciatus, arthritis & Calculi, ut corpuſculum, miſellum illud animæ tegumentum expugnaverint, ubi prius hic beatiſſimus Vir ſalvifici Corporis & Sangvinis Jeſu Chriſti Reverendi admodum viri Johannis Cluveri SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris eximii, atq; Concionatoris illic locorum Germanici opera particeps factus eſſet. Et ita placidè & piè in Deo 13. die Julii circa nonam veſpertinam obdormivit, ubi Annos 44. exegiſſet & 45. attigiſſet. Et hic finis, hæc meta laborum ſanctiſſimi Viri nunqvam interruptorum; hic vitæ curſus, qvi teſtatur illum ſibi parum, aliis plurimum vixiſſe.

Digitized by Google

xiſſe. Qvod præ aliis edocet illud Regiæ Majeſtatis mandatum, cui morem gerens Collegiis & Cathedralibus ſcholis certa præſcripſit per Univerſum Regnum artium compendia, qvibus Juvenes inibi tenaciter adhærerent, ut feliciter in reliqvo ſtudiorum curriculo progrederentur. Ut taceam infinita illa feliciſſimi ingenii ipſius monumenta, qvibus doctiſſimis qvibusq; per Univerſam Europam innotuit. Qvo Regis ſui animum ita ſibi devinxit, ut proximis annis pro tantis ſuis laboribus Canonicatum apud Roëſchildenſes gratiosè ſortitus ſit. Sed qvid attinet tanti Viri minima qvævis perſeqvi, qvæ non niſi ſummum illius deſiderium in omnium noſtrum animis relinqvunt.

P. P. Hafniæ 18. Julii 1629.

EPITAPHIUM

C. BARTHOLINI Hafniæ in choro Templi Beatæ Virginis.

D. O.

Digitized by Google

D. O. M. S.

CASP. BARTHOLI-
NO MALM.

THEOL. MED. AC PHILO-
SOPH. D.

REG. ACAD. HAFN. P. P. ET ROSCH. CAP. CANON. INGENIO DIVINO DISSERENDIQVE ACUMINE, PIETATE, PRUDENTIA, JUSTITIA, INTEGRITATE SINGULISQVE INSERVIENDI VOLUNTATE NON DOMI MINUS XVII. ANN. IN ART. HUMAN. MED. AC THEOL. PROFESS. REGNIQVE GYMNASIIS VEL REGIO JUSSU DESTINATA INDUSTRIA: QVAM FORIS IN MELIORE ORB. EUROP. VARIIS OBITIS PEREGRIN. ET MONUM. EDITIS NOBILITATO.

EX RECTURÆ ACAD. ITERAT. ET HONORE ET ONERE

RE IN COELEST. PATRIAM IMMAT. MORTE EVOCATO

ANNA FINCKIA

CUM VI. FIL. ET I. FILIA SUPERSTES, AMORIS FIDEIQVE CONJUG. ET PEREN. DESIDERII MON.

B. M. P. C. M.

Soræ obiit XIII. Jul. M. DC. XXIX. cum Annos vixiſſet XLIV & Menſes V.

In Lapide ſepulchrali:

CASPAR BARTHOLINUS THEOLOG: MEDIC: AC. PHILOSPH: D. ACAD: HAFN: P. P. ET ROSCHILD. CAN: POST VARIAS PEREGR. ET MEDITATIONUM EXANTLATOS LABORES IN HUNC SECURÆ QVIETIS LOCUM ILLATUS GLORIOSAM RESURRECTIONEM EXPECTAT.

Opera

Digitized by Google

Opera Caſp. Bartholini edita.

1. Threnologia in Obitum Annæ Catharinæ, Reginæ Daniæ. Hafniæ in 4.
2. Oratio de Ortu, Progreſſu & Incrementis Academiæ Hafnienſis. Hafniæ in 4. & Wittebergæ.
3. Rhetorica Major. Haniæ in 12.
4. Rhetorica Minor. Hafniæ in 8.
5. Oratoria Major. Hafniæ in 12.
6. Oratoria Minor. Hafniæ in 8.
7. Epigrammata Extemporanea. Hafn. in 12.
8. Carminum variis in locis editorum faſciculus. Ibidem.
9. Janitores Logici Bini. Hafniæ in 12.
10. Diſputatio Logica de genere Syllogiſmi contra Scherbium. Hafniæ in 12.
11. Diſputatio Logica de Qvæſtionibus mixtis contra Keckermannum. Hafn. in 12.
12. Logica major Locupletata. Hafn. in 8.
13. Logica pro Scholarum majorum claſſibus ſuperioribus. Hafniæ in 8.
14. Logica minor. Hafniæ in 8.
15. Metaphyſica major. Hafniæ in 8.
16. Metaphyſica minor, ſeu Enchiridion Metaphyſicum. Argentorati in 12. Francofurti in 8.
17. Enhiridion Ethicum. Hafniæ in 12.

Digitized by Google

18. Præcepta totius Phyſicæ breviter explicata. Hafniæ in 12.
19. Diſputatio Phyſica Baſileenſis. Baſileæ in 4. Hafniæ in 12.
20. De Principiis Rerum Naturalium Opuſculum. Hafniæ in 12.
21. De Natura Opuſculum. Hafniæ in 12.
22. De Mundo Tractatus. Wittebergæ in 4. Hafniæ in 8.
23. Phyſica generalis major. Hafniæ in 8.
24. Uranologia. Hafniæ in 8.
25. Aſtrologia. Hafniæ in 8. Witteb. in 4.
26. De Elementis in Genere, & in Specie de Terra. Aëre & Igni, Inſtitutio Phyſica. Hafniæ in 8. bis. Roſtochii in 12.
27. De Aqvis Libri duo. Hafniæ in 8. bis. Roſtochii in 12.
28. De Mixtione Liber Unus. Hafniæ in 8. bis. Roſtochii in 12.
29. De Meteoris libri IV. Hafniæ in 8.
30. De Rerum Naturalium perfectè mixtarum Qvalitatibus manifeſtis & occultis libri II. Hafniæ in 8.
31. De corporibus perfectè mixtis Inanimatis, ſeu Metallis, Lapidibus & Mineralibus mediis, liber. Hafniæ in 8.

32. De

32. De Anima Excercitatio. Haſniæ in 8. Wittebergæ in 4.

NB. Uno Syſtematis Phyſici volumine decem hi libri qvoq; editi ſunt Haſniæ in 8. 1628.

33. De Lapide Nephritico Opuſculum Phyſico-Medicum, ubi ſimul de Amuletis omnibus præcipuis. Haſniæ in 8.

34. De Unicornu Opuſculum. Haſniæ in 8.

35. De Pygmæis Opuſculum. Haſniæ in 8.

36. De Studio Medico inchoando, continuando, & abſolvendo Conſilium. Haſniæ in 8.

37. Inſtitutiones Anatomicæ. Wittebergæ in 8. Roſtochii in 12. Argentinæ in 12. Goslariæ in 8. Oxoniæ in 12. Deinde aliqvoties à filio Thoma Bartholino locupletatæ, & editæ Lugduni Batavorum in 8.

38. Controverſiæ Anatomicæ. Goslariæ in 8.

39. Paradoxa Medica CCXL. Baſileæ in 4.

40. Problem. Phil. & Med Exercitationes decem, diſputatæ in Academia Wittebergenſi. Wittebergæ in 4.

41. Diſputationes Philoſ. & Medicæ decem publice in Academia Haſnienſi diſputatæ. Haſniæ in 4.

42. De Cauteriis Syntagma Medicum & Chirurgicum. Hafniæ in 4.
43. De Aëre Peſtilenti corrigendo Conſilium. Hafniæ in 8. & 4.
44 De Luthero Panegyricus. Hafniæ in 4.
45. De Cœna Domini brevis inſtitutio, Hafniæ in 12.
46. Manuductio ad veram Pſychologiam, ex ſacris literis. Hafniæ in 8.
47. De Natura Theologiæ. Hafniæ in 4.
48. De Partitionibus Scripturæ. Hafniæ in 4.
49. Conſilium de ſtudio Theologico inchoando & continuando. Hafniæ in 8.
50. In Orationem Dominicam Meditationes. Hafniæ in 12.
51. De Natura utraq; Chriſti. Hafniæ in 12.
52. De Bello. Hafniæ in 12.
53. De Viſitatione Mariæ. Hafniæ in 12.
54. De Benedictione Aharonis. Hafn. in 12.

Reliqva vitam ejus ſpectantia videantur in Concione Funebri D. Jani Jerſini in Obitum Caſpari Bartholini. Hafniæ in 12.

Oratione Parentali D. Caſpari Brochmanni in Exceſſum ejusdem Bartholini. Hafniæ in 8.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XXVII.

De Pharmacopœis viſitandis, &c.

NOs CHRISTIANUS Qvartus Dei Gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumq; Rex, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, notum omnibus facimus qvandoqvidem clementiſſimè intelleximus varios abuſus in Pharmacopoliis noſtris Hafnienſibus ſubrepſiſſe, idcircò ut hi primò abrogari poſſint & deinde præcaveri, noſtris Profeſſoribus, Archiatro (qvando præſens fuerit,) & Medicis Hafnienſibus, qvi jam ſunt vel in poſterum futuri ſunt, clementiſſimè injungimus & mandamus, ut Pharmacopolia ibidem bis qvotannis viſitent, ibidemq; explorent an ita ſint materiâ medicâ legitimâ & recenti varii generis inſtructa, ſicut optimè conſtitutæ officinæ eſſe debent; præterea an illo pretio contenti vivant, qvod præſcribit Taxa vel præſcripta vel illo tempore qvo fit viſitatio, præſcribenda, qvæ pretii mutatio manu Medicorum eorundem conſignata, qvotiens opus erit, ad publicam notitiam in cuſtodia Univerſitatis ſervetur. Tandem qvandocunq; defectus vel error cir-

ca prædicta depræhenditur, tenebuntur Medici Pharmacopoliorum viſitatores noſtræ Cancellariæ indicium horum inſinuare. Pari modo Medici circumſpiciant, ne Barbitonſores in medicinis internis propinandis occupentur, curentq; diligenter ut Edicta noſtra de Chirurgis & Pharmacopœis ſerventur & exſeqvutioni tradantur, vel ad nos deferant ſi qvicqvam ſubolfecerint contra hæc ullos moliri. Juxta qvæ Medici prædicti, Pharmacopæi, illorumq; poſteri ſe componant, niſi & ipſi & illorum ſucceſſores pro transgreſſoribus mandatorum noſtrorum teneri velint, nihil horum intermittentes. Datum in arce noſtra Fridericiburgenſi 1. Novembr. Anno 1629.

Sub Sigillo Noſtro

CHRISTIANUS.

L. S.

Cla-

Clariſſimo & Experientiſſimo Viro Dn. Thomæ Finckio, Medicinæ Doctori & ejusdem Facultatis Primario Profeſſori, Domino & amico plurimum colendo.

Cum aliò præter ſpem abriperer, nec daretur mihi facultas coram & tecum & cum Collegis tuis de iſthoc negotio conferendi, de qvo nuper ad me ſcripſeras, literis ſaltem te adire viſum fuit, & ſummam eorum breviter perſtringere, qvæ mihi de tota re nota eſſent. Impetrarunt nuper ambo Pharmacopæi privilegium Regium, qvo tota ſupellex, qvæ ad officinam pertinet, ut & copia medicamentorum, qvæ præſto eſſe poſſet in articulo mortis, allodialibus & hæreditariis bonis, unâ cum annexo jure aperiendæ officinæ, accenſeretur, eâ tamen lege, ut Regi jus eſſet, per Medicos examini ſubjicere, & ſi dignus viſus fuerit ut is non prius pleno jure uti poſſet, qvam à Rege confirmationem obtinuiſſet. Cum autem Illuſtris qvoq; Dominus Cancellarius operas ſuas nobis in hoc negotio promovendo commodaſſet, æqvum ipſi viſum fuit, ut officinæ ita qvovis tempore cultæ & inſtructæ habe-

Digitized by Google

rentur, ne qvid in iis jure deſiderari qveat, & in eum finem intelligebam ab ipſo, mandatum iri Facultati Medicæ, ut qvotannis viſitationes inſtituerent, qvod & antea memini vos feciſſe, & nunc facietis eò libentius, qvod Regi diligentia illa non diſpliceat. Ego qvoq; me non ſubducam, ſi per occupationes regias liceat, qvod & Illuſtris Dominus Cancellarius ſe excepturum promiſit. Puto autem ſingulas viſitationes ſingulis annis ſufficere & de hac re cum Rege porrò agi poteſt. Reformationem autem Taxæ neceſſariam ipſi Pharmacopæi confitebuntur, cum qvotannis pretium exoticorum aut varietur aut non rarò conſtanti augmento majus ab Inſtitutoribus imponatur. Admonui autem Dominum Cancellarium, nihil de ea re poſſe conſtanter diſponi, anteqvam Vectigalia illa nimia remittantur, qvod ille jam factum eſſe reſpondit. Pauca etiam Chymica medicamenta video cum reliqvis taxata, qvorum oporteret eò magis mentionem fieri, qvò eorum uſus de die in diem magis increbeſcit. Deniq; qvod de præſtando juramento Domino Cancellario viſum fuit, id ego tum qvoq; ut & cætera detuli ad utrumq; pharmacopæum. Uterq; enim commodum aderat,

Digitized by Google

aderat, tam Eſaias, qvam ille alter, in qvem Rex tum conſenſerat, ut adminiſtraret officinam Steinianam, donec filius ejus adoleſceret, & progreſſus in arte pharmaceutica ſufficientia documenta dare poſſet. Et Eſaias qvidem non detrectavit, nec pro ſe, nec pro primo miniſtro, qvod ſciret in omnibus Germaniæ officinis id pro lege obſervari. Sed alter ille neſcio qvem ſcrupulum injecit. Puto tamen adigendum eſſe, anteqvam admittatur ad plenam fruitionem privilegii Regii, nec is ullo prætextu poterit ſe opponere vel legi Regiæ, vel benignæ voluntati Domini Cancellarii, à cujus circumſpecta conſideratione, meo qvidem judicio, hæc omnia Regi ſuggeſta ſunt. Id qvod obiter ſaltem, & ne promiſſa fallerem, cum præſenti mihi adeſſe non liceret, ad Dominum Doctorem perſcribendum in itinere, duxi. Qvicqvid de reliqvo, à Te tanqvam Decano & Collegii Medici Regente de conſilio aliorum Medicorum, ſtatutum fuerit, id mihi non diſplicebit, nec deero veſtræ congregationi, ſi interim mihi licet eſſe reduci. Forte etiam brevi de viſitatione qvicqvam inchoare, neq; tutum fuerit, neq; hac tempeſtate, disjecta Academia, poſſibile. Id qvod ſolum eſt,

Digitized by Google

qvod de hoc negotio mihi in mentem venit. Vale, Vir Clariſſime & compater colende, & me tuum eſſe puta, qvemadmodum te puto eſſe meum. Scriptum in pago Greſſve/ die 18. Novembr. 1629.

T. nominis

Studioſiſſ.

H. ARNISÆUS D.

Ejusdem tenoris edictum Regium prodiit 11. Maji Anno 1639. In qvo tamen id qvoq; clementiſſimè injungebatur Medicis

UT conciperent formulam juramenti à Pharmacopæis illorumq; miniſtris præſtandam, ſeriò illos adhortarentur ut juxta prædictum juramentum pro ſummis viribus viverent.

Ad mandatum Regium, juxta edicti tenorem, Decanus Facultatis Medicæ D. Thomas Finckius, cum Collegio Medico, hanc juramenti formulam præſcripſit:

Jura-

Juramentum Apothecarii.

EGo N. N. Regiæ Maj. clementiſſima voluntate deſtinatus Pharmacopæus in urbe Hafnienſi, per Deum juro & ſanctum illius verbum, me fore in hoc meo officio diligentem, fidelem & aſſiduum, ſervaturum Ser. Reg. Maj. de Pharmacopæis promulgata edicta juxta omnia & ſingula illorum verba & articulos, pharmaceuticam ſupellectilem ita inſtructurum, ut nullum Medicamentum inutile, obſoletum, & adulteratum ſim adhibiturus, præparaturus aut venditurus paſſurusq; ut vendatur, neq; qvæ bona ſunt majori precio venditurum vel ſpecies ipſas vel labores, qvam qvod præſcribit Taxa conſtituta vel impoſterum pro temporum mutatione conſtituenda: Omnia compoſita bona fide præparaturum cum legitimis ingredientibus, neq; venditurum illa qvæ qvocunq; additamento ſunt renovata, & multiplicata, & ſi qvando in Medicorum præſcriptionibus inveniuntur ſpecies vel compoſita qvibus careo, nolo mihi licere ſubſtituere aliud ſuccedaneum, niſi prius conſulto Medico, qvi ſubſtituere ipſe poſſit qvod commodiſſimè judicaverit. Promitto qvoq; me miniſtros, idoneos,

neos, ſufficientes & peritos aliturum, diligenter actiones illorum obſervaturum, ut omnia medicamenta bona fide fideliter præparentur, non ab imperitis & rudibus famulis, & qvod & ego & illi qvando viſitationes fiunt, omnia medicamenta in Pharmacopolio producere velimus & debeamus, ut de illis judicari poſſit an bona ſint & retinenda vel ſtatim rejicienda, & ea fidelitate cum miniſtris & famulis omnia facturum, qvæ Virum honeſtum & fidelem Apothecarium decent, & ſicut Deo Omnipotenti, & ſupremo Magiſtratu ſpero me probaturum, integrá conſcientiâ.

Juramentum Miniſtri Pharmaceutici.

EGo N. N. apud N. N. Sereniſs. Reg. Maj. Pharmacopæum hic Hafniæ deſtinatum pro Pharmaceutico miniſtro ſerviens, juro per Deum & ſanctum illius verbum, futurum me in hoc meo miniſterio diligentem & aſſiduum, nec meo tantum Domino ſed & Medicis in hoc miniſterio fidelem & obedientem, nullum periculoſum & inutile medicamentum præparaturum, multò minus additamento

mento qvocunq; renovata vel multiplicata venditurum, nec bona & legitima alio pretio ſive ſpecies ipſas ſive labores æſtimaturum, qvam qvod jubet Taxa præſcripta vel deinceps pro conditionibus occurrentibus præſcribenda; nullam formulam medicamenti aliter præparaturum qvam ex præſcripto Medicorum approbatorum, & ſi qvid in illorum Receptis, ut vocant, inveniatur, qvo deſtituitur officina, nil prorſus me ſubſtituturum, niſi qvod Medicus admonitus ipſe pro ſuccedaneo ſubſtitui velit. Et qvando Medici officinas viſitaverint, tum palam prolaturum omnia qvæ in officinis ſunt, ut illa vel pro legitimis approbentur vel pro inidoneis rejiciantur: Et in omnibus aliis modis ita me attemperaturum, ſicut honeſtum & fidelem miniſtrum Pharmaceuticum decet, & Deo & Magiſtratui rationem reddere auſim.

Spectabili Facultatis Medicæ Decano Dn. D. Thomæ Finckio, Domino meo honorando.

SPectabilis Dn. Decane, Domine & Amice honorande. Eqvidem legi formulam juramentorum à Pharmacopæis, eorumq; mini-

miniſtris præſtandorum. Et qvia Sereniſſimi Regis noſtri mandato, ipſi deniq; æqvitati & juſtitiæ congruunt, non habeo qvod deſiderem. Tempus & locum ſumendi juramenti, veſtro arbitrio committo. Vale Vir optime, & generum tuum ex me ſalvere jube. Ex arce Regia, die 8. Nov. 1639.

T.

Studioſiſs.

J. FABRICIUS.

LOCULUS XXVIII.

De Jano Nicolai, qvi homicidii fœtus in utero reus accuſabatur à Gertruda Martinia, qvia matrem in Terram proſtraverit, atq; baculo ejus uterum aliqvot ictibus tractaverit ut contracta macula prope umbilicum remanſerit, & oſſicula infantis per partes deinde ex utero prodierint:

Medicorum Hafnienſium Reſponſum Anno 1630.

Qvan-

Digitized by Google

QVandoqvidem à Sereniſſimo Rege noſtro juſſi ſumus, in Caſu, qvi in Scania nuper evenit, de infanticidio, ut creditur, in utero peracto, teſtes examinare, rem diligenter expendere, & ſententiam noſtram Scripto concipere: Nos clementiſſimo mandato ſubjectiſſimè obtemperaturi, diem XV. Aprilis 1630. huic negocio deſtinavimus, & præſentes eſſe juſſimus non ſolum Gertrudam Martini actorem, & Janum Nicolai reum, ſed & cæteros teſtes qvotqvot advenerant, in Conſiſtorio Academiæ. Re deliberata & perpenſa deprehendimus,

Primò: ex obſervationibus variorum, qvod embryo in utero materno mori poſſit, ibidem putreſcere, nec ad hebdomadas ſolum paucas, ſed ad menſes multos detineri, donec viis ordinariis vel extraordinariis expellatur, matrem verò interea ſæpe ſolitis domeſticisq; curis vacare poſſe. Cujus expreſſum exemplum ſuppeditat femina hæc Scanica Gertruda Martinia, in qva invenimus non ſolum ex relatione mulierum qvæ præſentes fuerant puerperæ laboranti qvando oſſa ex illa provenerunt, ſed & ex ipſis oſſiculis exiguis, qvæ ſenſim effluxerant, nobisq; oſtendeban-

debantur ea magnitudine eoq; robore, ut fœtus eam habere potuerit ætatem qvam mater affirmat XX. hebdomadas excedere, qvanqvam nec motus nec conceptionis tempus adeò accuratè ad certos dies vel horas determinari poſſit; & ex illorum teſtimonio, qvi poſtea viderunt illam domi laborantem & lavantem, & alia negocia exercentem, comedentem, bibentem, ingrediuntem & exeuntem &c.

Deinde, ex omnibus nobis exhibitis non ſatis manifeſtè & liqvido probatum invenimus de fœtus mortis cauſa vel tempore. Nam etſi Gertruda teſtem juvenem adduxerit, qvi teſtatur ſe vidiſſe, qvod Janus Nicolai Gertrudam violenter in terram proſtraverit; tamen qvia ipſe hic teſtis fatetur tanto intervallo ſe fuiſſe ab illo remotum, ut diſcernere non potuerit, an baculo vel manu illam proſtraverit, qvanqvam crediderit manu illam fuiſſe perculſam; tamen probatnm non eſt, iſtum ictum talem fuiſſe tamq; vehementem ut exinde fœtus potuerit occidi, ſiqvidem qvotidiana experientia ſatis demonſtrat prægnantes feminas ſive pharmacis vehementioribus, ſive ictu & verberibus ſæpe malè eſſe tractatas, brevi tamen poſt incolumi ſanitate

fœtus

Digitized by Google

fœtus vivos enixas; præterea clarum eſt & manifeſtum, qvod non ſolis verberibus, ictu, vel alia qvacunq; externa violentia fœtus extingvatur; ſed aliis interioribus potius cauſis, nempe fœtus poſitu deteriore & matris interea motibus & animi corporisq; inordinatioribus, & qvibuscunq; aliis cauſis qvibus in tenello corpuſculo vaſorum disruptio fit, maximè in illis qvæ aliàs ad abortum pronæ ſunt; & ipſa Gertruda fatetur primum fœtum ſe mortuum enixam eſſe, circiter horulæ intervallo poſtqvam moventem illum ſenſiſſet, nec tamen ante vel verbera vel ictus ullos perpeſſam.

Qvod maculam illam lividam vel puſtulam attinet, qvæ in dextro hypochondrio manum tranſverſam ab umbilico diſtabat, non videtur ex illa qvidqvam certi demonſtrari poſſe, qvanqvam illa ipſa ſtatim legitimè ſit monſtrata ex judicis mandato & obſervata. Nam ille locus, ex ipſius Gertrudæ confeſſione & aliorum qvi privatim illum ſunt contemplati, elatior videtur & ſuperior, qvam ut fœtus ætatis ratione illuc pertingere potuerit, & exinde lædi. Præterea deſignatus locus ita mollis eſt, ut ex ictu baculi

non poſſit puſtula elevari, qvam aliàs aliqva malignitas vel vis cauſtica ſolet excitare.

Adhæc non immeritò hic conſiderandum, qvod puerpera die nono poſt acceptam plagam pedibus iverit ad templum itinere qvadrantis milliaris, tumq; primum in lipothymiam inciderit, & profluvium muliebre apparuerit, qvæ ſymptomata graviora fuere fœtui poſt itineris longi moleſtiam, qvam plaga prior.

Hæc noſtra eſt ſententia ſimpliciſſima in caſu hoc ponderoſo & criminali, ubi teſtes probationesq; reqviruntur luce meridiana clariores, qvam juſſu Clementiſſimo Reg. Majeſtatis, conſignare voluimus & debuimus, ſalvo meliore judicio. Hafniæ loco & tempore ut ſupra.

Sub Facultatis Medicæ Sigillo.

Thomas Finck D.
Henningus Arniſæus D.
Olaus Worm D.
Henricus Paſchaſius M. D.
Esbernus Nicolai.

Fri-

Digitized by Google

Fridericus Severinius D.
Wilhelmus Laurembergius D.
Tancredus Lælius, nihil certi in hac cauſa ſtatuit.

Singulorum Vota ſcripta, à Doct. Thoma Finckio Decano collecta.

D. Arnisæi Sententia & Judicium vel Deciſio de propoſito caſu:

PRæmiſſa exceptione vel proteſtatione, qvod nobis propoſitum non ſit amplius nos intromittere, qvam ad ea, de qvibus Medici ex arte ſua judicare poſſunt, neq; Regias literas aliter interpretandas videri, cum alias vetus Verbum ſit: Qvod Medicorum eſt, promittunt Medici.

Puto dicendum 1. Inprimis certum eſſe, mulierem peperiſſe fœtum mortuum & qvidem fruſtulatim, qvod id ſatis teſtantur oculatæ teſtes, qvæ parienti adfuerunt.

2. Certum item eſſe, oſſa qvæ exhibita fuerunt, eſſe oſſa infantuli, non alterius animalis, idq; ex αὐτοψία conſtare, & ex teſtimonio mulierum, qvæ ea exceperunt.

3. Porro nec illud negari poſſe, formatio-

tionem oſſium reſpondere illi ætati, qvam indicat mulier, qvod in extremitatibus utrisq; tota cartilaginea & in medio corpore mollia, nec majora ſint, qvam fætus in tantum perfecti, ut jam moveri incipiat, qvod circa vigeſimam ſeptimanam ferè fieri ſolet, etſi terminus motus, tam incertus ſit, qvam terminus partus.

4. De eo qvoq; conſtare puto, qvod fœtus ante exitum computruerit in utero; Id enim ſatis indicat fœtida & putrida ſanies, qvæ per 19 dies ante partum & poſt effluxit, nec non ſemi exeſæ & putridæ reliqviæ fœtus, qvæ in manus mulierum pervenerunt, cute exeſa, & carne præ corruptione diffluente, ita ut vix oſſa, eaq; & ipſa compagibus ſuis exoluta, reliqva eſſent, qvod & αὐτοψία reliqvarum ſatis convincere poteſt.

5. Qvoto autem tempore fœtus in utero jacuerit mortuus, ex actis probari non poteſt, qvod neq; ex matris, neq; aſtitum mulierum, cum obſtetrix præmortua eſſet, teſtimonio depræhendi potuit. Ex conſeqventi autem ſi judicari debent, oportuit fœtum ante exitum ſanioſæ colluviei, cujus principium incidit in 20. Decembr. ut mulier nar-

rat,

Digitized by Google

rat, tanto tempore mortuum latuiſſe, ut potuerit putredine conſumi & in fruſta comminui. Hujus autem corruptionis non eſt certus terminus, ſicut nec eſſe poteſt, niſi qvanto ex relationibus parientis colligi per conjecturas poſſet; Ex præſenti autem muliere nihil, qvod huc faceret, diligenti interrogatione exqviri potuit.

6. Ex qvo porro ſeqvitur, nec de die vel articulo ſatis certo conſtare poſſe, qvo fœtus præcisè mortuus fuerit. Potuit enim diu ægrotare, anteqvam moreretur.

7. An verò ex ictibus, qvos à reo acceperit mulier, mortuus ſit fœtus, de qvo potiſſimum qværitur, ex actis & circumſtantiis facti, nihil Cathegoricè reſponderi poſſe cenſeo, qvod & qvalitas facti vel percuſſionis, non ſatis probata ſit, & qvæ conſecuta ſunt, partim per ſe in abdito lateant, partim à teſtibus inſufficienter explicata. Utrum enim reus convictus ſit plagarum, qvas intuliſſe dicitur, non eſt noſtrum, ſed judicis dijudicare, qvod unus tantum oculatus teſtis producatur, ſed qvi non viderit, ut res geſta ſit, niſi è longinqvo. De qvalitate autem facti nemo qvicqvam deponit, & Reus planè negat factum eſſe. Si autem dijudicari deberet,

Digitized by Google

beret, an fœtus ex plagis illis mortuus eſſet, oporteret prius conſtare, de qvalitate & violentia dejectionis, cui abortio imputatur, qva ratione & poſitu, qvo impulſu, in qvam regionem corporis qvibus plagis mulier, cum caderet, conciderit. Nam macula illa vel exulceratio, qvam monſtravit, etſi inflicta fuerit impulſu baculi, ut accuſatus fatetur, reus negat, & teſtes non aſſerunt, qvod nemo in ferientis manu baculum viderit, non eſt tamen indicium ſufficiens, ut inde contritum infantis caput, aut aliqva ejus alia pars dici qveat, tum qvod ſupra locum uteri deprehenſa fuerit è regione umbilici, ad hypochondrium dextrum, qvô uterus non pertingit, niſi magnitudine perfecti fœtus, impulſus, tum qvod cute tenus vulnuſculum conſtiterit, nec impetus penetrare potuerit ad uterum qvi illuc loci deſuper obruitur multitudine complicatorum inteſtinorum. Cum igitur non conſtet, poſito, qvod partes ad manus devenerint, qva violentia mulier dejecta ſit, & qvo poſitu ceciderit cum detraheretur ad terram, ſalva conſcientia Cathegoricè dici non poteſt, qvod infans ex illo ictu præcisè mortuus fuerit. Oportet probationes, ex qvibus homo condemnari debet,

bet, luce clariores eſſe, nec conjecturæ ad tantum vitæ alicujus præjudicium faciendum ſufficiunt.

Qvatenus tamen conjecturis agendum eſt, ſic puto dicendum eſſe, Mulierem potuiſſe violenta dejectione, ſi præceſſit, ita circa regionem uteri contortam aut convolutam fuiſſe, ut poſitus infantis in utero vitiatus & ex naturali in nonnaturalem commutatus fuerit, ex qvo proxima ſeptimana ægritudo ejus ſeqvi potuit, idq; usq; ad diem Solis, qvi erat Nonus ab accepta plaga, qvo tempore mulier circuibat & domeſticis laboribus defungebatur, præfato etiam die ad templum pedes inviſebat, per qvadrantem miliaris, ubi cum in templo animo deficeret, & in iſto deliqvio ſtatim ſubſeqveretur fluxus rubicundi ſangvinis, qvem ex eo etiam paſſa eſt per intervalla, usq; ad effluvium ſaniei, veriſimile eſt eo momento cum & pedeſtre iter præceſſiſſet, vaſa umbilicabilia cepiſſe ab acetabilis uteri abſcedere & disrumpi, ex qvo & fluxus ſangvinis ſeqvi potuit. Et in hunc diem poſſet rejici principium periclitantis fœtus, etſi nec illud à qvoqvam dici poteſt Cathegoricè, ſed conjecturaliter tantum. Et qvia venæ & arteriæ pluribus cau-

dicibus implantantur Cotyledonibus uteri, forte una vice unove impetu non abſceſſerunt, ita ut ſenſim infans, nec uno nictu oculi moreretur. Et hujus disruptionis vel abſciſſionis vaſorum, potuit ſola dejectio, non tam cauſa, qvam occaſio fuiſſe. Fit enim ſæpe ex levioribus cauſis, vel ex gravitate & pondere infantis, vel ex revolutione matris intempeſtiva, vel ex defatigatione per motum, vel etiam ex occaſionibus aliis, qvæ omnes non habent vim cauſarum per ſe, præſertim in iis mulieribus, qvæ procliviores ſunt ad abortiendum, ut hæc jam ſemel abortiit. Ac proinde non video, qvomodo reus ad pœnam homicidii ordinariam condemnari qveat, tum qvod non conſtet de qvalitate & modo dejectionis, an tanta taliſve fuerit, ut potuerit umbilicalia ligamenta rumpere, aut ab utero ſeparare, unde veriſimilius eſt infantem mortuum fuiſſe, qvam ex contuſione ab ictu, tum qvod ex veriſimilitudine & conjecturis qvæ variare poſſunt, nunqvam ſit procedendum ad aliqvem capitis damnandum, tum qvod ſi qvam maximè percuſſio fuit inchoamentum ſecutæ mortis, non potuit tamen ejus cauſa per ſe dici, ſed vel occaſio, vel cauſa per accidens, tum qvod

ex

Digitized by Google

ex conjecturis concludi non qveat mortem ſtatim, ſed ex intervallo ſecutam eſſe, tam qvod litura qvam retinuit mater ex plaga, unâ cum dejectione ejusdem ad terram, tanta non fuerit, ut potuerit præſentem necem infanti inferre. Salvo melius ſentientium judicio.

Clariſſimo & Excellentiſſimo Viro D. Thomæ Finckio Medicinæ Doctori & in Academia Hafnienſi ejusdem Profeſſori & Decano, Domino amico & Compatri plurimum honorando.

SAlutem & officia. Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Domine Compater & amice honorande, Deciſionem Collegii legi, & ſubſcriptione meâ roboravi, qvandoqvidem vobis viſum fuit cautione iſtâ uti, absq; qva licet fuiſſet, nihilominus deciſio ita comparata eſt, ut ab aliqvo, qvi medicarum rerum ſciens ſit, non niſi affectata contentione reprehendi poſſit. Si tamen per me ſtetiſſet in poſteriori paragrapho non rejeciſſem culpam in illud ad concionem iter & in proflu-

Digitized by Google

vium uteri. Profluvium enim procul dubio non fuit cauſa, ſed ſymptoma & indicium mortis fœtus. In iter autem illud lentum & cui mater aſſveverat, non puto cauſam ullo modo rejici poſſe, aut ſi inde veriſimiliter colligi deberet, ligamenta fuiſſe disrupta & fœtum mortuum, multò veriſimilius erit, violentum mulieris caſum & dejectionem, cum vapularet, potuiſſe, ſi non cauſam per ſe, ſaltem per accidens, qvam occaſionem verè dixerimus, morti fœtus præbere, non qvod inde ſtatim mortuus fuerit, ſed qvod potuerit tantam imbecillitatem & jacturam contrahere, ut ſenſim mors ſecuta fuit, poſt totalem acetabulorum uteri disruptionem. Auget hanc ſuſpicionem, qvod mater teſtetur, ſe à momento acceptarum plagarum infantis motum non amplius ſenſiſſe. Sed ego tamen nihil muto, qvia reliqvis Dominis Doctoribus ita viſum fuit, & remitto Domino Decano deciſionem cum mei Nominis ſubſcriptione. Cui & ago gratias qvam maximas, pro opipara tractatione, qvâ tum in ædibus tuis perbenigne acceptus ſum. Rogo Dominum Doctorem Olaum officioſè ſalutari, & teipſum cum tota domo & familiâ

Deo

Deo ter Optimo Maximo commendo. Scriptum Fridericiburgi die 12. Maji 1630.

Excell. Tuæ

Studioſiſs.

Henningus Arnisæus D.

QVamvis (relationi matris ſi fides ſit habenda, oſſiumq; nobis oſtenſorum proportioni & magnitudini aliqvid tribuendum) dubium non ſit, fœtum de qvo qvæſtio, in utero materno, ante caſum hunc vixiſſe: Qvamvis etiam ratum, multorumq; obſervationibus comprobatum, fœtum mortuum aliqvot ſeptimanarum ſpacio in utero materno detineri, putreſcere & fruſtulatim demum eximi poſſe: nihilominus tamen Reum hunc eo tempore, qvo cum prægnante ipſi lis fuit, fætum ejus in utero occidiſſe, affirmare nec poſſum, nec audeo. Ut enim taceam, ipſum conſtanter ictum negare, nulliſq; oculatis teſtibus (unico eoq; lubrico excepto) demonſtratum nobis eſſe, eum fæminam proſtraſſe, ac ictibus tractaſſe: ab hoc liti-

litigio per novem integros dies de nulla inſigni circa fœtum aut uterum alteratione conqveſta eſt, munia ſolita utcunq; obivit; donec motu corporis vehementiori, pedes ad templum inde remotius ſe conferret, in qvo primum aliqva fœtus periclitantis indicia ſe protulere, Lypothymiæ ſcilicet & fluxus uteri cruentus. Qvin igitur & animi irati ac vindictæ cupidi, corporis qvin etiam in tanto itinere, commotiones vehementiores, debilitati fœtus ligamenta laxare, mortiq; in fœmina alias in abortum proclivi (qvalem ſe hæc fatetur) anſam præbere potuerint minus ambigo. Puſtulam in abdomine poſt litem conſpectam, qvod attinet, eam ex ictu ortam, vix probabile, cum in parte tam molli & ad reſiſtendum inepta, citius vulnus qvam contuſionem aut puſtulas produxiſſet ictus vehementior. Nec in partibus durioribus ex ictu, tam puſtulas, qvàm tumores & ſugillationes excitari videmus, qvæ temporis progreſſu colores mutant & obliterantur, nec tam diu durant, ac hæc, qvam etiamnum conſpici ipſa aſſerit.

OLAUS WORM D.

CA-

CASUS.

Habetur Jens Nielſen reus homicidii fætus in utero, propterea qvod matrem in terram projecerit, atq; baculo ejus uterum aliquot ictibus violentis tractaverit, probantq; hoc maculâ qvâdam exinde contractâ juxta umbilicum.

Resolutio.

JEns Nielſen qvomodo homicidii in hoc caſu inſimulari poſſit, ego non video, præſertim cum accuſatus factum omnino neget, nec contra ipſum pro teſte qvisqvam producatur niſi puer ruſticus, qvi & ipſe vacillat, neq; ſibi ſatis conſtat de tractationis modo, num videlicet manibus aut baculo pugna hæc ſit transacta.

Præterea cum aliæ plures cauſæ hujus fætus extinctionis poſſint introduci, (ex qvibus matri una aut altera in geſtatione potuerit contingere, ut vaſorum fætus cum vaſis uteri connexus facta ſit ſeparatio,) dejectio in terram & ictio in ventrem hic præcisè pro cauſa haberi non poteſt, præſertim cum de modo projectionis atq; percuſſionis nihil certi ſcire liceat. Confirmat meam opinio-

nio-

nionem qvod mater decimo die poſt percuſſionem iter tam longum ad templum potuerit abſolvere pedes, atq; in templo eodem die hæmorrhagia uteri demum inceperit, cum aliâs in hujusmodi caſu poſt tertium diem ſtatim ſangvis ex utero profluxiſſe neq; diutius emanſiſſe debuiſſet, obſtetricibus atq; matronis approbantibus.

De macula ſatis dilucidè Clariſſ. & Exp. Dn. D. Olaus Wormius diſcurrit, cui & ego conſentio.

Qvare prædicto accuſato homicidii culpam ſalva conſcientia ego adſcribere neq; poſſum neq; volo.

Henricus Paſchaſius
M. D.

PAgina 1. Cujus expreſſum exemplum ſuppeditat Gertruda &c. qvia idem exemplum eſt in qvæſtione poſitum, An ſcilicet Gertruda tamdiu fætum mortuum geſtare potuerit, non videtur hîc pro probatione aſſumendum, niſi committatur petitio principii.

Pag. 2. Deinde &c. & paulo poſt, qvanqvam

qvam probatum non eſt, iſtum ictum talem fuiſſe ut exinde fætus potuerit occidi: ubi ponitur, qvod fætus ex illo ictu mori non potuerit, qvod an ex allatis argumentis poſſit obtineri, videndum.

1. Qvæ non percuſſa fuit, illa nec ex percusſione fætum potuit habere mortuum, qvod extra dubium & verum eſt.

At illa non fuit percuſſa: Ratio, qvia unus ille teſtis hoc non vidit. Non procedit, qvod ſive vidiſſet, ſive non, nihilominus illa percuſſa fuiſſet.

2. Aliæ mulieres malè licet tractatæ, non tamen abortiverunt; neq; igitur hæc. Argumentum procedit à Majore non Univerſali; neq; hic ſatis probatur minor.

3. Qvod ex cauſis naturalibus poterat eſſe, illud non poterat hinc per ſe. non procedit, niſi ex illis ſolis moriatur fœtus, ſed niſi omnis fœtús ex illis cauſis moriatur. Velim etiam attendi ad illa verba, *Vaſorum disruptione*, an talis disruptio ſemper ſit ut hic poſita videtur Cauſa fœtus mortui, ut qvidem aliis placet, qvod tamen non videtur, niſi ubi violenta admodum fuerit concuſſio ventris; & qvod tam videatur eſſe poſſe effectum, qvam cauſa fœtus mortui, incipiant nimi-

Digitized by Google

nimirum ex morte fœtus, putredines qvam talis diſſolutio contingat.

4. Prona ad abortum, illa non potuit ex hac contuſione fœtum habere mortuum. Imò multò magis. Deinde ſi illa in parte ſtandum confeſſione matris, & in hac qvod ſæpe id ſemel tantum contigit, item qvod poſtea bis mater fuit integræ & vitalis prolis, altera etiamnum vincente. Neq; ſi rectè memini faſſa eſt ſe mortuum illum ſtatim ac motum ejus ſentiit enixam; neq; à nobis affirmari poteſt, ut hic inſeritur, illam tum illæſam fuiſſe.

5. Ad maculam illam inſpiciendam non ſtatim de commiſſione Judicum compellavit: ergo ex iſta contuſione fœtus mori non potuit. Non procedit, ſiqvidem & cum & absq; hac compellatione fœtus mortuus ex iſta contuſione eſſe potuerit. Neq; puto ad nos attinere, qvod vel fecerit vel omiſerit, ut neq; ſuperius allatum, de uno illo teſte, niſi velimus abſolutè determinare, ſitne fœtus ex illo ictu mortuus, an verò non?

6. Si fœtus ad illum locum ventris ubi mater contuſa fuit pertingere non potuit, neq; ex illa contuſione mori potuit. Hic diligenter diſpiciendum videtur, neceſſumne

ſit,

Digitized by Google

ſit, ut fœtus omnino in illo ventris loco poſitus fuerit ubi percuſſa eſt Mater, & ſi ita videatur 1. pluribusne in locis ventris icta fuerit mater. Dixit illa qvidem. 2. poſſitne uteri fundus ad umbilicum pertingere præſertim in gravidis. 3. periculone omnino vacet ictus ad latus dextrum umbilici, cum locus iſte ſedi uterinæ, coxarum nimirum cavitati, qvam umbilicus ipſe vicinior, item qvod fœtus in gravidis ad alterum latus vergat. 4. An in ſolis locis durioribus & ex ſolis cauſticis & malignitate talis epidermidis fiat ſeparatio, & num à contuſione præſertim diſtento tum & duriore ventre graviter affecta cute, ut in tumore, livore, dolore apparet; vel ſi veſicam illam à contuſione fieri non potuiſſe dicamus, qvid reſpondendum ſit, de livore, dolore, tumore, qvæ negare non poſſumus qvin à contuſione fieri poſſint. Si dicamus etiam veſicam fuiſſe à putredine fœtus, obſtat confeſſio matris, qvæ illam ſtatim à contuſione erupiſſe dixit.

7. Qvod aſſeritur profluvium illud muliebre potius ſecutum fuiſſe progreſſum illum ad templum, qvam contuſionem iſtam, abſurdum videtur, cum ita magis offenderentur gravidæ curru vectæ & qvidem multis

magnisq; itineribus, choreas ducentes, qvod rariſſimè tamen fit.

Hæc ſunt de qvibus nunc tantum monitos Dominos Doctores volui, neq; ſanè in alium finem, qvam qvia cauſa hæc dubio procul ad ipſius Regis & aliorum prudentiſſimorum ac acutiſſimi judicii hominum cognitionem ventura eſt, ne inconſideratè & minus congruè pronunciaſſe videamur. Pluribus etiam poſſem ſententiam meam explicare, ſed ſuperſedeo.

ESBERNUS NICOLAI.

V. Exc. Obſervantiſſ.

Sal.

CLariſſime & Experientiſſime Domine D. Judicium veſtrum de fœtu in utero fœminæ (cujus gratia nuper ante paucos dies convenimus) emortuo, diligenter perlegi, qvod meæ ſententiæ tunc temporis prolatæ conſonum & conforme, nec qvidqvã in illo invenio cujus contrarium demonſtrare volui & potui. Sed potius in illo placidè acqvieſco, abs tantorum etenim Virorum ſen-

Digitized by Google

ſententiis divortium facere nefas exiſtimo. Bene & Feliciter valete. 28. Aprilis Anno 1630.

V. V.

E E.

Obſerv.

Guilielmus Laurembergius D.

Regiæ Majeſtatis per literas juſſu examinavimus & diligentet conſideravimus circumſtantias & teſtes qvos adduxit Giertrud Mortens contra Jens Nielſſen qvem affirmat interfeciſſe fætum in utero. Qvod factum ipſe plane negavit. In qvo negotio qva ad medicam conſiderationem hæc eſt mea opinio.

Gravidas trimeſtri ſpatio geſtaſſe Utero fætum mortuum & fœtum non ſemper mori etiamſi Mater graviter ſit percuſſa vel ex alto delapſa evincunt indubitatæ medicorum hiſtoriæ, poſſe etiam fœtum gravia pati ſine interitu, dum mater ægrotat ad mortem ex hoc

Digitized by Google

hoc patet qvod vivus fætus ex Utero matris denatæ ſæpe ſectione ſit extractus, qvi diu poſtea vixit & adolevit. Fætum ab illatis ictibus de qvibus qveritur Mater non ſtatim eſſe mortuum, ſed cum pateretur profluvium ſangvinis in templo & caderet in deliqvium animi, emenſa pedes qvartam partem milliarii, veriſimile eſt. Qvod attinet den Boble ut ejus verbis utar, qvam excitatam dicit in ventre ictu; qvi hoc fieri poſſit in parte laxa non video. Cœterum & hoc conſiderandum mihi videtur in hoc caſu qvod antea abortiverit. Hæc ego breviter in hoc difficili caſu, de qvo nihil cathegoricè dicere poſſum.

TANCREDUS LÆLIUS.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XXIX.

Dn. D. Friderici Severini Petri F. medicamentorum formulæ qvædam, qvibus uſus eſt Anno Chriſtri 1631. in curatione Dorotheæ Bartholinæ, amitæ meæ deſideratiſſimæ, Conjugis celeberrimi Mathematici M. Christiani Longomontani, ejusq; filiæ vermibus vexatæ, ut etiam hac illius memoria, & Ciſta noſtra illuſtretur, & nomen Viri ad poſteros conſervetur.

R. Aq. portulac. gramin. agrimon. an. Unc. j. Syr. de Limonibus Unc. j. ſ. M. f. Syr. A.

R. Syr. diacnicu Unc. j. ſ. Syr. Roſar. ſolutivi Unc. ij. aq. Cinamomi ſtillatitiæ ex vino parum. M. ſign. potio. B. pro Filia Longomontani 31. Mart. 1631.

R. Ol. abſinthii, Zizamin. amygd. amar. & dulc. Ungventi dialtheæ an. drach. ſ. fellis tauri gr. xv. aloes gr. viij. pulv. colocynthid. gr. j. cornu cervi uſti gr. ij. ſ. Ceræ parum f. Ung.

R. Ol. Juniperi, laurini vulgaris per expreſs. an. Unc. j. ſ. miſc.

Digitized by Google

R. Roſ. rub. burſ. paſt. ruth. ſalv. an. p. j. contund. cum aceto roſ. in formam empl.

Pro eadem 8. April. 1631.

R. Fol. Senn. ſ. ſtip. Unc j. ſ. Agarici optimi drach. iij. Zinzib. drach. j. Galang. minor. drach. ſ. Caryophyll. cort. arant. an. ſcrup. ſ. Infund. ſimul in ſ. q. aq. per hor. 24. bulliant deinde ſ a. ad dimid. colet. fortiterq; exprim. Colat. adde paſſul. mund. Unc. iij. Bulliant rurſus una atq; altera ebullitione, poſt adde Mannæ Unc. j.

Pro eadem 12. April. 1631.

Frid. Sev. D.

Pro Dorothea Bartholina Chriſt. Longomontani

R. Rad. bugloſs. glycyrrh. polyp. qvercin. an. drach vij fumar. ceterach. an. M. ſ. flor. cordial. M. j. Epithymi drach. ij. coq. in aq. pura. Colat. R. Unc. ij. Adde ſucci pomor. Unc. vij. Syr. de pomis, viol. an. unc. j. m. & f. ſyrupus.

13. April. 1631.

R. Fumi

R. Fumi terræ viridis ſi fieri poteſt M. iij. Scabioſ. viol. ſummitat. lupulor. abſinthii, endivii, cichor. cum toto, borrag. bugloſs. acetoſ. lactucæ ſi fieri poteſt novellæ, agrimoniæ, dentis leonis, ſcolopend. capill. vener. an. M. j. bellidis M. ſ. corticum rad. fænic. apii, liqviritiæ a. unc. ſ. ſem. iiij. frigid. major. & minor. an. drach. ſ. ſemin. aniſi drach. j. follicul. ſen. drach. j. epithymi, polypodii qverc. ana. drach. iij. ellebori nigri drac. j. uvar. paſs. ab arillis repurg. hordei mundat. an. p. j. prunor. damaſc. num. xv. cicer. rubr. drach. j. rhabarb. elect. myrobal. omnium ana drach. j. ſpicæ, ſcænanthi ana. gr. v. f. omnium decoct. in ſero lactis pro lib. ij. Colatura ſaccharo dulcoretur, & f. Apozema.

14. April. 1631.

R. Syr. de fumo terræ, de lupulis, de endivia, de pomis, de epithymo an. unc. ſ. decoct. ſcabioſ. fumi terræ, cichor. ana. unc. j. miſce f. Syrupus.

17. April. 1631.

R. Rhab. elect. drach. 1. ſ. irrorati vino albo odorifero in decoct. flor. & fruct. facto cum in aq. endiv. infund. horis no-

vem, expreſſioni adde elect. diaſen. ſolutivi, diacatholici, confect. Hamech. an. drach. ij. ſyr. roſ. exolventis. unc. j. ſ. aq. fumi terræ, borrag. an. unc. ij. miſc. f. hauſtus.

℞. Endiv. tenell. ſcariol. tenell. cichor. lapatii acuti, agrimoniæ, hepatic. aureæ acetoſ. ſummit. lupuli, fumar. capill. vener. adianth. nigr. lugd. an. m. ſ. flor. 3. cordial. cichor. ana. p. j. ſem. iiij. frigid. major. iiij frigid min. ana drach. j. ſ. Alkekengi, Berberis an. drach. j. Jujubar. ſebeſten an. n. 8. Aniſ. glycyrrhiz. ras. ana. drach. iij. cort. rad. cappar. drach. j. ſ. Tamariſc. rad. aperit. acet. temperat. Filicis ana. drach. iiij. Centaurei majoris, rubiæ tinct. polypodii qvercini medull. ſem. carthami an. unc. j. ſ. rad. cich. lapathii acuti, paſſul. enucleat. pulpæ Sebeſten, Tamarind. an. unc ij. Helleb. nigr. ſtyr. drach. iij. Agarici trochiſc. drach. vj. Epithymi Cretici drach. x. Fol. Sen. mund. ſine ſtipit. unc. iij. ſem. citri unc. j. caryophyllor. unc. ſ. coq. lege & ord. artis in ſero lact. caprini, & ubi ſteterint hor. 3. in infuſione, infunde hor. x. in colatura

tura unc. xxiiij. rhab. opt. drach. iij. cinamom. drach. j. ſ. Scænanthi drach. ſ. ſpicæ gr. v. Expreſſio dulcor. cum Zulapio roſat. Unc. ij. & aromatiſetur cum ſcrup. ij. ſantal. citrin. odôrat. f. Potio ſvavis & grata.

18. April. 1631.

R. Scobis ligni Guajaci unc. iij. Cortic. ejusdem Unc. ij. ſarſ. parill. rad. Petaſitis a. unc. j. Ras. ligni Rhodii. Ras. eboris ana. drach. iij. ſem. Card. Bened. unc. ſ. Macerentur hor. 24. in aq. fontan. tepid. q. ſ. coq. in eodem vaſe & igne, adde ſub finem coctionis Carabes conqvaſſat. drach. ij. ſummitat. Fumar. lupulor. Flor. Bugloſſ. ſtæchad. anthos. an. p. ſ. Cinnabrii in nodulo lineo ligati unc. ſ. transcol. per manicam Hippocratis, & f. Decoctum.

19. April. 1631.

R. Ung. Roſ. Meſ. Ceroti Santalin. a. drach. ij. Populei unc j. ol. roſac. drachm. ij. Miſc. ſign. ungv.

R. Specier. diatrion. Santal. Diarrhod. Abb. diamargar. frigid. ana. drach. ij. ſacchar. unc. vj diſſoluti cum aq. Cichor. & hepatic. q. ſ. f. Rotulæ.

Digitized by Google

R. Lapid. Bezoardici gr. v. aq. acetoſ. unc. ij. miſc.

20. April. 1631.

R. Furfur. malvar. fol. fumi terræ, ana M. iij. Rad. Enul. Campan. lapathii acuti an. unc. iij. hord. mund. m. ij. ſalis commun. m. j. helleb. nigr. unc. j. miſc. dentur in charta.

R. Rad. lapathii acuti in mortario piſti m. j. pulv. Zinzib. unc. j. baccar. lauri, ariſtolochiæ rotund. ana unc. ſ. cum pinta dimidia floris ſeu cremæ lactis coq. per horam dimidiam in olla nova & redig. in ungventum.

R. Fol. Meliſſ. Betonic. major. puleg. ana. m. ſ. gran. Kermes drachm. ij. macis drach. j. abſinth. ſicc. m. ſ. flor. Stæchad. arab. roriſmar. ana. p. j. ſ. cort. rad. cappar. pulv. drach. ij. calami aromat. drach. j. inciſa & pulveriſata dentur in charta. S. Herbæ pro Cucupha.

30. April. 1631.

R, Rad. Borrag. Bugloſſ. fumi terræ, Scolopend. ana m. j. Capill. Ven. Ceterach. Abſinth. roman. acetoſ. ana m. ſ. ſem. aniſi drach. j. ſ. fol. Coluteæ drach. vj. Rhabarb. ſelecti drach. j. prun. damaſc.

num.

Digitized by Google

num. 9. uvar. paſs. enucl. unc. j. liqvirit. raſ. unc. ſ. ſqvinanthi ſcrup. j. Infunde per noctem in aq. communi, factâ ebullitione prius, mane fortiſs. expreſſ. adde ſyrup. ex infuſ. roſar. unc. ij. miſc. pro duabus doſibus matutinis.

18. Maji 1631.

R. Mithridatii opt. ſcrup. ij. Theriac. veter. ſcrup. j. Diaborraginati drach. j. aq. fœniculi unc. ij. Card. Bened. Unc. j. Vini Rhenan. alb. unc. j. ſ. miſce diſſolvendo. f. Potio ſudatoria.

20. Maji 1631.

FRIDERICUS SEVER. D.

LOCULUS XXX.

Cenſura Medicorum de cura Chirurgi Johannis Krögeri.

QVandoqvidem nos Profeſſores Medici & Medici Hafnienſes benevolè rogati ſumus â Perilluſtribus Dn. Magno Regni Magiſtro, Franciſco Rantzovio, & Dn. Chriſtiano Friſio Cancellario Magno, ut ægrum qvendam, nomine Petrum Erasmium, cum

cum Chirurgo qvodam, nomine Mag. Johannis Kröger Malmogienſis, ad judicium noſtrum citaremus, diligenterq; expiſcaremur & judicaremus, an æger iſte à dicto Chirurgo in curatione ſit læſus: Hinc petitioni tantorum Heroum ſatisfacturi, ſtatim hodie utramq; partem juſſimus comparere in Conſiſtorio Academico die 25. Octobr. ubi lecto ſupplici libello Petri Erasmii ad Illuſtrem Aulæ Magiſtrum, accuſabatur Chirurgus, qvod medicamentis mercurialibus, ex inciſione in faucibus cum lancetta occaſionem dederit affectus moleſti, ut os aperire non poſſet. Comparuit cauſam ſuam dicturus Magiſter Johannes Kröger Chirurgus, negavitq; ſe in curatione medicamentis mercurialibus uſum; ſed deſignationem nobis exhibuit medicamentorum in hac cura adhibitorum, ſanctoq; juramento confirmavit nihil præterea à ſe fuiſſe adhibitum, & unguenta, qvæ neceſſaria fuerant, non niſi levi manu fuiſſe inducta, qvod & Petrus Erasmius ipſe confitebatur, unde exiſtimavit manifeſte patere nullo unguento mercuriali ſe uſum. Pernegabat qvoq; ullam à ſe in faucibus inciſionem eſſe factam, præter levem ſeparationē gingivarum circa dentem qvi eximendus erat, cum aliis pluri-

Digitized by Google

pluribus defenſionibus ultro citroq; prolatis. Hinc cauſa accuratè expenſa, qvandoqvidem Petrus Eraſmius contra Chirurgi Johannis negativam non probavit ſufficienter, in curatione medicamenta mercurialia eſſe uſurpata, nec probavit aliam in faucibus inciſionem eſſe factam, qvam ſolutionem dentis, præterea Mag. Joh. jurejurando aſſeveravit nullis aliis medicamentis ſe in hac curatione uſum, qvam qvæ nobis in deſignatione exhibuit; non potuimus judicare Petri Eraſmi affectum præſentem culpæ Chirurgi imputandum. In qvorum fidem ſigillum Facultatis Medicæ appendimus, Hafniæ Anno & die ut ſupra

L. S.

Deſignatio Medicamentorum Chirurgi.

Primò ægrum purgavi hac purgatione:
R. Reob. Turb. alb. ana Drachm. ſem.
Syr. de Fum. Terræ Unc. j.
Aq. Fumar. Unc. duab. m. f. Potio.

Deinde Venam illi aperui, mox ſudoriferis uſus ſum, mane & veſperi, ut decebat:

R. Ling.

R. Ling. ſanct. lib. ſem. ſarſaparilla Unc. IV.
Saſſafras Unc. iij. Coloqvint. Drachm. duab.
Fol. Sen. Rad. Chin. ana Unc. iij. Reob. Unc. j.
Enn. campa: Unc. ij. Coqvantur in Vino.

Interea dum ſudoriferis uſus eſt, artus ipſi curavi inungi ſeqventi unguento ut cum illo pariter ſudaret:

R. Ung. Dialthæ lib. ſem. Adip. Gallin. Unc. ij.
ol. amygd. dul. ol. Laurin. ana Unc. j.
ol. Terpent. ol. Juniper. ana unc. j.
Terpentin unc. iij. in aq. nympheæ (Natſtade-Vand) lotæ.
ol. Camomillæ, in qvo cocta Staphiſagria, lumbrici & ranunculi virides. Hujus olei unc. iiij. prioribus ſpeciebus addendæ, & inde ungventum conficiendum, qvo artus illius inunxi.

Præterea aliqvoties ipſum purgavi ſeqventi laxativa, cujus nonnihil ipſi exhibui ut alvum laxam procurarem & conſervarem ad phlegma melius expellendum.

R. Elect. Sambuc. unc. iij. Confect. Hamech. unc. ij:
Diaph. unc. j. Syr. de fum. terræ unc. ij.

Pillu.

Digitized by Google

Pillu. Fœtidæ drach. ij.
Rebarb. drach. ij.
Aq. Fumaria unc. viiij.

Ex hoc exhibui illi ſingulis vicibus uncias tres.

Sed qvum ſalſus hic humor ad os ſeu fauces adſcenderet & fluere cœpit nocte dieq; continuò, ita ut nulla eſſet intermiſſio, nec tamen putavi catarrhum adſcenſurum per os, ſed potius illuc reſpexi ut alia via expurgarem per ſudores; adhibui Ægyptiacum cum ſcopis, qvo deterſi fauces bis vel ter vel qvater in die, tumq; ſemper ſibi adſtantem habuit bonam aqvam qva os abluebat, nam gingivæ & maxillæ ſtatim infecta ab iſto fœtore, & ignoro unde inflammatio hæc tam repentè exoriretur, niſi ſi aliqvid ungventi delituerit apud illum, qvo prior Chirurgus uſus fuerat, ſicut ipſe confeſſus eſt, qvod ipſum inunxerit nec tamen materiam ad fluxum promoverit, ſed in faucibus ſubſtiterit & delituerit, donec ego illam calore commoverim & ad fluendum incitaverim. Exiſtimo igitur ita me in illius cura geſſiſſe, ut primò poſſim reddere rationem Deo cœleſti, & ſim habiturus bonam conſcientiam, & de his judicent Doctores & Viri Doctiſſimi, an tam

Digitized by Google

tam enormiter in ipſum peccarim ſicut ille paſſim me diffamavit apud maximos & minimos, adeò ut ego per hujusmodi diffamationes jacturam fecerim conſveti lucri, & ille cogitaverit mihi contemptum apud omnes procurare. Hæc ſunt omnia, qvibus ad curandum Petrum Eraſmium uſus ſum, & præterea nihil aliud fuit, qvod confiteor propria manu. Actum Malmogiæ 21. Octobr. Anno 1632.

JOHANNES KRYGER Chirurgus Malmogienſis.

LOCULUS XXXI.

D. HENRICI CUSTERI Epiſtolæ ad D. PETRUM DIETERICUM Payngk Ser. Reg. Maj. Dan. Chymicum bene meritum.

I.

De Remediis ad dolores dentium.

QVod concernit dolores dentium, qvibus honeſtiſſima matrona affligitur, ſine dubio erunt ex catarrho. Expertus ſum in tali affectu, univerſalibus ritè præmiſſis, hæc pro-

proficua 1. Gummi Garannæ in aluta molli extenſum & parti affectæ applicatum extrinſecus. 2. Exuviam ſerpentis in aqva verbenæ coctam. 3. R. Rad. Verbaſci m. ſ. fl. roſ. rub. verben. an. p. j. ſem. ſumach, lactuc. an drach. j. ſem. hyoſcyam. ſcrup. ij. rad. tormentill. drach. ij. Coq. ex aq. Verben. & acet. an lib. ſ. colaturæ Unc. xij. dentur uſui, pro collutione oris. 4. R. lign. ſanct. ſals. ſantal. alb. an. Unc. ij. qvibus pulveriſatis affund. Spir. Vini lib. j. ſicq; qvotidie movendo per octiduum vaſe clauſo; iſtius qvotidie cochlear in ore ad dentem continetur, qvod diutius eo melius, tandemq; expuitur. 5 Pilula ſeu globulus formatus ex Philonio Romano, isq; denti affecto impoſitus, imprimis poſt collutionem ex lapide Prunellæ factam; qvod ultimum me hactenus nunqvam fefellit. Sed hæc omnia ex amoris in vos abundantia, qvibus ſalvete & valere ſeculum. Otth. 24. Septembr. Anno 1633.

Ex. V.

constans amicus

HENRICUS CUSTERUS D.

II.

De Hypochondriaco Scorbuto.

QVod Plutarchus de capite Polypodis ſcribit, illi ineſſe unum malum, unumq; bonum: idem ex literis tuis noviſſimis dat. 6. Octobris intellexi. Nam qvanqvam invitus ex illis cognoverim, qvod iterum Hypochondriaca tua afflictus ſis, tamen cum gaudio percepi, nonnihil te, laus Deo, exinde recollegiſſe, ex animo precatus conſtantem meliorationem; qvanqvam, proh dolor, plerumq; cum affectu hoc ita comparatum ſit, ſicut Lipſius in epiſtolis ſcribit, victus non vincitur, dejectus non cadit, fugiens non cedit; ut Antæus, viteſcit & reſurgit, ab ipſo ſumens opes animumq; caſu. In Scorbutico hoc affectu ante paucos dies ſeu ſummum ſecretum mirè mihi deprædicavit Generoſus Holigerus Roſencrantzius, radices Pſeudomyrrhidis ſeu cicutariæ, ſive in cibis coctas, ſive crudas comeſtas, hocq; idem retulit eſſe veſtri M. Tancredi in Scorbuto curando maximum arcanum, ſed hæc ex amoris mei in te abundantia, noctuasq;, qvod dicitur, Athenas. Uxor mea mecum mirari ſatis neqvit tenacitatem plerorumq; noſtrorum

rum Nobilium, qvod ad hyemem inſtantem nihil ferè prorſus pro familia mihi miſerint, præter Generoſum Andream Bille, qvi bovem donavit: undè apparet, malè habere Medicum, homines qvando benè habent. Sed hoc in aurem, ferendum enim & non culpandum, mutari qvod neqvit, omninoq; lenius fit malum ferendo leniter. Qvod Dn. Doctor tam modeſtè de ſe ſentiat, ut nolit ſe doctiſſimum à me vocari, eſt id qvidem laudandum & humanitati veſtræ adſcribendum; nihil tamen in hoc paſſu peccavi, ſiqvidem non illi doctiſſimi vocandi qvi primum calidi ex ferventi philoſophico pulvere cum mitra purpurea circum curſitant, & pleni adhuc ſunt argumentis, qvæ forſan ex diſputatione aliqva inutili reliqverunt, & in ſe devorarunt, unde apud plerosq; adhuc Enthymematicam impreſſionem ſemper in cerebro ruminant, & omnia argumenta in forma logicali & modo cum Barbara, Celarent, Darii, Ferioq; ſciunt formare, ſicut Raymundus Mindererus in Militari ſua Medicina loqvitur; ſed illi magis qvi in arte aliqva liberali excellunt, & non tantum illius exactiſſimam cognitionem habent, ſed etiam verum ejus uſum à tot annis conſtanter norunt &

laudabiliter experiuntur: qvo etiam unicè Sereniſſimus Rex, Dominus noſter clementiſſimus, prudentiſſimè reſpexit, qvum pro ſumma ſua diſſcretione Dominum Doctorem, titulo Doctoris & eorum privilegiis clementiſſimè ornavit; qvam ob cauſam ego etiam libenter, inprimis in illa Medicinæ Pharmaceuticæ parte nempe Chymia, Dn. Doctoris diſcipulum hoc ipſo me profiteor, cum qvibus illum cum omnibus ſuis Deo commendo. Raptim Otthoniæ Calendis Novembris, A. 1633.

Tuus usq; dum regnum obtinebit
Jupiter multum benevolens

Henricus Cuſterus D.

Medicamenta ordinata pro eodem à D.
Henrico Cuſtero.

R. Rad. Eryng. marin.
Liqvirit.
Pimpinell.
Elen. ana drachm. vj.
Herb. Altheæ
Flor. Chamomæll. ſelect. ana m. j ſ.

Cheini

Digitized by Google

Cheiri
Hyperic. ana m. ſ.
Sem. Lini unc. j.
Dauci drach. vj.
Cymin. unc. ſ.
Ficuum ping. n. vij.
Coqvantur ex decocto Capitum Vervecum recens facto l. a.

R. Colatur. unc. xij.
adde
Mellis deſpumati qvam diligentiſſimè
Ol. lil. alb. ana unc. j.
El. ben. lax. drach. vj.
F. Clyſter flatus diſcutiens.

R. Herb. Meliſſ. m. ij.
Ment. criſp.
Majoran.
Flor. Camomil. ſelect.
Sambuc.
Melilot.
Cheii ana m. j.
Summit. Anethiſti pitib. abject. m. ij.
Sem. Aniſi
Fœnicul.
Dauci ana unc. ſ.

Inciſa & conqvaſſata.
Sign. Herbæ pro ſacculo.

R. Fol. Sen. a ſtipitib. ſelect. unc. ſ.
Sem. Aniſi Drach. j.
Aq. Centaur. min. q. ſ. ebullition.
adde,
Chryſtall. vel Crem. Tart. drach. j.
Infund. l. a. per noctem. Mane cum forti expreſſione coletur diſſolvendo in colatura
Mannæ Calabr. ſelect. unc. j.
Cum alb. ovi deſpumetur, fiatq; potio clara, cui inſtilletur
Aq. Cinam. opt. drach. iij.
Sign. Potio purgans.

Tinctura Chalybis.

R. Aqvam oblatam (qvæ eſt ſuccus betulæ per organa vitrea deſtillatus) cui adde Tamarind. ſelect. unc. viij. qvi in patina terrea vel ſtannea manibus bene confricentur, ut inde fiat veluti pulmentum. Poſtea exemptis nucleis & ſtipitibus clarificetur cum duobus albuminibus ovorum, deinde colatura per pannum laneum trajiciatur; Colatura clarificata infundatur in cucurbitam vitream & ſimul injice

Lima-

Limaturæ chalybis Drach. jv.

Antea bene ablutas & à ſordibus purificatas. Digerantur ita in arena vel loco calido tribus diebus & noctibus. Cucurbita cooperiatur cum Alembico cœco, ut ſemper agitari poſſit cum ſpatulâ ligneâ, poſt digeſtionem coletur per chartam bibulam in patinam vitream vel terream, & inſpiſſetur per arenam ad conſiſtentiam mollis. Remanentia chalybis exercetur & pulveriſetur ſubtiliſſime in marmore.

R. Hujus chalyb. unc. ſ.
Galang. Cinam. Carioph. ana ſcrup. j.
Vini Malvatici lib. j. ſ.

Infunde in vaſe vitreo calore lento per biduum. Deinde coletur clarum à ſpiſſo per inclinationem. Detur in vitro.

Confortativum.

R. Rad. Cichor. Eryng. marin. Scorzoner. Pinpinell. condit. ana unc. ſ.
Cort. Citri condit. drach. iij.
Conſ. Meliſſ. Cichor. Roſar. Agrimon. Chamædr. Veronic. Tunic. ana Drachm. ij. ſ.
Confect. Alcherm. unc. ſ.
Spec. arom. roſ. ſ. m.

Diagalang.
Dialacc.
Dianiſ.
Diacurcum.
Diarrh. Abb. ana ſcrup. j.
Margar. præp. drachm. ſ.
C. C. philoſ. præp. drach. ſ.
Syr. cort. citri, Granator. ana unc. j.
M. f. Electuarium.

Pro Pulſu.

R. Specier. cordial. temperat. unc. j.
In duas æqvales partes dividatur.

Dia prunum Paſſulatum.

R. Fol. Sen. a ſtipit. ſelect. unc. j. ſ.
Sem. Aniſi drach. j. ſ.
Zinziber ſcrup. ij.

Craſſiuſcule contuſa macerentur per noctem loco calido in aq. Calamenth. vel vini Malvatici lib. j. ſ. Mane leniter bulliant & expreſſa colentur. Colato adde

Prun. Damaſc. No. 45.
Uvar. paſſ. exacinat.
Corinthiac. unc. ij. drach. ij.

Hæc ſimul ad ignem lentum vel cineres calidos decoqvantur, & deinde per Setaceum omnis

Digitized by Google

omnis ſubſtantia extrahatur, qvibus adjiciatur Sacchar. cand. pulv. unc. jv.

F. Electuarium.

Suppoſitoria.

R. Spec. commun. cum Sal. Gem. q. ſ. cum melle deſpumato fiant ſuppoſitoria No. ij. Inſtilla cuilibet ſuppoſitorio ol. Carvi gutt. vj.

Aq. Confortativa.

R. Ap. Arantior. unc. iiij.
Borag.
Meliſſæ ana unc. j. ſ.
Cinam. drach. vj.
Balſ. Embryon. ſeu pueror. unc. ſ.
Syr. Cort. Citri cum Moſcho unc. ij.
Spiritus vitriol. philoſoph. gutt. jx. miſc.

III.

Deſcriptio Aqvæ Apoplecticæ noſtræ Hæc eſt:

R. Granorum Paradis. Pœon. Viſc. qvercin. Coriandr. præp. Cubebar. Cardamom. ana drach. ij. Galang. Cariophyllor. Nuc. moſch. macis, fol. & gran. laur. ana drach. j. Caſtor. Been utriusq; Zedoa-

doariæ, Lign. Aloës ana drach. j. ſ. flor. anth. Majoran. Salviæ, Meliſſ. Roſ. rub. Lavend. Doronic. Cort. Citri. Cinam. ana drach. vj. Contund. & infund. in lib. vj. vini opt. ſtent in infuſione per dies xjv. poſtea ſ. a. deſtillentur.

HENR. CUST. D.

LOCULUS XXXII.

Conſilium de Eryſipelate.

VOtis Domini Thomæ Michaëlis pro mea in artis medicæ operibus aliqvantula Exercitatione reſponſurus, qvàm brevi ac perſpicuâ facilitate potero, agam de eſſentia, cauſâ, differentiis, curatione & præſervatione Eryſipelatis, qvô incertis qvibusdam periodis divexatur Vir humanisſimus. Eryſipelas itaq; eſt bilis cùm alimentariæ tum excrementitiæ, in hepate genitæ, proruptio in cutem partis, ut poteſt colligi ex Gal. cap. 1. lib. 2. ad Glauconem dicente: Eryſipelata fieri à ſangvine tenuiſſimo, ac proinde à bile naturali ſive alimentaria. Cap. verò 2. lib. 3. de Sympt. cauſ. dicit: Ama-

Amara bilis in toto corpore morbum regium, in una particula Eryſipelas facit; Sed icterus fit à bile excrementitia, dum meatus veſicæ fellis obſtruuntur, ergo & Eryſipelas, cui qvidem ſententiæ firmius adhæret, qvòd eodem tempore, qvô Vir egregius ſuô Eryſip. conflictatur, fiat ſimul qvoq; ἰκτεριώδης; indicium ſanè haud dubium, ejusdem & conſimilis materiæ fieri orgaſmum, ac proinde utrumq́; affectum fieri à bile excrementitia.

Licèt aliter ſentiat præſtantiſſ. Aqvapendens, qvi ſtatuit, Eryſipelas tantùm excitari à bile naturali. Et hæc qvidem differentia propoſitæ mihi brevitati non eſt exprobanda qvaſi merè theoretica: nam Eryſip. qvod fit ſolum à bile alimentaria, qvantitate peccante, eſt omnino periculi expers, curaturq; evacuantibus & refrigerantibus, qvod autem fit ab excrementitia, indicat præterea detergentia & aperientia, qvum ortum ducat ab obſtructione meatuum veſiculæ fellis. Huic diſtinctioni ſuccedunt à permixtione alterius humoris ductæ, videlicet ſangvinis, unde Eryſipelas phlegmonoſum; vel pituitæ, unde Erys. œdematoſum; vel melancholiæ, unde ſcirrhoſum: nomen à prædominante, cognomen à minore humore ſortiuntur. Accedunt

cedunt præterea aliæ differentiæ à tempore: qvædam enim hyeme, qvædam æſtate exoriuntur: æſtate propter copiam humoris bilioſi, qvi tunc temporis dominatur; hyeme propter cutis conſtipationem. Ultimò eſt differentia à loco, ut faciei, cervicis, & partium inferiorum. Dignoſcitur autem Eryſip. ſuis ſignis, qvæ ſunt: calor inſignis, dolor, & color rubeus, ſed in flavum vergens; verùm qvia hæc ſigna penè eadem ſunt cum ſignis inflammationis, hiſce notis erunt ab invicem diſtingvenda: dolor hic eſt pungitivus, in inflammatione tenſivus & gravativus: deinde Eryſip. tactui cedit, & inflammatio renititur, rubedo in Eryſ. digito tangenti fugax eſt & ſtatim ſolet redire ob ſangvinem tenuiſſimum. Ultimò maximè diſtinguitur, qvod inflammat. in uno ſemper figitur loco, à qvo non dimovetur; Eryſip. autem creſcit & ſerpit. Cùm autem omnes ſuperius poſitæ differentiæ Eryſipelatis poſſunt in idem ſubjectum cadere, unicuiq; conveniens medela hic meritò proponenda veniet: cumq; hoc triplici anxiliorum genere ars medica præſtare ſoleat, Diæta ſcilicet, Pharmacia, & Chirurgiâ. Ad Diætam qvod attinet, Aer eligatur frigidus & humidus, & niſi talis ſit, arte parabitur,

tur nimirum æſtate; hyeme autem potius aer calidus eſt eligendus, qvia tunc cauſa externa eſt cutis conſtipatio: Cibus ſit frigidus & humidus, qvales ſunt juſcula alterata acetoſâ, cichoriô, lactucâ, boragine: Potus ſit aqva hordei, vel cereviſia tenuis, vinum autem peſſimum: Qvies ſit potius qvàm motus, alvus ſit lubrica, omnes inſuper animi affectus nimii vitentur, ut ira, contentio, & alia. De Chirurgia autem dubitatur, an conveniat hic venæ Sectio. Paulus, Celſus, Actuarius, Avicen. itemq; Hali Abbas lib. 3. ſuæ Practicæ, ſecant venam in Eryſipelate; Gal. verò cap. 3. lib. 14. Methodi, & lib. 2. ad Glauconem, non eſſe neceſſarium, ſangvinem mittere, ſed exhibendum medicamentum qvod bilem vacuet. Solvitur dubium ex jam propoſitis differentiis: nam Paulus & Actuarius & cæteri ſecant venam in Eryſ. non puro, ſed Phlegmonoſo, circa cervicem & collum exiſtente, propter periculum Phrenitidis & Anginæ, qvæ fieri ſolet ab Eryſipelate capitis intro recurrente; Gal. v. loqvitur de Eryſ. puro, in parte aliqva à nobilioribus remotiore, ut in cruribus & tibiis. Præterea Gal. non negat Sangvinem eſſe mittendum, ſed non eſſe neceſſarium, qvaſi ſervanda ſit venæ

ſectio

Digitized by Google

ſectio pro majori neceſſitate, qvalis eſt maxima in Eryſip. cervicis & faciei, ubi impendet periculum ſuffocationis Anginoſæ vel Phrenitidis. Ex Pharmaceutico fonte nobis ſuppetunt medicamenta interna purgantia & alterantia, nec non topica. Sed oritur hic dubium, an videlicet ſemper cura totius exſpectanda ſit, anteqvam localia refrigerantia parti apponantur? Reſpondendum eſt, qvod ſit nimirum penſitandum, num Eryſip. factum ſit à cauſa externa vel interna, num exiſtat prope partem principem, num vehementer affligat an mediocriter: Qvibus animadverſis, ſtatuendum eſt aliqvando vacuationi totius procedere localia debere, aliqvando vacuationem localibus, interdum v. evacuatio ſola ſufficit ſine topicis medicamentis: nam ſi oriatur à cauſa externa, ut dolore, calore, debilitate partis, & aliis, refrigerantia tutò parti adhibeantur ſine evacuatione, qvia fluxio eſt excitata à parte recipiente non à mittente; ſi autem ab interna, perpetuò purgatio præcedere debet; uno exceptô, ſi calor videlicet ſit valdè vehemens, à qvo poſſet deſtrui calor nativus partis, nam tunc debemus mitiora refrigerantia adhibere, ut calor nimius temperetur, mox tamen purgatio ſubſeqva-

Digitized by Google

ſeqvatur, & etiam Phlebotomia, ſi febris adſit. Hiſce cautelis & circumſpectionibus præmiſſis, de cura unicuiq; propoſitarum Eryſipelatis ſpecierum ſpeciatim reſpondentes agamus. Si itaq; contingat Eryſ. in cervice, facie, aut ſummo pectore, ſtatim mittendus erit ſangvis ex cephalica ejusdem lateris; ex mediana verò, ſi extiterit in thorace, ſeqventi v. die exhibeatur medicamentum ſeqventis deſcriptionis. R. Cathol. Nicol. unc. ſ. Caſſ. rec. extr. Unc. iij. fol. orient. Unc. ij. cortic. citr. ſandal. citrin ana ſcrup. j. Infund. in aq. pura fontana addendo ſpirit. vitriol. vel ſal prunellæ tantillum coletur & exprimatur, & in colatura diſſolve, diaprun. ſolut. vel elect. de ſuc. roſ. unc. iij. ſyr. roſ. ſolut. unc. ſ. Miſc. & fiat potio brevis; fiant poſtea reſolutiones ligaturis & frictionibus brachiis & cruribus adhibitis, cum victu tenuiſſimo; hic porro localia medicamina, neq; anre neq; poſt purgationem ſunt in uſum vocanda, frigida enim repellunt ad cerebrum, unde Phrenitis; aut ad fauces, & hinc Angina, qvod Chirurgorum imperitiâ aliqvando contingit, qvi propter dolorem ea ſtatim apponunt, ideoq; hoc Eryſ. debet curari tantum reſpiciendo cauſam, non locum affectum,

qvod

qvod firmatur auctoritate Theod. Priſciani cap. 21 lib. dicentis generaliter in Eryſip. omnibus partibus adjutoria adhibenda eſſe ſimilia, exceptis facie & capite, in qvibus ſi apparuerit Eryſipelas, ante tertiam diem eſſe phlebotomandum & à cibo abſtinendum ſvadet, cui ego addo Eryſipelas pectoris, qvia æqvè impendet periculum metaſtaſeos materiæ ad pulmonem, unde Peripneumonia, ſicuti ad membranas cerebri & fauces. *In* reliqvis autem ſpeciebus conveniunt topica refrigerantia, qvorum alia ſunt mitiora, alia mediocria, alia valentiora, qvibus utendum erit pro gradu intentionis vel remiſſionis affectus. Qvam ob rem ergo ſi curandum veniet Eryſipelas purum exiſtens in cruribus vel tibiis; (purum autem cognoſces, ſi pars tantum rubuerit ſine tumore & tentione cum dolore pungitivo) tunc nullâ præcedente totius corporis curatione adhibeantur frigida & humida, ut lactuca, portulaca, ſempervivum, lenticula paluſtris, vel ol. viol. cui album & acetum ſimul mixta cum ſuccis prædictarum herbarum, qvæ omnia ex Gal. præcepto debent actu frigida adhiberi freqventerq; immutari, nam ubi caleſcunt, magis nocent qvam juvant. Refrigerationis autem termi-

Digitized by Google

terminus ſit tantiſper, donec vehemens calor miteſcat, qvod dignoſcitur ægri teſtimonio & tactu, ne calor partis lædatur, qvod idem eſt in reliqvis ſpeciebus obſervandum. Qvod ſi curandum ſe obtulerit Phlegmonoſum, qvale poſſet contingere in Vere, neq; dolor adeò vehemens, præſtat prius uti medicamento purgante ſupra ſcripto, & venæ ſectione, deinde ad localia accedendum, qvalia prius fuerunt præſcripta. Si verum calor & dolor preſſius urgerent, & affectio conſiſtat in parte remotiore, mitiora interim, dum proſpiciatur toti corpori, ſine periculo poſſunt adhiberi, &, ſi dolor perſeveraret, ad valentiora progrediendum.

Si autem comparuerit Eryſipelas œdematoſum, cujus Diagnoſtica ſunt remiſſio, dolor & gravativus cum minori rubore; ſive Schirroſum, cum adeſt durities & color ad fuſcum vergens, ex mixtione humoris melancholici, ſola purgatio ſive venæ ſectio ſatis erit, adhibitis ſimiliter refrigerantibus ſuperius deſcriptis, cum hac tamen animadverſione, ut in œdematoſo adſtringentia, ut plantâgo, polygonum, roſ. rubræ admiſceantur, in ſchirroſo autem lac, chriſtal. mineral. & ol. viol. verum hiſce omnibus præ-

pollet viribus linimentum ſimplex dictum recens paratum, fit autem ſic. R. Ceruſs. lotæ unc. ij. lithargyri loti unc. j. ol. roſ. unc. iij. thuris pulver. unc. ij. ſucci ſolani unc. j. ſ. Ceræ albæ q. ſ. miſc. abluatur pluries in aqva ſimplici, & fiat ceratum. Deinde R. hujus Cerati & refrigerant. Gal. ana part. æqva. liqveſiant ſimul, & calida agitentur in mortario plumbeo piſtillo plumbeo per horas duas, & eo inungatur pars affecta frigide toties qvoties opus videbitur. Ultimo, ſi tota materia non fuerit evacuata, & pars laxior remanſerit, auxilium eadem opera utriq; feres ſeqventi decocto. R. Abſinth. roſ. rub. nuc. cupreſs. betonis juniperi bacc. ligni guajaci raſpati, ana parum, fiat decoctio in vino rubro, qvo cum ſpongia foveatur pars mane in exitu lecti, & conſtringatur cum faſcia eodem decocto & aceto calybeato tincta.

Abſoluta jam Eryſipelatis Curatione, ſupereſt ut de Præcautione agamus: in morbis enim adhuc habentibus foventem cauſam, ab ea deſumi debet indicatio præſervativa, cui qvidem eo anxius attendendum erit, qvod à primordiis naturæ ortum ducere videtur hic affectus, & cum iisdem propagatum

Digitized by Google

gatum fuiſſe. Dum tamen balſamum & radicem humanam nondum potenter occupavit, morbum cæteroqvin feſtinata celeritate ad perniciem ducentem, interrumpere poſſumus. E contra, Prophylaxeos ſtudio neglecto ſæpius recurrentem affectum tandem ſuſtinere non valet natura, ſed victa manus dat, & hoſpitem admittit peregrinum, cujus radices & fomites in locis conſentanei recepti, actionum naturalium prævaricationes ſtatis temporibus efficiunt: nam licet hic morbus ſubito adoriatur, Paroxyſmos & efferveſcentias præcipites ferat, longa tamen habet ſilentia & digeſtionum tempora. Ut ergo hujuſce mali labes intercidatur ſtatis & electis anni temporibus, utendum erit auxiliis cauſam conſervantem reſpicientibus; ea autem cùm ſit obſtructio, conducent detergentia & aperientia, & in activis qvalitatibus ad frigidum vergentia: rarò enim fit obſtructio ſine calore, qvod tamen vitium oriatur præcipuè ab obſtructione. Signa hæc ſunt: cùm ſcilicet nullus dolor, tentio neq; tumor adeſt in hypochondrio dextro, urinæ ſunt tinctæ, & inſuper alvus ſtiptica, qvia caret naturali clyſtere, intercluſo ductu felleo ad inteſtina ducente; ubi verò prævalet intem-

Digitized by Google

peries calida hepatis, feces ſunt coloratæ, nec alvus adeò adſtricta, & major ſitis, qvod qvidem poteſt contingere potius in æſtate & Diæta magis calefaciente;Obſtructionem verò magis ſubeſſe, ſi propter aliorum conſortium neglecta foret mediocritas in cibo ejusq; delectu, ut in locis Septentrionalibus, ubi regio, aër, & victus ratio gignunt obſtructiones. Qvibus poſitis, ſi ex ſignis cauſarum disjunctivis calor præcipuè in cauſa videatur,& jam compareant Eryſipelatis prænuntia ſigna, aperiatur tuto vena baſilica è directo, mox ſeqvente die utatur catartico in tractatu de curatione præſcripto; ſi autem Obſtructio potior cauſa ſignificetur, prætermiſſa venæ ſectione, utatur ſaltem purgativo, & aperiantur pori frictionibus cum linteis calidis, aut etiam balneo aqvæ tepidæ: ſit porro victus tenuis & refrigerans, qvales ſunt juſculi alterati cichor. acet. hepatica: pruna acida cocta, abſtineat vino, donec videatur transiiſſe periculum, & vitet animi affectus. Et hæc de Præſervatione Particulari. Qantum ad Generalem attinet, Anni tempora erunt convenientiſſima, principium Veris & finis Autumni, qvia initio Veris coherciti hyeme humores redeunte Sole turgent & commoven-

tur,

Digitized by Google

tur, & ideo non morandum. Finis autem Autumni convenientior videtur, qvod graves humores & ſeroſi æſtivorum & autumnalium fructuum eſu geniti una educuntur emendanturq;. Qvamobrem circa finem Martis in Gallia & Italia; in plaga Septentrionali verò ſub finem Aprilis præmiſſa totius corporis purgatione, juxta ordinem jam ſuperius traditum; in fine autem Autumni cum ſcrup. ij. pilull. agregat. pilull. aſſajereth. ſcrup. j. troch. alhandal. gr. iiij. vel cum ſcrup. ij. panchymagog. Utatur ſero lactis ſic præparato per duodecim vel qvindecim dies. R. paſſular unc. j. cuſcutæ unc. ſ. abſinth. tenui fol. drach. ij. agrimon. hepatic. pimpinell. a. m. ſ. ſeri lactis recentis lib. iiij. bulliant ſimul ad tertias, & collatis adde ſpirit. vitriol. gutt. viij. vel Chriſtal Mineral. drach. ij. & bibat calide mane interpellatis vicibus cum leni deambulatione, & inter bibendum accipiat ſeqventis opiatæ ad magnitudinem Caſtaneæ. R. Croci Martis drach. iij. diarhod. drach. j. Corall. præp. ſcrup. ij. Cort. Citr. ſicc. pulveriſati drach. ſem. Conſerv. flor. Cichor. unc. j. Syr. Capill. Ven. q. ſ. Miſc. fiat in modum Opiatæ.

Ex Muſæo Patris D. Petri Payngk

Digitized by Google

Chymici Regii Hafnienſis communicavit filius D. AHASVERUS PAYNGK Medicus & Chymicus in urbe Hafnienſi experientiſſimus.

LOCULUS XXXIII.

Judicium Medicorum Hafn.

De Abortu Margaretæ Johanneæ.

EX voluntate Magnifici & Strenui Dn. Cancellarii Patroni noſtri & Conſervatoris perbenigni convenimus nos Medici ad id deputati, ut ſententiam noſtram ſignaremus de Margareta Johannis filia Helſingorenſi, qvæ coram judice urbano & provinciali comparuit. Et ſiqvidem Margareta Johannæa accuſatur, qvod ita fœtum ſuum non tractaverit, ſicut oportuerat, & idcirco fœtum interemerit, qvia in teſtimonio qvodam curiæ urbanæ 4. April. 1633. narratur, qvasdam mulieres inveniſſe in mammis illius lac, & unam ex illis præterea obſervaſſet fiſſuras in ventre, & ilia illius qvaſi puerperæ, (nec tamen indicatur tempus, qvo inſpectio hæc corporis facta eſt) & ipſa Margareta ſecundum acta 29. April. 1633. faſſa eſt ſe rem habuiſſe

habuiſſe cum juvene tribus ante feſtum paſchatos 1632. hebdomadibus, unde impregnata fuerit, & onus ventris deinde depoſuerit, circa feſtum S. Johannis, qvod magnitudine non exceſſerat ovum anſerinum, illudq; inter ſordes abjectum, qvia neſciverit qvid eſſet: Hinc exiſtimamus ſatis manifeſtum & indubitatum eſſe, qvod revera prægnans fuerit, ſed ex reliqvis actis nobis exhibitis ulterius concludere non poſſumus illam ipſam cauſam fuiſſe qvod fœtus interierit, vel aſſumtis ullis medicamentis aut aliis hujuſcemodi expulſus ſit, neq; deniq; diſcernere qvimus an fœtus fuerit provectior qvam illa refert. In horum fidem ſigillum Facultatis Medicæ Hafnienſis infra poſuimus. Ex Academia Medica 30. Sept. 1633.

L. S.

De eadem Judicium D. Arniſæi, & de lactis & rugarum ſignis in prægnantibus.

Clariſſ. & Excellentiſſ. Viro OLAO WURM Medicinæ Doctori & Profeſſori in Academia Hafnienſi præcipuo, Domino & Amico ſuo maximopere honorando.

LIteras tuas, Vir Cl. & Excell. Dn. & amice ſingularis, una cum volumine Actorum,

qvæ juſſu Magnif. Domini Cancellarii, &c. abſente Dn. Decano, & me transmiſiſti, heri circa veſperam accepi, ſtatimq; perlegi. Etſi vero non tam ſum intempeſtive curioſus, ut in convivium aliis paratum ingerere me velim non vocatus, quod ne Homerus qvidem in fratre toleravit ſine notâ reprehenſionis: Qvia tamen ita vult jubet is, cuius authoritatem defugere non licet, per ſcribam meam ſententiam, & qvidem rudi Minerva, ut feſtinas canes parere dicunt, non ut cuiqvam, nedum Doctiſſ. veſtro Collegio, præjudicio meo præſcribam, ſed potius, ut qvicqvid hujus à me ſcriptum fuerit, cenſuræ veſtræ debito obſeqvio ſubmittam.

Ut autem ad rem veniam & arcem cauſæ, ſi mulier, de cujus capite agitur, perſtitiſſet in prima inficiatione negaſſetq; ſe vel gravidam fuiſſe, vel peperiſſe, potuiſſet duobus illis ſignis, in qvibus hodie ſumma totius probationis conſiſtit, puta, lacte albo & copioſo in mammis, nec non rugoſo & collapſo ventre, convinci, lacte qvidem, qvod concepiſſet, rugis vel fiſſuris qvod peperiſſet: qvanqvam probatio per illa ſigna non fuiſſet evidens & ad condemnandum ſufficiens, ſed præſumtiva & conjecturalis. Lac enim in mam-

mammis, ſi Hippocrati & Galeno in Aphor. & Ariſtot. de Hiſtor. Anim. credimus, non præbet indicium partus neceſſarium, ſicut nec fiſſuræ ventris, ſed præſumtionem tantum vehementem, ut & JCti recentiores confitentur. Baldus qvidem præſumtionis violentæ exemplum dat: Lac habet in mammis E. corrupta fuit, & Sextus Empiricus pro certo aſſumit: Si lac habet in uberibus E. concepit, in qvem ſenſum etiam Artemidorus ait: ἀνὲυ συνȣσίας ἀφροδισίȣ ὔποτε σχέιη: Recentiores verò JCti, Alciatus, Menochius, Maſcardus, Caranza, poſtqvam inter violentam & vehementem præſumtionem diſcrimen ſtatuerunt, illam qvidam Fabii: Peperit E. coijt cum Viro, neceſſariam reputant, violentam & irrefragabilem, contra qvam exceptio non admittatur, Fabius vocat τεκμήριον inſolubile eorum qvæ ſe aliter habere neqveunt, hanc verò Sexti tantum vehementem, qvia etiam non prægnantibus, alicubi Viris qvoq; ubera lacte profluxiſſe deprehenſa ſunt, eoq; probo & inculpato, qvod de rugis item ventris notat Pinæus, oriri ſcil. eas poſt qvemcunq; magnum abdominis tumorem diſſipatum.

Cæterum exoletæ huic & tritæ (cui enim non dictus Hylas puer) qvæſtioni in præſenti caſu locus non eſt, non ſolum qvod non conſtet de prægreſſo tumore cujus evaneſcentia cutis abdominis collabi findive potuerit, ſed potiſſimum qvod Rea ipſa, ſecundo examine, confeſſa ſit, ſe & concubuiſſe & concepiſſe & peperiſſe, negat autem vivum fuiſſe & perfectum, qvod peperit, & contra aſſerit, excediſſe ſibi qvarto circiter menſe rudem qvandam maſſam, qvam projecerit. Status igitur controverſiæ eſt, *utrum ex lacte, qvod in mammis poſt annum à concubitu deprehenſum eſt, & ex fiſſuris ventris, de qvibus teſtantur obſtetrices & aliæ honeſtæ fæminæ, qvibus inſpectio ventris commiſſa fuit, evidenter demonſtrari poſſit, qvod mulier hæc, vivum partum & perfectum ediderit, eumq; interemerit,* ita ut hæc probatio infitiationi mulieris prævalere, eamq; non confeſſam damnare debeat, prout qvatuordecim Viris, qvi in hac cauſa judices dati fuerunt, viſum fuit. Id qvod ſimpliciter negandum cenſeo. Lac enim in mammis etiamſi album fuerit & copioſius deprehenſum in primâ, qvam ſecundâ inſpectione, nihil amplius indicat, qvam eam concepiſſe: Fiſſuræ ventris nihil aliud teſtantur,

tur, qvam eam peperiſſe. Utrum perfectum & vivum fœtum juſto, an immaturum & inchoatum abortivo partu excluſerit, id verò ex ſignis hiſce, qvæ communia ſunt, & utrumq; partum ſeqvuntur, diſtingui ac dijudicari nullo modo poteſt. Habent qvidem Medici ſigna Diagnoſtica, qvibus abortum à partu legitimo diſcernant, qvorum qvædam recapitulavit Zacharia in qq. Medico-Leg. lib. 3. t. 2. ſed ea fidem non faciunt infallibilem, & de qva dubitare non liceat, ſed veriſimilem tantum, ambiguam & precariam nec diſtingvunt alterum ab altero, niſi in muliere, ex recenti partu adhuc calente. Intervallum enim & progreſſus temporis confundunt omnia, nec inter ea recenſentur lac & fiſſuræ, qvæ, uti jam monui, tam partum legitimum, qvam abortum comitantur. Molam non fuiſſe, qvam projecit, bonitas forte lactis demonſtraret, ſi qvidem Hippocr. in lib. de Steril. in molam geſtantium mammis lac non apparere, Recentiores verò, ex qvibus Salium & Zacchiam nomino apparere qvidem aliqvando, ſed aqveum, lividum, paucum, & inutile teſtantur. Ut autem mola non fuerit, potuit tamen eſſe abortus imperfecti fœtus, qvem lactis proventus neceſ-

ſario

Digitized by Google

ſario ſecutus fuit, & qvædam etiam diſtractio cutis, ita ut ex his ſignis nihil contra confesſionem reæ concludi vel minimum poſſit.

Miror autem judices in his nauci & inutilibus ſignis ſententiæ ſuæ fundamen poſuiſſe, cum potius, tempus concubitus, qvod ex confeſſione utriusq; partis liqvidum eſt & certum, contendere debuiſſent, cum iis, qvæ Rea iterum iterumq; incerta confeſſa eſt. Nam cum inſpectione obſtetricum territa confiteretur, qvod ante obſtinatè negaverat, ſecundam qvoq; confeſſionem ſuſpectam fecit mendacii. Unde judicum partes fuiſſent poſtqvam conſtat de facinore, de tempore patrati facinoris apud eos homines inqvirere, apud qvos morata fuit eo tempore, qvo ſe affirmat abortiiſſe, aut qvo parere debuiſſet, ſi infantem vivum in lucem protuliſſet. Tempus abortus deſcribit ipſa & teſtatur, ſe abortiiſſe circa feſtum Johannis Baptiſtæ. Tempus legitimi partus incideret in ſolſtitium hibernum, aut præter propter, ſi à principio coitus, qvem utriq; referunt ad Æqvinoctium Vernum, qvadraginta ſeptimanæ computentur. Nunqvam enim tam occultè labores ſuos celare potuiſſet, qvin ægritudine aliqva, pallore, tumeſcentia uteri, pollutione

ſangvi-

ſangvinis, ſuſpicionem ſiniſtram de ſe excitaſſet apud eas mulieres, in qvarum vel conſortio vel ſervitio, qvovis tempore fuit, unde utrumq; definiri tempus poſſet partus, qvod obſtetrices negant ſe ex inſpectione dijudicare poſſe, & qvidem jure merito. Nam de fiſſuris nihil referunt, utrum copioſæ fuerint, profundæ, patulæ, inveteratæ, cicatricoſæ, an verò paucæ, ſuperficiariæ, recentes, molles & adhuc rubentes, ut inde judicium de tempore dubio capere licuiſſet: nec lactis copia & albedo certum indicium eſt recentis partus, utut veriſimilem conjecturam præbeat, partum recentiorem fuiſſe, qvam Rea affirmat. Qvi enim per novem aut decem menſes (tanto enim intervallo diſtant inter ſe tempus partus, qvod ipſa agnoſcit & tempus inſpectionis obſtetricum) mulieri non lactanti, lac non ſupprimeretur &, ſi non in totum, ſaltem maximâ ex parte, deliteſceret? Tum etiam, ſi abortiit circa feſtum Johannis, id eſt, qvarto menſe, plagæ vel fiſſuræ ventris non poſſent eſſe copioſæ, hiulcæ, amplæ, qvia trimeſtris fœtus non admodum diſtendit uterum, ideoq; collapſus exigui tumoris non reliqviſſet poſt ſe multas & latas fiſſuras. Sed hæc obiter tantum moneo, qvod ad condemnan-

demnandam mulierem qvidem nihil faciant, nec qvæſtionem Collegio veſtro propoſitam attingant, ſed judici tamen ſtimuli loco eſſe poſſint, ut in facinus confeſſum, ejusq; qvalitatem, qvæ in certa adhuc eſt, & ex propoſitis ſignis dignoſci neqvit, majori ſollicitudine inqvirat, idq; eo magis, qvod confeſſio mulieris ſuſpecta ſit, & ſi non evidenter, ſaltem conjecturis veriſimiliter redarguatur. Veriſimilia enim ſigna, ut ad decretoriam ſententiam ferendam non ſufficiunt; ita neceſſitatem diligentius inqvirendi imponunt judici.

Pro Exodio, qvia Rea confitetur, ſe peperiſſe qvarto menſe, ſeu poſt 15. ſeptimanas, conſiderandum judici relinqvo, utrum per hoc excuſari poſſit à pœna infanticidii ſaltem extraordinaria, dum fœtum qvi eo tempore vivus erat & animatus, ſceleſtè projecit & qvis ſcit, ſi non Circeja arte abortum ſibi procuravit. Ex legis qvippe Divinæ rigore capitis damnas eſt, qvi prægnantem ita percuſſerit, ut abortiat, ſi fœtus fuerit animatus. Exod. 21. v. 22. 23. qvod & Juri Canonico inſertum eſt. c. Qvod vero. c. Moſes. c. ſicuti. 32. q. 2. Animatur autem fœtus, ut vulgo creditur, maſculus poſt qvadrageſimum, fæmel,

fæmella poſt nonageſimum à tempore conceptionis diem, qvanqvam Auguſtinus qvæſtionem de termino informationis corporis per animam, temeritate ſententiæ præcipitandam non eſſe, circumſpectè monet: qvicqvid igitur fuit, qvod mulier enixa fuit, ſi poſt centeſimum diem prodiit, qvia veriſimiliter & juxta ordinem naturæ vivere debuit, incumbet illi probandum, mortuum fuiſſe in utero qvod projecit, qvod qvidem ſine prægreſſo gravi aut lapſu aut morbo fieri non potuit, aut, ſi vixit, ratio reddenda erit, qvomodo vivere deſiit: Qvin & locus oſtendendus, qvo illud, qvicqvid fuerit, projectum fuerit.

Et priora qvidem pro qvalicunq; propoſitæ qvæſtionis deciſione, uti Magnif Dn. Cancel. voluit, à tenuitate mea reſponſa ad te, Vir Clariſſ. remitto, qvæ rogo Magnifico noſtro Promotori demiſſe renuntiari, ſed non prius, qvam Collegii totius cenſura acceſſerit: Poſteriora verò pro ulteriori informatione, qvia forte fortuna ſcribenti in mentem venerunt, adjicienda putavi. Vos feſtino calamo ignoſcite, & rem totam inter vos maturius deliberate. Valete omnes & Tu inprimis, cum uxore, qvam jam puerperam eſſe

eſſe oportet, niſi me calculus fallet. Scriptum Fridericiburgi. die 24. Sept. 1633.

T. nominis ſtudioſiſs.

Henningus Arniſæus D.

LOCULUS XXXIV.

Medicamenta in Officinis noſtris uſitata ex præſcriptione D. HENNINGI ARNISÆI:

I.

Aqva Hepatica refrigerans.

R. Herb. Acetoſæ. m. xx.
Acetoſell. m. x.
Taraxac. cum radicibus.
Plantaginis cum rad.
Fumariæ.
Lactucæ
Cichorei
Violarum ana M. iiij.
Flor. Nympheæ. m. j. ſ.

Incidantur & contundantur omnia groſſo modo cum aqva fontana & vino ol. vj.

F. ſ. a. deſtill. per B.M.

Aqva

Digitized by Google

2.

Aqva Hyſterica.

R. Lien Bovis caſtr. ſan. & rubic. N. j.

Abluatur vino albo bis vel ter, adſpergatur pulv. Aloes drach. ij.

Myrrhæ drach. iij.

Succini drach. j. ſem.

Macerentur in aceto Pœoniæ & Liliorum Convall. unc. vj. per 4. dies tum

R. Rad. Leviſtici

Pœoniæ

Bryoniæ ana unc. j.

Ras. Lign. Sancti

Corilor. ana. unc. vj.

Herb. Meliſſæ

Arthemiſiæ

Rorismarini

Calamenth. ana M. j.

Flor. Chamom. Rom. m. j.

Theriac. Androm. unc. ij.

Caſtorei unc. j.

Baccar. Laur. unc. ſem.

Fl. Cheiri

Lilii Convall. ana p. ij.

Roſar. rubr. unc. ij.

Antidoti Matthiol. unc. jv.

Digitized by Google

Inciſ. & contuſ. affund. Vini Rhenan. lib. v.
Aq. Mercurialis
Meliſſæ ana lib. iij.
Stent in infuſione 4. dies, poſtea adde Lienem infuſum f. deſtillatum B. M. ad ſiccitatem.

3.

Electuarium pectorale laxativum.

R. Loch ſani & experti.
de Pulm. Vulp.
de Pino
El. diacaſs. C. mann.
Manna in aq. Hiſſop. diſſol. ana unc. j.
Reſin. Gialap. drach. ſ.
Spec. Diaireos. ſimpl. drach. iij.
Diatraganth. frigid. drach. j.
ol. aniſi
Fœniculi ana ſcrup. j.
cum Syrup. de Liqvirit. unc. j.
F. ſ. a. Elect.

4.

Electuarium Bezoarticum.

R. Ov. gallin. recent. & per abicem albumine educto id qvod vacuum Croco orientali impleto & ſ. a. exſiccat:
Sinapi albi unc. ſem.

Cort.

Cort. Citri & ſem. ejusdem a. drach. ij.
Rad. Angelicæ
Ariſtoloch. long. ana drach. iiij.
Pimpinell.
Petaſit.
Oſtrutii
Phu veri
Morſ. Diaboli
Tormentill.
Enulæ
Dictami albi
Serpentariæ
Gentianæ
Boli Armeni veri
Terra ſigill. ana drach. v.
Vincetoxici
Peucedani
Bacc. Lauri
Nuc. Vomicæ
Granor. Junip.
Pulv. Bezoart. ana drach. ij.
Galangæ
Calami Aromat.
Zinzib. alb.
Cinamomi
Zedoariæ
Nuc. Moſchat. ana drach. j.

Digitized by Google

Maſtich.
Myrrhæ
Garyophyll.
Aloepatic. ana drach. j.
Sem. Acetoſæ
Santali Citrini
Lign. Aloës
Macer
Raſ. Ebor. ana drach. ſem.
Margarit. præp.
Hyacinth. præp.
Smaragdi præp.
Coralli albi & rubr. præp.
Granati præp. ana ſcrup. j.
Camphor. unc. ſem.
Corn. Cervi uſti drach. j. ſem.
Unicornu veri ſcrup. j.
Theriac. Androm.
Mithridatii ana unc. iiij.
M. f. ſ. a. Maſſa.

5.

Oleum pro Articulis.

R. Rad. Pyrethri
Nuc. Moſchat.
Cariophyll. an drach. ij.
Flor. Salviæ
Betonic.

Rosma-

Digitized by Google

Rosmarini
Stoech. Arab.
Spica noſtr.
Celtic. ana drach. ij.
Rad. Ariſtol. O. veræ
Hermodactyl. ana unc. j.
Bacc. Juniperi unc. ij.
Lauri drach. j.
Maſticis drach. j. ſem.
Contuſa omnia affund. aq. vit. unc. xvj.
Terebinth. lib. ij.
macerentur per dies tres.
F. deſtill. per Alembicum.

6.

Aqva Ophthalmica.

R. Panis tritic. ſ. cruſta lib. j.
macer. in ſ q. lactis.
mell. ſimpl. unc. iij.
Roſati unc. ij.
Baccar. Junip. unc. ſ.
Lauri drach. ij.
Herb. Calamint.
Origan.
Rorismarin.
Euphraſ.
Chelidon. maj. ana m. j.

Flor. Roſar.
Fabar. ana p. ij.
Sem. Fœnicul. drach. vj.
Fœnugræc. unc. j.
Ocymi drach. j.
Contund. & infundantur in vin. alb. lib. iij.
Aq. Euphraſ.
Plantag. ana lib. iij.
Roſar. lib. j. ſ.
M. ſtill. p. B. M.

LOCULUS XXXV.

Cenſura Univerſitatis in cauſa Ingeburgæ Petreæ in Hallandia, qvæ peperiſſe judicatur, qvia in mammis lac inventum.

QVandoqvidem Univerſitatis judicium reqviritur, an Ingeburga Petri filia in Hallandia, cenſeri poſſit infantem peperiſſe, & non ita in illo partu ſe geſſiſſe, ſicut decet, qvia inventum fuit lac album in mammis illius: igitur Profeſſores ex ſummi Magiſtratus imperio, rem hanc diligenter in timore Dei expenderunt, & cenſent pium & neceſſarium eſſe ad cauſæ veram cognitionem, ſeqventia inqvirere: 1. An

1. An nominata femina ægrota fuerit & malè habuerit, vel an ſingulari & proprio qvodam affectu muliebri fuerit detenta: ſiqvidem non accidat, lac in mammis Virginum generari, niſi ſolum à cauſa præter naturam, & morboſa.

2. An hæc femina famæ fuerit ſuſpectæ cum Laurentio Petræo, qvem prima vice in ædibus Prætoris urbani nominaverat, & ut dictus Laurentius Petræus in judicio cum illa conveniat.

3. Qvam ob cauſam primò nominarit Laurentium Petræum in ædibus Prætoris, in propriam contumeliam, deinde affirmaverit ſe injuriam illi feciſſe hoc mendacio. Videtur incredibile, virginem integræ pudicitiæ poſſe alium pro pudicitiæ violatore nominare & incuſare.

4. Ut inqviratur apud illos, qvibus ut ancilla ſerviit, an obſervare potuerint, illam gravidam fuiſſe.

Qvæ circumſtantiæ & hìs ſimiles ſi juſta diligentia inveſtigentur, ſperamus Deum coadiuturum ut veritas tandem in lucem veniat. Ex Conſiſtorio 25. Julii 1635.

Rector & Profeſſores.

Digitized by Google

LOCULUS XXXVI.

Judicium Univerſitatis in caſu, ubi dubitatur an aliqvis necem ſibi concire poſſit ex potu vini aduſti, qvanqvam flamma ex faucibus nulla compareat.

QVandoqvidem ſententia Univerſitatis expetitur in caſu Petri Petræi in Houff, defuncti: nempe an dictus Petrus Petræus potuerit ex nimio ſpiritus vini potu ſibi mortem advocare, qvanqvam probatum non ſit, flammam ex faucibus prodiiſſe, aut labia fiſſa vel combuſta: hinc, qvanqvam nullum ſit dubium, qvin homo ex nimio Vini ſpiritu ſuæ mortis cauſa eſſe poſſit, licet ex ore ignis non emicet, nec labra fiſſa aut ambuſta ſint: tamen decernere neqvivimus accuratè an Petrus Petræus ex ſpiritus vini potu mortuus ſit, qvia in documentis nobis exhibitis ne apice qvidem ſignificatur qvantum vini ſpiritus ſit exhauſtum, qvantumve ex illo defunctus potarit: neq; annotatur, qvæ fuerit defuncti ætas, qvæ vires, ſiqvidem unus potando plus valet qvam alter, minusq; incommodi ex copia vini ſentit. Nihil igitur certi definire poſſumus in hoc caſu, ſine ulteriori rela-

relatione, qvod etiam Judex Provincialis faſſus eſt, qvi nihil ſine ulterioribus circumſtantiis decernere voluit. Hafniæ ex Conſiſtorio 14. Decembr. 1635.

LOCULUS XXXVII.

Monocerotis Grönlandici Examen.

ANno 1636. 3. Octobr. convenerunt D. Finckius, D. Wormius & D. Schelius in ædibus Joh. Woldenberg Pharmacopæi, ut experimentum facerent, qvid contra venena præſtaret cornu Monocerotis ex Grönlandia allatum.

Primò columbis duabus exhibuerunt in mica panis in globulos coacti, ſcrup. ſem. Arſenici albi; alteri harum mox ſcobis unicornu xv. grana etiam in globulos cum mica panis redacta; ſed maximam partem mox evomuit. Vixere ambæ ab hora prima ad ſeptimam veſpertinam, ſimul occubuere. Interim non diſſimulandum illam qvæ antidotum poſt venenum accepit, ejus maximam partem mox evomuiſſe.

Deinde felibus duobus unicuiq; ſublimati ſcrup. ſem. propinare decreverunt cum

carnis fruſtulis permiſtum; guſtavit alter paululum, mox à reliqva abhorruit, elapſo dimidio qvadrante horæ expiravit. Alteri lacte miſtum ſcrup. ſem. intruſerunt; mox exulceratum os apparuit: ſed pari modo ſcrup. unum cornu monocerotis pulveriſatum & lacti permiſtum ſtatim infuderunt, ſupervixit ille in mediam noctem.

OLAI WORMII COROLLARIUM

An os illud qvod vulgò pro cornu Monocerotis venditatur, verum ſit Unicornu?

ILla intelligimus oſſa qvæ figurâ rectâ, oblongâ, tereti, inferiori parte craſſiora, paulatim in mucronem gracileſcunt, levibus canaliculis ſeu ſtriis ab infima parte in mucronem cochleæ in morem ſtriata, colore albo, qvandoq; ſubfuſco, infimâ parte qva capiti juncta fuere cava, logitudine qvandoq; ſeptem, qvandoq; plurium pedum, pro ratione magnitudinis non admodum ponderoſa ſunt. Cujus generis illud qvod Sereniſſimo Regi noſtro ex Islandia, ut audio, allatum; item illa qvæ ex Grönlandia nuper Merca-

cato-

Digitized by Google

catores noſtri attulerunt. Tale ad fanum S. Dionyſii prope Lutetiam oſtentatur. Talia in delubro D. Marci Venetiis aſſervantur. Talia in gazis Pontificum cuſtodiri tradunt. Tale ſeptem pedes longum Antverpiæ venale vidit Goropius; qvod ex Islandia allatum fuiſſe refert. Tale Argentorati, tale Metis, tale apud Regem Poloniæ. Tale qvod, Aldrovando teſte, Mercatores Germani Romam venale tulerunt precio nonaginta millium coronatorum. Tale fragmentum illud qvod Julius tertius Pontifex Romanus mercatus eſt duodecim millibus aureorum. Ex talibus ſegmenta paſſim apud Magnates invenies, titulo Unicornu ſuperbientia.

Qvæ tamen tantum abeſt veri Monocerotis cornua eſſe ut ſtatuamus, ut neqvidem cornua dicenda rationibus & αὐτοψίᾳ freti, exiſtimemus. Cornuum enim Naturam & ſubſtantiam ſi rimemur, conſtabit ea duum eſſe generum. Sunt enim vel concava, qvæ lineas qvasdam qvaſi torno ductas, circa radices obtinent, de ætate atteſtantes; ut in bobus & in capris videre licet: vel ſolida qvidem ſed poroſa, ramulis ſuis ornata, ut in cervis & ejus generis animalibus. Sed hæc

qvæ

Digitized by Google

qvæ pro Unicornu venditantur, nihil iis ſimile obtinent, utpote ſubſtantia ſolida & dura conſtantia, dentibus Elephantis, Roſmari aut Balenæ ſimillima. Et ſi rem accuratè æſtimemus, videbimus nullum cornu ita cranio aptari, ut illud perforet ac penetret, ſed ſuperficiei ejus exteriori adhæreret ſaltim ac ex ea nutrimentum capit: at putatum Unicornu, ita cranio inſertum vidimus ut ultra dimidiam ulnam ejus ſubſtantiæ ſeſe inſinuaverit. Qvin imò per gomphoſin mandibulæ ſuperioris alveo, ad id creato, ita inſitum conſpeximus, ut in aliis animalibus dentes ſuis cavitatibus infigi ſolent. Adde, illorum qvædam, qvæ ex Grönlandia noſtri attulere Mercatores, juxta baſin ſangvi nolenta adhuc (utpote recenter ab animalibus avulſa) perioſtii & fibrarum membranearum rèliqviis cincta fuiſſe, qvibus maxillæ alveolis annectebantur; ut dubium nullum curioſo ſpectatori eſſe potuerit, qvin potius ad dentium qvam cornuum claſſem ſint referenda.

Dicam ingenuè qvid ſentiam, qvidq; eſſe αὐτοψία compererim. Dens eſt Balenæ, Islandis *Narhval*, à cadaveribus qvibus veſci ſolet ſic dictæ; *Naer* enim illis cadaver

eſt.

eſt. Hujus cranium non ita pridem videre mihi contigit integrum, cui dentis hujus portio ſat magna adhuc adhæſit. Totum duas æqvabat ulnas noſtrates, circa baſin foramine grandi præditum, per qvod medulla cerebri in ſpinam excurrebat, in ejus fermè meditullio, aliud apparebat, qvod in palatum deſinens in duo qvaſi divaricabatur, aqvis hauſtis ejaculandis, (ut in aliis cetacei generis) inſerviens, ſiniſtræ verò maxillæ ſuperioris, (qvæ paulatim in acumen terminabatur) parti, alveus erat profundus per longitudinem capitis excurrens, cui radix dentis hujus inſerta: non enim deorſum ſpectabat, ut in Rosmaro, nec ſurſum ut in Elephante, ſed recta juxta capitis longitudinem prominebat; de qvo forſan accuratius alibi. Hunc autem dentem ſi cum dentibus Elephantis, Rosmari, Balenæ &c. conferas, licet figurâ externâ inter ſe differant; ſubſtantia tamen, inſertionis modo & reliqvis proprietatibus planè convenire videbis. Hoc ante me indicavit Gerardus Mercator in Atlante minore, Islandiam deſcripturus. Qvi verſus polum arcticum & fretum Davis iter inſtituunt crebrò in ejusmodi incidunt belluas, ut videre licet in itinerario S. Purcaſſii Tomo 3. lib. 3. cap. 1.

Digitized by Google

cap. 1. refert Hugonem Willibuy tale os ex Grönlandia reportaſſe, ubi incolæ mercaturam iis exercere ſolent. Eodem libro cap. 22. item lib. 4. c. 19. circa Grönlandiam multos tales piſces reperiri oſtendit. Robertus Billeth in Navigatione verſus Septentrionem Anno M. DC. XVI. inſtituta, ad elevationem poli 74. grad. 30. min. ſæpe in ejusmodi dentatos incidit piſces: ut dubitare amplius nemo valeat, qvin oſſa dicta, dentes ſint Ceti ſeptentrionalibus *Narhwal* dicti, niſi tot dignis teſtibus & ſenſibus ipſis aſſenſum denegare velit.

LOCULUS XXXIIX.

De Superfœtatione.

IN mea viſitatione æſtiva occurrit mihi hæc hiſtoria, qvæ accidit in Nerögield in Diſtrictu Nummedali.

Uxor honeſta viri habitat in Follens-Fierding in Nerögield, in prædio qvodam Regis. Mariti nomen Siurdo, uxoris Siri. Illa enixa eſt filium 31. Julii 1637. qvi lavacro baptiſmatis tinctus fuit, qvia perfectus erat, & ſufficientibus menſibus in utero geſtatus.

Anno

Anno 1638. nocte ad 9. Febr. iterum enixa eſt eadem mulier filiam, adhuc ſuperſtitem, perfectam eodem modo, cui nomen eſt Annæ, ſicut ſonant verba Paſtoris Domini Michaëlis in Nerö.

Judicium de hoc ſit penes Medicos. Ego tamen libenter ſcirem Dn. D. Finckii & Wormii judicium.

Paſtor loci teſtatur honeſtos eſſe & pios homines, de qvibus hiſtoriam miſit. Vale. Nidroſiæ 6. Jan. 1639.

Petrus Schielderup.
Epiſcop. Nidroſienſis.

LOCULUS XXXIX.

Controverſia inter Nobiliſſimum Tychonem Brahe & Clariſſimum M. Tancredum Lælium de Cura Uxoris gravidæ.

ACCUSATIO.

POſtqvam Conjunx mea chariſſima Brigitta Brock non ita pridem in conſilium adhibuit M. Tancredum Lælium Medicum hujus urbis, expetiitq; ejus auxilium in defluxu

Digitized by Google

fluxu qvodam ad oculos, qvanqvam cæt
benè ſe haberet in omnibus; præſcripſit illi
exhibuit medicamenta, qvæ male ceſſerut
& ita apud illam operata ſunt, moleſtiam
tantã exhibuerunt ſine intermiſſione per qvi
qve dies totidemq; noctes, ut ſpes nulla vit
amplius ſupereſſe videretur, nec tamen ipſ
remedium qvæſivit ut intenſi dolores mitiga-
rentur, unde valde exinde debilitata eſt, ut
per multas hebdomadas lecto fuerit affixa,
& ex illo tempore vires illi fuerint proſtratæ.
Hæc cauſa eſt, qvæ me impellit, ut qverelas
meas ſubjectiſſime deferam ad Regiam Maje-
ſtatem, eiq; humillime ſupplicem, ut Conſilium
Medicum concedat convocari ex beneplaci-
to ipſius Majeſtatis Regiæ, qvod judicet &
decernat, an nominatus M. Tancredus Læli-
us partibus ſuis in hac curatione legitimè ſit
functus, vel an ullus error in pharmacopolio
fuerit commiſſus. Seqventia verò ſunt, de
qvibus M. Tancredum accuſo, humillimè
rogans ut de iis judicent Excellentiſſimi Me-
dicinæ Doctores ad id deputandi.

1. Qvisnam fuerit morbus, qvem ſibi
in uxore mea curandum ſumſit? ad qvæ ubi
reſponderit, an tum medicamenta, qvæ ad-
hibuit, illi applicari potuerint.

2. An

2. An excuſari poſſit qvod illam purgaverit illo ſtatu qvi ipſi ſatis erat perſpectus & antea indicatus.

3. Prævalentibus Medicamentis & ad mortem penè præcipitantibus uxorem, vocatus ad illam duabus noctibus ſeqventibus, ut intolerabiles dolores leniret, illos ſolis oculis adſpexit, nec ullo remedio voluit ingentes dolores & purgationis operationem continuam ſedare, qvos tamen ad multas horas perferre non valuiſſet, niſi alia remedia ab Experientiſſimo Doctore Olao Worm, qvi in ſumma neceſſitate tertia nocte ad eam fuit vocatus, fuiſſent in hunc finem adhibita, Actum Hafniæ 2. Maji Anno 1639.

TYCHO BRAHE mpp.

DEFENSIO.

SIqvidem Nobiliſſimus Tycho Brahe in jus me vocaturus qværit, qvemnam morbum in uxore illius curare aſſumſerim, breviter narrabo: Ad me venit uxor illius qverula de defluxione qvadam ad oculos, & de tumido ventre, & qvum à me interrogaretur, an gravida eſſet nec ne, reſpondit mihi ſe id non ſcire: qvapropter qvia deprehendi

 hunc

Digitized by Google

hunc fluxum ad oculos habere ſuam origi-nem ex materia acri in corpore, præterea qvod eſſet tumentior qvam gravidæ ſolent primis menſibus, concluſi qvod magnam co-piam materiæ collegerit, & qvia talis mate-ria Cacochymia qvotidie incrementum ſu-mit, & in qvalitate qvoq; in pejus vergit, exiſtimavi levem purgationem eſſe neceſſari-am, ne ſi gravida eſſet, fœtus à materia illa ſuffocaretur, vel ne ex illa materia magnus morbus excitaretur, qvi ſenſibili damno illi noceret, & propter hanc cauſam purgatio-nem illi exhibui. Qvod ſpectat medicamen-tum, hoc fuit:

R. Cremor Tartari drach. j.
Reſin. Scamon. gr. xj. m.

Alias ante, ipſam curavi Trygveldiæ, eodem medicamento, qvo jam uſa eſt, & tum non habuit niſi ſex vel ſeptem deje-ctiones, & melius ſe exinde habuit qvam aliis ſumptis purgationibus. Anno 1637. Nobilis-ſimus illius filius uſus eſt granis novem, qvæ minor eſt doſis, qvam hæc, blandeq; illum expurgavit, tum valdè juvenem. Qvi igitur potuit hæc doſis illi exhibita, eſſe nimia. Si-mili modo filia illius natu minima feliciter ex eodem medicamento uſa eſt. Vidi in Italia

lar-

Digitized by Google

largiorem alvi fluxum ex Uncia una Caſſiæ, diutius perſiſtentem, qvod non evenit ex facultate medicamenti, ſed ob apparatum humorum in corpore, nec ignotum eſt expertis Medicis, qvod hujusmodi errores naturæ & ſuperpurgationes in arte noſtra ſæpe occurrant, qvorum nullus Medicus præſtare poteſt damnum, & idcircò, lubentiſſimè me judicio Medicorum ſubmitto. Qvod attinet illud, an excuſari poſſit, qvod illam purgaverim, ſiqvidem Tycho Brahe refert, me ſatis habuiſſe perſpectam illius conditionem: ad id reſpondeo, ut ante, me amplius nihil reſciviſſe ex Generoſæ Matronæ relatione, qvam qvod qvereretur de ſuppeſſione menſium, & intellexi qvod per aliqvot annos fuerit ſterilis, qvamvis jam narretur Generoſam Matronam uteri pondus geſtare, ex qvo clarius elucet Medici & medicamenti dati innocentia, de qvo judicium Dominis Doctoribus ad id deputatis relinqvo. Qvod ſpectat ad Generoſi Tychonis Brahei accuſationem, qvod fluxum ſiſtere noluerim, reſpondeo ita. Generoſa Matrona die Martis asſumpſit medicamentum, die Mercurii dixit mihi, qvod adeò benè expurgaret, ut nollet qvovis pretio ſupprimi, ſi ulterius non pro-

grederetur, & hic ſubſiſteret; hiſce duobus diebus non oportuit me fluxum ſupprimere, ſeqventibus duobus diebus, Jovis nempe & Veneris vehemens erat, ſed die Veneris cum magnis torminibus, igitur qvia aderat prava & lenta viſcidaq; materia, non potui illam ſupprimere ſine maximo illius detrimento: Vidi enim in tali orgasmo materiam propter ſiſtentia retro ceſſiſſe per venas ad uterum & factam fuiſſe abortionem. Die Sabbathi qvi erat qvintus dies volebam ſiſtere, ſed eo die alvum laxam non habuit ante horam veſpertinam undecimam, & dejectio, qvæ ſeqvebatur erat cruenta, ita ſi numeremus dies, ex qvo primum ſumpſit medicamentum, ſiqvidem primis duobus diebus, qvibus moderatè fluxit, non poterat ſiſti, ad qvintum usq;, qvo nihil dejiciebatur, non niſi duo dies ſunt. Qvocirca Generoſus Tycho Brahe dicere non poteſt, qvod qvinq; dies habuerim, nec qvicqvam in illis egerim, & duobus illis diebus talis materia prodiit, ut ſupprimere eam nullo jure debuerim. Sæpe evenit, patientes qvotidie per decem vel duodecim dies alvum habere fluentem cum torminibus & ſangvine; attamen cautè illa ſupprimenda eſt. Accidit in Nuptiis Principis noſtri Sereniſſimi,

mi, ut D. Olaus vocaretur ad primariam Matronam Nobilem, & altero die vocarer & ego ad illam. Dejectio illi erat freqvens cruenta cum torminibus ingentibus & teneſmo, qvi per dies ſeptem vel octo perduravit, non audebamus ſubitò ſiſtere, ſed qvum illa valdè inſtaret & urgerent aſtantes ut ſupprimeretur, dedimus ipſi aliqvid, qvod blande aliqvo modo impediebat copioſum fluxum. Sed deinde ſeqvebatur intolerabilis dolor major qvam ante, anxietas cordis, uteri irreqvies, ſine ulla qviete, ita ut poſtridie cogeremur exhibere ipſi levem purgatiunculam, ut materiæ iterum exitus procuraretur. Qvod attinet ad illud, qvod viſo cruore, noluerim illum ſiſtere, plane nego, & ſine dubio Tychoni Brahe memoria excidit. Non memini ſangvinem viſum, præter ſemel, tum me ad ſe vocavit, veniq; ad lectum Nobilis Matronæ, dixiq; me ſuppreſſurum ſangvinem, & in rei fidem, enumeravi ipſi medicamenta ad id proficua, & inter alia nominavi Terram Sigillatam, ipſi notam, & alia ad ſiſtendum ſingularia: Sed dictum factum accerſivit Generoſus Tycho Brahe D. Olaum, qvi ſtatim advenit, ſtititq; ſangvinem, ut meâ operâ opus non habuerint, alioqvin ſtatim idem

Digitized by Google

dem feciſſem. Qvod objicit, me noluiſſe remedia communicare pro magno dolore ſedando, qvanqvam bis de nocte inviſerim illam, nec qvicqvam egerim, reſpondeo, qvod dederim in illum finem Rete caſtrati cum ol. Roſaceo, imponendum ventri, unde ſolamen accepit, inunctum qvoq; fuit ol. ovorum cum magno levamento. Medicamento illo utuntur paſſim per univerſam Italiam in hujusmodi caſibus, & decem aliis hoc præſtat. Ad id, qvod nihil egerim, reſpondeo, me multum egiſſe, dum diligenter obſervabam qvando ſine periculo poſſet ſiſti: Qvod cibus in ventriculo illius non concoqveretur, factum id poſtremo eſt, qvum illam relinqverem, & accederet D. Olaus.

Qvod qværitur, an de Pharmacopœo aliqvid mihi conſtet, reſpondeo, nihil plus me ſcire, qvam qvod indicant meæ ſchedulæ manu mea ſignatæ, ad qvas provoco.

TANCREDUS LÆLIUS.

In Pharmacopolio inveniuntur hæ ſchedulæ pro Nobili Matrona.

R. Conſerv. Roſar. rubr. veter. unc. iiij.
Magiſter. Corall. rubr. drach. ij.

Cornu

Cornu Cerv. philoſ. præp. drach. j.
Magiſter. Perlar. Oriental.
Lapid. Bezoar ana ſcrup. j.
cum ſyrup. acetoſ. citr.
Fiat mixtura.

Item R. Conſerv. Roſar. unc. ij.
Spirit. vitriol. gutt. vj.

Judicium Decani D. Thomæ Finckii.

1. Etſi in gravidis magna attentione & circumſpecta cautione ſcammoneata remedia exhiberi debeant: etiam tam correcta & præparata reſina & qvidem in tantilla doſi, & forte prius in eadem uſurpata non tam potuit periculi alicujus metum incutere, qvia ſoliti Medici in exigua doſi uſum ſvadere, in tali potiſſimum fluxu ad oculos irruente, qvi puris in reliqvo corpore redundantis argumentum præbere potuit.

2. Neq; verò qvæ ſupervenit ſuperpurgatio; uni tantum medicamento aſſcribi debet: cum vel à materiæ pravitate, facilitate, copia, acrimonia aliisve ejus conditionis ſtimulus, vel ad florum Caſſiæ, medicamenti alias levioris, uſum ſubſeqvi potuiſſet.

3. Et ſi vel maximè certo cognita fuiſſet imprægnatio: Conſveti tamen medicamenti adminiſtratio periculi metum facile jam excuſare poſſet: qvod ſubortam ſymptomatis noxam, conceptui tamen ac fætui illata noxa non appareat.

4. Superveniente alui profluvio non ſtatim inhibitione aliqva proſpectum eſſe: facile Medicum excuſabunt qvæ paſſim in cholera aliisq; ejusmodi aut ſpontaneis aut in ſymptomaticis fluxionibus ab Hipp. Gal. aliisq; Medicis commendari ſolent: cum vel inibi fluxum nonnunqvam fluxui commendari videamus.

5. Interim ætatis, loci, temporis, conſtitutionis & omnium virium diligentem rationem habendam eſſe meritò Medici conſulunt: qvam nec hic penitus neglectam eſſe, etiam in magna animi conſternatione ob in ſubjecto generoſo oborti ſymptomatis præſens periculum, non tam ex reſponſo Medici qvam ex fide illa intemerata qvam ægrotis Medici debent & in primis habitam animadvertimus, ſperamus & nobis pollicemur.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS XL.

Curationes aliqvot rariores Tancredi Lælii Medici Hafnienſis feliciſſimi: Excerptæ ex Diario ejus Practico, qvod beneficio D. M. Johannis Enwaldi Brochmanni Epiſcopi Arhuſienſis vigilantiſſimi, penes me ſervatur.

I. Ruſtica apud Cancellarium nata XII. annos, in qva erant, ut dicebat, lacerti unusq; per os prodiit 13. Oct. 1628. ſanata his. R. Rad. Angelic. Gentian. Imperat. ana unc. ſem. Rad. Bryon. drach. ij. Centaur. minor. ſummitat. Hyperic: Scordei ana p. ſem. f. decoct. forte ex aq. ſcordei pro unc. viij. in colatur. expreſſ. adde Aloë Roſac. unc. ſem. hier. picr. ſ. drach. ij. Diaturbith. c. Rhabarb. Drach. iij. Extract. Angelic. drach. ij. Lapid. Prunell. drach. ij. ſem. aq. Theriac. unc. ſem. m. dedi prima die tria cochlearia & ſecunda qvatuor cochlearia. Benè tulit & nihil excrevit.

23. Octobris. R. Diacath. drach. vj. diaturbith. c. Rhabarb. drach. ij. ſem. Aq. Scordei unc. ij. Fiat potio. Nihil purgabat, ſed vomuit.

II. Henricus Wind exanimatus ferè erat graviſſimis doloribus omnium artuum, nihil præ dolore movere potuit præter nonnihil caput. Qvatuor fortes miniſtri ipſum movere in latus debebant.

R Panchymag. extract. gr. xxiiij. qvinqvies dejecit & benè tulit. Inunxi artus phlegmate vitrioli, ol. lumbricorum, chamæmel. anethin. ana unc. j. ſem. addito Spiritu Terebinthin. & valdè juvit.

R. Salſæ parillæ. radic. chinæ. polypod. rad. cichor. paſſular. ana unc. ſem. Agrimon. Borrag. Ivæ artheticæ. pimpinell. calendul. an. m. ſ. fl. cordial. p. j. ſem. frig. maj. ana drach. j. fæniculi, aniſi ana drach. iij. Raſur. Ebor. C. C. præp. ana drach. j. ſemin. Citri, Carduibened. ana ſcrup. iiij. fol. Senn. ſ. ſ. unc. j. ſ. coq. ad lib. j. in colatur. infund. Rhabarb. El. drach. vj. Agaric. Trochiſc. unc. j. Cremor. Tart. drach. ij. expreſſ. colato add. Syrup. de duabus radicibus, de limonibus ana unc. j. ſem. f. Apozema. dedi primo unc. ij. ſ.

R. Oxymell. diuretic. unc. viij. ſyrup. de V. radicibus. Aq. Petroſelini unc. vij. m. ſig. diuretic.

R. Vitriol. alb. virid. ana unc. j. Camphor.

phor, drach. ij. aq. vitæ vini albi ad lib. j. m. Externè applic.

R. Fl. Pulegii, Chamomill. Lavendul. Summit. Majoran. ana drachm. ij. Anthos, drach. vj. ſalv. Chamedrys ana unc. ſ. Myrrh. mundæ unc. ſ. Cinnam. drach. ſ. rad. Pœoniæ drach. j. Cyper. rotund. Iridis illyr. ana drachm. j ſ. Cardam. minor. Cubebar. ana drachm. ſ nuc. moſchat. drach. 1. Infundantur in ſpiritu vini & dentur in vitro. ſig. Aq. Arthetica.

R. Chamepyth. Bethon. Salviæ, Lauri, primulæ veris, Calaminth. pulegii, Hyperic. Thymi ana Miv. Bacchar. Junip. lib. ij. rad. Bryoniæ unc. v. parata pro balneo, dentur in charta.

III. Johanni Malkirck arcis Præfecto Icteritia ſubita per intervalla & gravisſimi dolores per intervalla dextri lateris perdurabant 14. vel 16. horas. Urina crocea & craſſa.

R. Rad. Cichor. Aſparag. an. unc. ſ. Ariſtoloch. rotund. hirundinar. Eryng. calam. aromat. veri an. drach. ij. herb. Eupator. m. j. comar. abſinth. m. ſ. veronic. verbenæ an. p. j. Rhabar. el. Drach. v. ſchænant. ſcrup. j. ſem

ſem. Aqvilegiæ drach. ij. chalyb. præp. c. aceto drach. iij. ſp. trium ſantal. diarrhod. Abbat. an drach. j. ſ. parata pro vino dentur in charta. 20. Febr. 1629.

R. Radic. Cichor. c. toto, Intybi, Eupator. a. m. j. Abſinth. m. ſ. flor. Cichor. p. j. 4. ſem. frig. maj. & min. an drach. j. ſ. cyperi drach. ij. Lupin. drach. iij. ſantal. omnium an. drach. j. in ſaccul. conjecta bulliant in Aq. lib. j. ſ. vin. & acet. an. Unc. ij. vaſe benè clauſo, pro fotu. Petræus p. 182.

R. Cort. rad. Cichor. Unc. j. Cort. rad. fœnicul. Cortic. interiorum luteorum rad. frangulæ prius exſiccator. an. Unc. ſ. Rad. Raphan. ruſtici drach. ij. cuſcutæ m. ſ. Agrimon. fragorum an. p. j. Abſinth. Rutæ murariæ an drach. j. ſ. Anthoſ. drach. ij. ſem. Aniſ. drach. ij. Vin. Rhenan. opt. lib. j. aq. Cichor. commun. bis chalybeat. ana lib. ſ. decoqvantur in deplomate bene tecto horas duas addendo ſub finem aceti acerrimi ſambucini drachm. vj. detur expreſſum Unc. iiij. cum paulo ante ſumpſit vij. ſeqvent. pilular.

R. Ammon. pingu. depurat. drach. ij. Rhabarb. El. drach. 1. Agaric. Trochiſc. ſcrup. j. Sp. triumſantal. Aromatic. Roſ. an ſcrup. j. cum oxymellit. f. pil. n. ix. pro drach. j.

R. Rhab.

R. Rhab. el. irrorat. aq. Cinnam. drach. j. ſ. Aq. Endiv. Eupator. an. Unc. j. f. Infuſ. detur Expreſſ. ſig. purgans.

R. Rad. Cyperi, ſem. lini, fænugr. Abſinth. ſicc. roſarum rubearum, fl. Chamomill. an. m. ſ. ſchænant. drach. j. omnia pulverata coqvantur ſ. art. addendo farinæ hordei Unc. j. Emplaſtr. de Melilot. drach. vj. ol. Chamomill. anethin. Roſar. Maſtich. q. ſ. cum pauxillo aceti & ol. ſpic. ſ. Emplaſtrum.

14. Aprilis 1629. R. Cremor. Tart. Tart. vitriol. ana ſcrup. iiij. chalybis præp. cum aceto unc. j. fæcul, Aronis, bryoniæ a. drach. j. ſ. Trochiſc. de Eupator. drach. iij. Magiſt. Corall. rubrorum drach. ij. m. & divide in 18. partes æq. ex hoc danda ipſi drachma una in decocto, qvo utitur bis in die.

IV. Dorothea Urne Nobiliſſimi Oweni Gedde conjunx, laborat fluxu albo mulierum & ſcorbuto.

R. Rad. Acori drachm. j. polypod. q. ſem. cartham. conqvaſſ. drachm. iij. ſem. fænicul. aniſ. ana drachm. j. ſ. myrobal. citrin. chebul. ana drachm. j. Cinnam. acuti ſcrup. ij. Caryophyll. mac. ana ſcrup. 1. Conſerv. fl. violar. malvæ ana unc. ſ. rad. mechoac. drachm.

Digitized by Google

drachm. v. Turbith. drach. I. fol. Senn. ſ. ſ. drachm. XII. Tartari Chriſtall. unc. ſ. vini alb. generoſ. lib. I. ſ. Aq. Cinam. Citrat. unc. ij. ſ. inciſ. & contuſ. macerentur in vaſe clauſo per qvatriduum, coletur aliqvot vicibus per manicam. colaturæ adde Syrup: Roſat: ſolutiv. unc. iij. ſpiritus vitriol. drach. ſ. m. dedi unciam unam & ſexies purgabat. Qvercetanus vocat vinum Catholicon.

R. Syrup. cochlear. unc. vij. Eſſent. liqvid. Cochlear: becabung. ana unc. j. corall. rubror. præp. drachm. ij. C. C. præp. drach. ij. ſ. aq. Hyſteric. Qvercet. unc. ij. Aq. Cinam. citrat. unc. iij. ſpirit. Vitrioli unc. I. m. ad vitr. 25. Octobr. 1623. Hoc adeò fermentavit, ut rumperetur vitrum.

R. Diacor. Haſebart. lib. ſ. Conſerv. Meliſſ. unc. iij. aq. Cinam. Citrat. unc. I. ſpirit. vitrioli drachm. ij. m. diligenter.

R. Conſerv. Meliſſ. ex floribus lib. ſ. fæculæ Bryoniæ drachm. ij. ſ. C. C. præp. drachm. I. m. capiat alternis inſtar Caſtaneæ. In qvalibet doſi veniunt ſex grana fæcul. bryoniæ, qvando doſis eſt drachm. ij. vel inſtar caſtaneæ.

R. Roſar. rubear. coriandr. præp. ſantal. rubr. Nigell. torrefact. in aceto ana drach.

ij. ma-

Digitized by Google

ij. maſtich. thuris & cortic. ejus gummi Juniperi ſuccin. flavi ana drachm. iij. ladani puri unc. ſ. ſtyrac. calamit. Benzon. ana drachm. ſ. mac. cariophyll. ana drachm. ij. cum mucilag. Tragacanth. ex aq. roſar. f. formulæ. ſig. At rege under Næſen.

R. Sallæ parill. unc. iij. ſaſſafr. unc. ʀ ſ. Cort. Guaj. unc. ij. rad. chinæ unc. 1. rad. ireos drachm. iij. Galangæ drachm. 1. herb. Maj. beton. ſalv. ana m. ſ. Anthos. fl. lavend. ana p. 1. ſem. aniſ. fænic. ana drachm. 1. parentur pro vino. Hæc eſt formula Plateri p. 429.

R. Rad. petroſel. fænicul. primul. veris ana unc. ſ. rad. Enulæ drachm. ij. fragor. Rutæ, Scolop. nummular. hyſſop. ana p. 1. fl. ſambuc. p. ſ. ſem. petroſ. fæniculi, Aſparag. Apii ana drachm. 1. Naſturtii, Erucæ ana drachm. ſ. granor. Juniperi drachm. iij. parentur pro vino. Eſt diureticum. Platerus obſervat. p. 518. Sed paululum variavi & accommodavi huic caſui. inſeſſum qvoq; paravi ex eodem p. 733.

V. Eliſabethæ Roſenſpar Palæmonis Roſenkrantzii, ulcus in inteſtinis & ingens ardor urinæ. 6. Auguſt. 1627.

R. Caſſ. recens tract. unc. iij. Mann: El. cla-

El. clarific. drachm. vj. pulp. Sebeſt. Tamarind. ana unc. 1. ſ. mucilag. ſ. Pſyllii, Cydoniorum tract. aq. petroſel. ana. unc. 1. cum ſyrup. roſat. ſolut. f. opiatæ inſtar.

R. Trochiſc. Alkakeng. ſ. opio recens præp. unc. 1. rad. Conſolid. Altheæ a. drach. 1. ſ. gummi tragacanth. drachm. ſ. ſem. hyoſcyam. drachm. 1. ſacchar. candi unc. 1. f. pul. ſubtiliſſ. ſig. pul. anodin. 1.

R. Rad. Altheæ unc. iij. fol. mal. m. ij. ſem. frigid. major. excorticat. unc. ſ. papaver. albi drachm. vij. f. pul. ſig. pulv. anodin. 2

R. Rad. Biſtort. unc. iij. rad. Conſolid. unc. iiij. herb. Agrimon. Plantag. Eqviſeti ana m. ij. ſig. herbæ pro decoct. conſolidante.

R. Reſinæ lariceæ unc. ſ. vitell. ovi N. 2. Mucilag. ſem. Cydonior. fact. cum aq. Malvæ & plantaginis ana unc. viij. ſig. pro injectione.

R. Cerat. Santal. unc. iij. ol. roſat. recent. Meſ. unc. ij. Trochiſc. de Caphur. drach. ſ. m. ſig. Leverſalle.

R. Conſerv. fl. Cichor. unc. v. Extract. Eupat. drachm. 1. Trochiſc. Cypheos drach. ij. ſp. triumſant. ſcrup. ij. Magiſt. Corall. drachm.

drachm. 1. ſal. Corallorum ſcrup. 1. Elixir propriet. ſcrup. ij. cum ſyrupo de Eupator. & ſymphyt. f. miſtura ſig. confortans Hepar.

R. Hordei integr. m ij. glycyrriſ. raſ. unc. ſ. rad. petroſel. acetos. ana unc. ſ. ſem. Malvæ unc. ſ. f. decoct. ad lib. 1. mellis deſpumat. unc. ij. m. ſig. mundificans.

Hoc præſcripſit Arniſæus. R. Semin. frigid. Maj. ana unc. 1. ſem. bombac ſpyllii, cydoniorum, citri ana drachm: 2. Aq. fragor. acetoſ. napthæ ana unc. vj. f. Emulſio.

Item, R. Cremor Tart. Magiſt. ocul. cancri, Terebinth. pulv. Magiſter corallorum, f. pulv.

VI. Pro Studioſo P. W. habens in collo ſcrophulas: 1 Junii 1633.

R. Radix Bryoniæ, cyclaminis, cucumer. agreſt. Ireos ana unc. ſ. bulliant in mucilag. ſem. fænugræci, lini, malvæ ana q. ſ. adde Ammoniac aceto ſcillitico diſſol. Bdellii, opopanacis, ol. ſeſamin. diſſol. Terebinth. ana drach. ij. baccar. Lauri, ſtaphid. agriæ, cumini, pyrethri ana drach: 1. pingved. porci, caprini ana drach: iij ol. Chamomill. lilior. alb. ana drach: iij. picis & ceræ ana q. ſ. f. Emplaſtrum. Malè adhæret, ideoq; cir-

cum in extremitate inducitur galbanum, ſed nec tum ſatis adhæret.

17. Junii 1633. R. Reſinæ Scammon. gr. xv: cum ſyr: roſ: ſolut: f. p. n. vij. deaurentur. Nihil qvicqvam purgabat.

R. Ext. Mechoacan: drachm. ſ. f. pil. ana n. vij. 23. Jun. 1633. octies purgabat cum magna virium dejectione.

VII. Filia Oligeri Roſenkrantzii 12. annorum, Epileptica per conſenſum hypocondr: & uteri. 2. Jul. 1631.

R. Rad: Pæoniæ decreſcent: luna col. lect. drachm: v. Eryng: macin: calam: aromat: Imperator. ana drachm: ij. pyrethr: drachm: 1. ſem. pæon. card: bened: rutæ, fænicul. ſeſel. ana drachm: 1. ſ. fol. Beton: major: matricar: verben: chamædr: ana p. 1. Thymi p. ſ. fl. l. conv: ſalv: ana p. ſ. Stechad. Arab: drachm: 1. parat; pro vino dentur in charta.

Seqvens me præſente præſcripſit Arniſæus.

R. Rad: Pæon: Ariſtoloch: veræ rotund: Eryngii, leviſtici, cichor. Imperator: calam. Aromat: ana drachm: 1. Herb: chamædr: Meliſſ: Thymi, cochlear: ana p. 1. Fl. Beton: ſalv:

ſalv: cheiri, lilii convalli ana p. ſ. ſem: aniſ: carvi; ſeſel. dauci, pæoniæ ana drachm: 1. Zedoar. cinam: ana drachm ij. incidantur & dentur in charta.

VIII Nobilis Virgo Catharina Eliſabetha ſcorbutica.

R. Aloë roſat drachm: 1. ſ. Extr: mechoac. ſcrup. 1. reſin. ſcammon. gr. iij. ol. deſtill. aniſ. gutt. iij. cum ſpiritu vitrioli f. pil. n. xix, deaurentur. capiat primo 7.

R. Aq. Antiſcorb: lib: ſ. ſp. Mororum Norwag: unc: ſ. ſp. Thymi drachm. 1 ſ. ſpiritus Vitrioli ſcrup. 1. m. capiat tria cochlearia qvotidie.

13. Jan. 1633, Pedes tument cum lividis plagis, tumet venter, menſes inordinati.

R. Conſerv. roſar: drachm: 1. reſinæ ſcammon: ſcrup: ſ. m. ſepties commodè purgabat.

R. Cremor Tart: drachm: ij. Tartari Vitriol. drach: 1. chalyb: cum ſulph: drach: i. Fæcul. Aron. drachm: ſ. divid: in qvatuor partes æqvales.

R. Conſerv. roſar. recent: drachm: 1. ſ. reſin. ſcammon. ſcrup. ſ. m. 20. Jan. 1633. ſemel ſaltem purgabat absq; moleſtia.

Digitized by Google

R. Abſinth. pontic: Menth. criſpæ, fl. chamom: ana m. ij. Calamenth: fl: roſar. rubear. ana m, 1. calam. Arom. unc. ij. Bacc. lauri drachm: vii. ſem aniſ unc. ſ. parat pro fotu dentur in charta. 20. Jan: 1633.

R. Fol. Sennæ Alex ſ. ſ. unc. ſ. Rhab. El. drach, vj. Cinnam: cubeb. ana ſcrup, ij. parat. pro vino dentur in charta. Dedi 7. cochlearia & bis purgabat cum torminibus. 6. Febr. 1633.

R. Aloë roſac: drach, 1. Trochiſc. de myrrha, chalyb. præparat cum ſulphure ana ſcrup, 1. Magiſter. Corall. rubr. ſcrup, ſ. ſal. ſuccin. gr. viij. cum Elixir. uterin crollii f. pil. xxviii, deaurentur. Capit v, pilulas. Sed nimis parum eſt, oporteret ſumere ſcrup. ij ſ. 26. Febr. 1633.

R. Fol. Sennæ Alex. ſ. ſ. unc, ſ. Rhabarb: El. drachm, vj. Turpeth gum: drach, iij, Cremor: Tart. unc, ſ Cinam. cubebarum ana drachm, 1. parat. pro vino dentur in charta. 4. Martii 1633.

R. Conſerva roſ: ſcrup, ij. reſin ſcamm. ſcrup, ſ. m. 8, Martii 1633.

R. Decoct. pro aperiendis menſibus. nihil profecit.

R. Aloë roſac. drachm, iii, Extr. Mecho-

choac. drachm, ſ, Jalap. ſcrup, ſ. Fæcul. Bryon. Extr. Artemiſ. ana gr, vj, ol, ſtillat. aniſi gutt, v, cum Elixire uterino Crollii f pil,n, xi, pro drachma. Inaurentur. Sig, pill, leniores.

R. Hier. picr. ſ. drachm, ii. Trochiſc. de myrrha ſcrup, iiii, Fæculæ Bryon, drachm, ſ. Caſtor. gr, xii, ſal volat. ſuccin ſcrup, ſ. Extr. gentian, ſcrup, ij. cum Elixir uterin. Croll. f, pil, n, xi, pro drachma ſ. Moder Piller. Capiat ix, vel xi, aliqvot ex ordine diebus inſtantibus menſibus.

IX. Uxori Nobili Gundæi Lange tumet venter ex retentione menſium 19. Sept. 1634.

R. Cremor. Tart. ſcrup, 1, Extr. ſcammon. gr, vj, m. Undecies purgabat cum torminibus.

R. Elixir uterini Crolli drach, ij, Proprietat. Paracelſi drach, 1. Fæcul. bryon, drach, ſ. ſal. corall, ſcrup, 1, m. 20. Sept. 1634.

R. Aq, ſcorbut, noſtræ deſcript, lib, 1.

R. Pulp. Tamarind, drachm, 1, reſinæ ſcam. gr. xii. m. Eodem die menſes apparent, & rite procedunt largiter naturali modo ſeqventibus diebus. 2. Octob. 1634.

Pro dolore genuum. R. Ol, lumbric. unc, 1, ſ, ol, hyperici medullæ crurum bovis

ana unc, 1. pingved, gallin, unc, ſ. Ammo-niac, diſſol. vino drachm, ij. ſ, f. linim. 12. Octobr, 1634.

R. Furfur, ſiligin, trit, unc, ij, farina lentium lupinorum ana unc, ſ. fab, hord, ana unc, 1. rad. Chin. rhabarb. El, ana drach, 1. fl. ſambuci p. j. Chamom. malvæ ana drach. 1. ſ. litharg, argent, bol, armen, præp, ana drach, 1. ſapon, venet, drachm, v. cum ſucco ſambuc, recens expreſſ, q. ſ. ad ſpiſſitud, cum cera° f. Emplaſtr. 25. Octobr. 1634. juvit.

X. Petro Matthiæ Podagrico.

R. Vitriol, alb, virid, ana drachm, ij, Caphur, drachm, ſ. vini albi lib, 1. aq, ſambuc, lib, 1. ſ. m. ſig, externè. Sedabatur paulum dolor. 2. Martii 1629.

Intumuit eidem ſcrotum in magnum tumorem cum aliqvâ inflammatione 15. Junii.

R. Mucilag, ſem, Pſyllii, altheæ extract. aq, malvæ ana unc, 1. mucilag, ſem, lini, fænugræci ana unc, ſ. farinæ hordei fabar, ana p. 1. ſcordei, roſar, rubrar, fl, cham, ana p. ſ. ol, roſat, q, ſ, ad conſiſtentiam Cataplaſm, cui adde ol, hyoſcyami drachm, iij. f, Cataplaſma: Juvit.

Ad dolores podagricos.

R. Me-

Digitized by Google

R. Medull. Caſſ. recens tract. Unc. i. ſ. Mucilag. ſem. ſpylii Unc. ſ Croc. drachm, i. Farinæ fabar. drach. ij, opii ſcrup. i. ol, Ranarum Unc. ſ. f. cataplaſma, calidè imponatur. ſtatim juvat. Erat ad tres vices. Poſtea R. myrrhæ Electæ, Thuris maſculi ana drach. ij. aceti vini lib. i. vini Rhenani opt, unc, iiij. decoqvantur & calidè imponantur.

XI. D. Chriſtianum Janum Concionatorem aulicum Arniſæus curabat pro ulcere pulmonum. Cum ego advenirem 19. Decembris 1634. deprehendo qvoq; tumorem pedum, femorum, duritiem hypochondr.

Incidit in enormem hæmorrhag, narium. R. Aq. portul, lib, ſ. Lactuc, nenuphar, ana unc, iij. Aq, ſperm, ranar, unc, iiij. acet, roſac, unc, ij. m. ſign. Externè.

R. Aq, plantag, centinod, burſ, paſtor, acet. roſac, ana unc, iij. trochiſc, de terra ſigillat, de carabe ana ſcrup, ij. ſpec, trium ſant, ſcrup, i. Caphur, ſcrup, ſ, m, ad vitr. In hac imbutus craſſus pannus applicetur fronti temporibus, nuchæ. Interim naribus ſugendum ſæpe & attrahendum de ſeqventi liqvore. R, Aq, ſpermat, ranarum unc, iij. aq,

 fragor,

ſragor, portulac. ana unc, ij. Aluminis crudi drachm, 1. m. ad vitr.

R. Malvæ cum toto parietar, &c. diacathol, unc, 1. Elect, lenit, unc, ſ, ol, chamom, unc, ſ. f. Clyſter.

Secundo clyſteri addebatur Elect, Eleſcop, drachm, ij. malè à chirurgo fuit applicatum & parum effecit. Cum ſecundo applicatum fuit tale clyſterium, ſexies purgabat.

23. Decembris 1634. R. Pulp, Tamarind, drachm, 1. reſinæ ſcam, ſcrup, ſ. m.

31. Decembris 1634. R. Rad, Enul, Angelic, liqvirit, ana drachm, ij. rad, alth, Taraxac, ana drachm, iij. herb, capill, Veneris ſcabioſ, Veron, pulmonar, ana m. ſ. fl. chamomill, nymph, papaver, errat, ana p. 1. fl. viol, tuſſilag, ana p. 1. ſ. petaſites p. 1. ſem, excort, melon, cucurb, card, bened, card, mariæ ana drachm, iij. jujub, ſebeſt, ana p. vj. f. decoct, coletur, ſig, decoct, n. 1.

R. Rad, glycyrr, mund, unc, ſ. paſſul, exempt, acinis unc, 1. ficuum n. vj. capill, Vener, adiant, p. v. ſem, card, bened, Mariæ, melon, ana drachm, 1. bombac, drachm. 1. ſ, Aniſi drachm, ij. f. decoct, in aq, hord, pro lib, j. in qva diſſ, ſyrup de hyſſop, capill, Veneris, de liqvirit, ana unc, ſ. oxymel ſcillit,

drach,

drach, v. m. ſig, decoct, n. 2. Hinc egregiè expectoravit & juvit.

R. Syrup, de heder, terreſt, unc, iij. ſig.

R. Sp, ſulph, acid, drachm, ij. ſig.

R. Ol, amygd, dulc, recentiſs, unc, ij. violar, unc, ſ. m. ſig, olea.

R. Balſam, ſulphur, drachm, 1. ſig.

R. Ol, ſtillat, aniſ, drachm̄, 1. ſig.

R. Syrupi de marrubio, de liqvirit, ana unc, 1. ſig.

4. Januarii 1635. R. Caſs. recens tractæ, Pulpæ Tamarind, ana drachm, vj. ſem, aniſi pulveriſ, unc, ſ. Infundantur in vino & aq, tuſſilag, p. æq, leniter bulliat pulpa, adde mannæ calabrinæ unc, 1. ſ. Iterum parum bulliant, & f. Electuar.

6. Januarii 1635 præmiſſis clyſteribus. R. cremor, tart, drachm. v. tart, vitriol, ſcrup. ij f. Magiſt, ocul, cancri drachm, ſ. magiſt, corall, rubr, ſcrup, ij. m. in 5. part, æqval, ſig. pulvis aperitiv.

R. Pulv, Haly recent, ſp. de praſſio ana dr:i, Balſ. Sulph. ſcr. ij. Tereb. pulv. dr: j. Magiſt. ocul, cancr, ſcr, i, ſacch. f. diſſ. aq, heder. terreſtr. f. confectio in Rotulis, ſig. Rotulæ pectorales.

XII. Beatæ Oligeri Gaggis uxori nobi-

 liſſi-

Digitized by Google

liſſimæ fluor albus & ſangvis qvotidie cum excrementis per anum.

R. Rad, Irid, Valerian, ana ſcrup, ij, Cyper, Enul, Campanæ a ſcrup, i, Meliſſ, Arthem, Bethon, ana drachm, ij, ſumm. Roriſmar, fl. lavend, cheiri, roſ. rubrar. ana drach, ſ. ſem, frig, major, ſcrup, ij, fol. ſenn, ſ. ſ. Unc, ſ. Mechoac. albiſſ, drach, v, Turbith, gumm, drachm, i, Zz. ſcrup, i, Myrobalan, citrin, chebul, ana ſcrup, ij, ſem, aniſ, drach, ij, f. decoct, in aq, plantag, & meliſſ, p. æq. pro lib, i, in q. infund, Rhabarb, el, drach. v, poſt levem ebullitionem detur Expreſſ, in fictili, ſumpſit aliqvot ex ordine diebus qvinq; cochlearia & bis purgabat, benè tulit. Pergam augendo doſin, 23 Sept. 1628.

R. ſem, fænicul, petroſel, ana drach, vi, Apii drachm, iij, Aniſi drachm, ij, Rad, Aſpar, Unc, i, ſ. Eupator. p. i, rad. Ononid, Unc. i, parata pro vino dentur in charta. Diureticum.

R. Fol. Conſolid, Maj, Unc, ſ. Alchimill, drachm, iij, Menthæ drachm, ij, C. C. præparat, drachm. iij. Raſur. Eboris drachm, i, Corall, præp, drachm, ij, f. pulv. ſubtiliſſ, ſig, Pulvis Aſtringens.

R. C. C. præp, drachm, ii, Raſur. Ebor, Drachm,

Drachm. i, Rad, ſymphyt. Tormentillæ ana dracm, ii, ſuccin, ſangvis draconis, corall, rubr. præp, ſem, portulac, ana drachm, i, balauſt. ſcrup, ij. boli Amen. præp. drach. ij, f. pulv. detur drachm, i, ad drachm, i, ſ.

R. ſuccin. ſangvis draconis, lapid. hæmatit. præp, corall, rubr, præp, ſem, portulac, ana drachm, i, balauſt, ſcrup, ij, Terræ ſigill, drachm, i, ſ, Trochiſc, de Carabe, de Terra ſigill, ana ſcrup, ii, ſ. C, C, præp, drachm, ſ. f. pul. in 8. part. æqval.

R. Rad, Chinæ Unc. i, Tormentill. conſolid, Maj, ana drachm, vi, Caryophyllat, ſaſſafras a drachm, iij, herb. ſalviæ chamædr, Alchimill, veronic, ſanicul, ana m ſ fl. verbaſc. hyperic, a p. i, parata pro vino dentur in charta, 7 Maj 1629.

R, Agrimon, beton, ana p. i, matricar, roſ. rubr. ana p. i, ſem lini, aniſi ana drach, i, Maſtich, ſcrupul, ii, f. decoct. ex aq, hordei benè coct. pro Unc, v, f. Injectio in uterum, 13 Junii 1629. Ratione putredinis adde card, bened, ſcabioſ, veron, Torment, &c.

24. Julii 1629. R. Hordei mund, Unc, ſ. lent, drach, ii, beton, Agrimoniæ ana p. i, Matricar, biſtort, Roſ, rubr, ana p. ſ. f. decoct. pro

Digitized by Google

pro Unc, ix, detur colatura pro imbuendis peſſis.

R. Rad, Altheæ Unc, i, fol.malv, m. i, flor, Cham, Melil, Aneth. ana p. i, matricar, p. ſ. ſem, aniſ, drachm, iij, f. decoct. in brodio vel lacte cocto recenti pro lib, i, in q. diſſolv. vitell. ovorum, n. ij, ol, lilior. alb. Chamom. ana unc, ſ. ſacch, Thomæ drach, iij, f. clyſter, 28 Maij 1629, eduxit bis & optimè tulit cum levamine. Iterum uſa eſt, 2 Junii & retinuit 12. horas ſed nihil eduxit.

R, Aq, hyſteric, unc, v. Elixir propriet, drachm, vi, Uterin, Croll, ſcrup, iiii, ſp. Vitrioli ſcrup, ſ. Cremor Tart, drach, i, ſ. ſuccin, drachm, ſ. f. Miſtur. Juſſi ut primo ſumeret 30 guttas, & poſtea auctius.

XIII. Nobiliſſ. Anna Lycke laborat ſuffuſione oculorum amborum. 15 Aug. 1634.

R. pulp, Tamar, drachm, i, Reſ; ſcanim, ſcrup, ſ. m. qvinqvies commode purgabat.

R. Cantharid, præp, ſcrup, v. ferment, acris drachm, 1. ſ. ſinap, gr, xv. ſem, Am, ſcrup, ſ. cum aceto ſcillit, f. paſta ſig. veſicator.

R. Ol. nuc. moſch, exp, drach, ij. ol. ſtillat, rutæ, ſalv, ana ſcrup, 1, major, ſuccin. ana

ana ſcrup, ſ. m. ad lentum ignem. Sig. Hoffvid Balſom.

R. Conſerv, beton, anth, ana unc, 1. fl. calend, unc, ſ. mithridat, ſcrup, iiij. ſ. ſpirit, vitrioli ſcrup, ſ. m. ſig, Hoffved-Sterckning.

R. Rad, Valerian, unc, 1. herbar. rutæ, beton, cardobened, fænic, ana m. ſ. Euphraſiæ m. 1. parata pro vino dentur in charta, huic addidi ſyrup, roſat, ſolut, ad laxandum alvum unc, iiij.

R. Anthos, baſilic, ſtoechad, ſummit, majoran, ſalv. ana m. ſ. maſtich, thuris ana drach, una. Nuc, moſchat, macis ana drachm, ij. Gariophyll, drachm. 1. ſ. ſemin, nigell, ſcrup, iiij. Benzoin. drachm, 1. parata pro cucupha dentur in charta. 28. Auguſti 1634. valdè placet.

2. Septembr. 1634. R. Miſtur, ſimpl, unc, 2. ſ. aq, fl. borrag, unc, 1. ſ. cinam, c. fl. cordialib, drachm, ij. Extr. Valerian, unc, ſ. pæoniæ, Gariophyllat, beton, meliſſ, ana ſcrup, 1. Eſſent. fl. Anth, liliorum convall, calendulæ tunicæ ana ſcrupulum ſ. ſyrupi è ſucco viol, acetos, citr, de betonica ana unc, 1. miſta digerantur per biduum, de hinc per chartam emporeticam colentur & dentur

ad

Digitized by Google

ad vitrum. Detur cochleare unum cum vini Rhenani cochlear, duobus.

XIV. Pro Generoſa Sophia Rantzow gravida cum variolis. 2. Maji 1635.

℞. Elixir, Tychon, gutt, xiv. in aq, cardui bened, ter accepit.

℞, Malv, bismal, ana m. 1. rad, lilior, unc, ſ. fl. chamom, violac, ana p. 1. ſem, aniſ, drachm, ij. f. decoct, in brod, pro unc, x. in qvibus diſſolv, caſſ, pro clyſter. unc, 1. ol, cham, unc, ſ. m. f. clyſter. Rectè operabatur & placuit. 9. die morbi expulſis variolis.

Pro gutture ne nimium expellerentur.

℞. Aq, hord, lib. ſ. aq, plantag, unc, 1. ſyrup, myrtin, diamoron ana unc, ſ. m.

Pro dolore guttur. ℞. Emulſ, amygd, dulc, unc, v. vitell, unius ovi, Incoqvantur Caricæ 2 inciſæ. placuit.

XV. Nobiliſſimus Joachimus Beck ſtipatus alvo dies octo.

℞. Rad, lil, alb, unc, ſ. fol, malv, bismalv, parietar, ana m. 1. fl. cham, roman, violar, ana p. 1. ſem, anis, drachm, ij. f. decoct, in brodio inſulso pro lib. 1. in qva diſſolv,

ſolve diacath, caſſiæ pro clyſter, ana unc, ſ. vitell, ovi n. 2. ol, cham unc, ſ. f. clyſter, ſumpſit priori die caſsiæ rec.tract, drachm, x. Habuit 18. ſedes, ſed non debilitabatur. 14. Maji 1635.

Non reſpondebat alvus niſi ſollicitata clyſtere. Ideò ordinavi hoc Electuarium.

R. Caſs, recens tract, pulp, Tamar, ana unc, 1. ſem, aniſ, pulver, unc, ſ. Infundantur in vino & aq, violar, p. æq. bulliant parum, adde mannæ calabrin, unc, 1. ſ. Iterum parum bulliant & f. Electuar, 20. Maji 1635.

Pro ſomno conciliando. R. Laudan, opiat, gr. v. opii Thebaic, gr. iij. ol. ſtillat. nuc. moſch. gutt. iij f. nodulus in ſindone appenſo filo. 23. Maji 1635. Detinuit in nare ſemi hora & ſic abjecit.

XVI. Axelio Brahe Tych. fil, catarrhus ſuffocativus per aliqvot annos duravit & ſubinde decumbit ut loqvi neqveat, 24. April. 1636.

R. Conſerv. Anthos drachm, ſ. Reſin. ſcamm. gr. viii, m. qvinqvies largiter purgavit absq; debilitate & valde placuit.

R. Conſ, Anth, Unc, unam, Roſar, rubr, fl, pœoniæ, ſalv, majoran, ana Unc, ſ. Rad, Gary-

Digitized by Google

Garjophyll, pulv, drach, iii, miſtur, ſimpl, drach, i, Eſſent, Anth, lilior, convall, Calendul, ana ſcrup, i, cum ſyrupo Violac, f, Electuar, 28 Apr. 1636.

XVII. Filiæ Matthiæ Johannis Conſulis laborat peſte.

R. Elixir Tychon. peſtilent, gutt, vii,
Acet, theriacal, drachm, i, ſ.
Aq. Card, Bened. Unc. ſ.
m.

Dedit ei qvotidie ferè bis per qvatuordecim dies, & convaluit, ſtatim protruſo bubone.

XVIII.

Chriſtophorus Pax, 15. ætatis anno, poſt febrem valdè emaciatus erat inſtar habitus hecticorum ferè, alvus ſicca & reſtitat, dolet ventriculus & nauſeat, appetitus proſtratus, durus erat circa abdomen & præſertim in latere ſiniſtro ut lien durus videretur, ſed dato purgante ceſſabat ille tumor, unde puto tumorem illum & duritiem abdominis fuiſſe à fæcibus retentis.

R. Rhabarb, El, drachm, ij, Tart. crud. pulver, ſcrup, i, f. Infuſio. dedi tres partes Infuſi,

fuſi, non purgabat, ſed ſemel ſolvebat alvum.

Altero die dedi ſyrup, diaſer, 2 pl. purg, Unc. i, nec niſi bis purgabat, ſed evomuit magnam copiam pituitæ, & benè tulit. Auctior alias doſis eſſe poteſt.

XIX. Cancellarii filii Eliſæ, laboranti lienis tumore, 20 Jan. 1626.

R. Rad, Alth, Unc, iii, Malv, m. ii, fl. Melilot, chamæmel, ſambuci ana p. i, Ceterach, p. ii, Cort, Capp, Thamariſc, ana unc, ſ. ſem. lini, fænugr, ana drachm, iii, Inciſ, & cont, dentur in charta.

R. Ol, Amygd, dulc, lilior, alb, Capp, ana Unc, i, aceti acerr, drachm, vi, bulliant ad conſumpt, aceti, adde ammoniac, aceto ſambuc, diſſol, ſcrup, ii, pingu, cervin, drachm, ii, Cum Cera f. lin.

R. Empl, de Melilot, Unc, iii, diachyl. ſimpl, Unc, i, cum ol. Capp, malaxentur. ſig, Emp.

XX. Nobil. Matronæ Eliſabethæ Olai Roſenſpars, 23. Sep. 1625. Urinæ ſedimentum eſt nigrum, crebrius ſolito reddit urinam cum aliqvali ſed levi admodum acrimonia.

 R. Salis

R. Salis ſuccini drachm, i. Magiſt. oculor, cancr. drachm, i, ſ. m. ſig, i, capiat qvantum parvum dimidium putamen nucis avellanæ continere poteſt, in duobus cochlearibus. Hujus R. Syrup, de Alth, Fernel, lib. ſ. ſp. Vitriol, ſcrup, ii, Tartari Chriſtallin. pulv, drachm, i, Aq. malv, ſymph, ana Unc, i, m, ſig. 2.

R. Terebinth, præp, drachm, iij. f. pil, n, xv. pro drachm, 1. capiat ſeptem pro vice.

R. Tartar, Chriſtallin, unc, iiij.

XXI. Nobiliſſimus Andreas Lindenow laborat eryſipelate in crure annos natus 21. 1. Aprilis 1625.

R. Rhabarb, el, drachm, ij. Tart. criſtallin, ſcrup, 1. aq, cichor, unc, iij. f. infuſio & poſt levem ebullitionem & fortem expreſſionem adde el, de ſucco roſar, drachm, ij. ſ. f. p. brevis, octies commodè purgabat, & valdè placuit. Interpoſito die, præſcripſi ſudoriferum. R Rhob Ebuli drachm, 1. ſ. mithridat, ſcrup, 1. Aq, ſambuci unc, ſ. ſpiritus vitrioli gutt, v. m. ſig, ſudoriferum. Largiter ſudabat.

R. Phlegmat, vitriol, unc, iiij. Aq, ſpermat, ranar, unc, ij. aq, ſambuci unc, 1. ſ. m.

Appli-

Digitized by Google

Applicabatur per petias intinctas & egregiè juvit,ut 6. Aprilis ferè ſit ſanatus.

XXII. Pro Diderico Baſchero, graviſſima inflammatione oculi laborante, pus & ſangvis effluxerunt. 20. Auguſti 1628.

R. Aq, Euphraſ, unc, ij. ſacch. tart, ſcrup, 1. m.

R. Fabar, alb, unc, 1, ſ, Thur, unc, 1, Caphur, drach, ij, alumin gr, xv, croci ſcrup, 1, ſ, pulv, ſubtiliſs, per cribrum, 22 Aug.

Pro ejusdem ingenti defluxione in oculo.

R. Fol, Euphraſ, unc, ſ, rad, fænicul, unc, 1, gariophyll, drachm, iij, Beton, verben, majoran, ana drachm, ij, anthos drach, 1. ſem. fænicul, drachm, ij, parata pro vino dentur in charta.

R. Succor, depurat, fæniculi, euphraſ, verben ana unc, -, ſ, majoran, rutæ, ana unc, 1, ſacchar, lib, ſ, decoq, ad conſiſtent, addendo conſerv, anthos, euphraſ, ana unc, ſ, fl, ſalviæ, ſtœchad, ana drach, ij, nuc, moſch, cond, n, 2, Cinam, drachm, iij, macer, drach, 1, ſiler, montan, drach. 1, ſem, fænicul, drach, 1, ſ, cubebar, ſcrup. ij, rad, Chelid, ſiccæ vel fol, ejus drachm, 1, roſat, novell, Drachm, ſ,

 ſp, di-

ſp, diambr. ſerup, 1, m, ſ, elect, capiat poſt paſtum cochlear 1.

XXIII. Nobiliſſima Johanna Höeg laborabat tumore in dextra mammilla & dolore qvi ſubinde ingruebat & brevi deſerebat & ratione menſtrui videbatur habere circuitum.

R. Cataplasma Plateri 833, & Varand, p, 432, & emplaſtr, in Obſ, Hildani Centur, 3, in 8. pag, 127, vide eundem p. 367.

XXIV. Magnus Pax 6, Septembr, 1614, conqverebatur de inappetentia & ſtomachi ſubverſione, initio vomuit aliqvoties, in poſtico ſenſit dolorem contundentem, lecto ſe emittere non potuit propter capitis dolorem. Urina erat crocea & poſtea turbabatur. Item urina induſium inficiebat colore ſubrubeo ex flavo langveſcente. Pulſus laudabilis, facies ad flavedinem tendebat, aliàs bene valere ſe affirmavit.

R. Elect. de ſucco roſar. Diaphæn. ana drachm. ij. ſ. inde habuit 9. ſedes.

Seqventi nocte angebatur valdè & evomuit bilem viridem, ſeqventi die nempe ſecunda à dato pharmaco habuit 18. ſedes nocṭu

ctu ſeqventi 10. die ubi natura jam deſiit ſeſe expiare, iteravi purgationem inde habuit 8. ſedes manente urina turbida. Iteravi pharmacum, unde habuit 7. ſedes, tandem ubi decubuerat 12. dies meliuſculè habuit & cibum appetere incipiebat.

Commiſit ſe aëri & ambulando nimium ſeſe fatigavit, unde reſidiva, obſtructionibus hepatis & venarum meſaraicarum absq; dubio laborabat, urina eodem modo qvo prius induſium inficiebat, denuo purgo, manet morbus & urina ſimiliter tincta & poſtea turbatur. Dedi ter decoctum radicum Aſparag. & tunc ſangvinem per ſeceſſum excernebat qvater & ſic ſanus evaſit.

XXV. Nicolaus Baſſe laborat morbo Ungarico.

R. Raſur. C. C. uſti drachm. v. in lib. vj. aq. fontanæ ad conſumpt. lib. 1. ſ. Julap. roſac. unc. iij. f ſp. ſal. q. ſ. ad gratum acorem, ſig. Julep.

R. Raſur. C. C. uſti drachm. vj. ſem. & cort. citr. ana drachm. 1. ſ. ſpec. liberant. ſcrup. iiij. coq. ad conſumpt. lib. ſ. R. col. lib. ij. ſucc. limon. depur. unc. v. f. ſ. a. Julep.

S. Julep. bezoarticum.

 R. Rob.

Digitized by Google

R. Rob. de rib. unc. ij. ſp. liberant. drachm. ij. Aq. roſar. fragrantiſs. citri ana unc. ſ. Conſ. roſ. recent. drachm. vj. Carn. citri unc. ſ. Sp. ſalis ſcrup. ſ. cum ſyrupo de acetoſ. citr. f. mixtura liqvida inſtar conditi. 5. Auguſti 1618.

Admodum erat debilis, adeò ut ſolus incedere non poſſet, qvin duobus ſuffultus deducebatur, per ſex integros dies nihil comedebat, urina rubra prorſus inſtar vini rubri gallici. Pulſus aliqvando intermittebat. Præſcripſi tamen ipſi hoc.

R. Rhabarb. elect. drachm. iij. infundatur in aq. cichor. & factâ levi ebullitione f. expreſſio, cui adde El. de ſucco roſarum drachm. ij. ſ. f. hauſtus. Prima die ſexies dejecit, & cum antea valdè fuiſſet debilis ſub veſperam debilior valdè evaſit, ut metuerem ne nocte moreretur, ſeqvente die eodem purgante adhuc ter dejecit & meliuſculè ſenſit, ut meliorem tum conciperem de ipſo ſpem. Urina ante clara & rubra inde turbabatur & nonnihil remiſit de colore. Erat autem 14. dies à morbi initio qvo die purgabam. NB. hunc caſum.

Aqva Antiſcorbutica ejusdem TANCREDI LÆLII in Diſpenſatorio Hafnienſi deſcripta

pta eſt, qvo benevolum lectorem remittimus.

LOCULUS XLI.

De Morbis inter nautas Regios graſſantibus Medicorum Conſilium.

Ex mandato Ser. Reg. Maj. clementiſſimo jubemur in commune deliberare, qvis ille ſit morbus qvi in holmia inter naucleros Regios graſſatur, & medicamenta qvæ ex uſu eſſe poſſunt, Chirurgo ad id ſtipendio conducto communicare, deniq; pretium ſingulorum determinare, qvo medicamenta à Pharmacopola vendi debeant. Paruimus obſeqventiſſimè, & per Chirurgum Mag. Michaelem Dalemannum in ſingula inqviſivimus, deprehendimusq; præter alios toto anno hinc inde morbos ſporadicos, tuſſim, ſcorbutum, diarrhæam, dyſenteriam, &c. inprimis hoc tempore per univerſam provinciam graſſantem febrem malignam & contagioſam. Cui ut obviam eatur, pro horum hominum conditione, credimus ſeqventia commodè à Chirurgo poſſe adhiberi.

1. Qvamprimum qvis eo morbo inficitur, debet illi exhiberi ſeqvens ſudoriferum.

R. Diaſcord. Fracaſt. Drach. ij.
Aq. Card. Bened.
Scabioſ. an. unc. unam ſem.
M. f. Potio, pro ſolidis danicis decem.

Hæc potio qvæ mediocri ætati & robori eſt accommoda, poteſt minori vel majori doſi propinari, pro varià ætatis & virium ratione. Poſtqvam largè ſudaverit in calido cubiculo, & benè abſterſus, poſſumus ad roborandas vires dare ægro aliqvid juſculi calidi:

2. Deinde Chirurgus exhibeat ægro purgantem medicinam, & percommoda eſt illa, qvam Facultas Medica præſcripſit tempore peſtilentiæ aſſumenda:

R. Diaphæn. Drachm. ij.
Tryph. Perſic.
Elect. de ſucco Roſ.
De Pſyllio an. Drach. un. ſem.
Aq. Card. Bened.
Acetos. an. Unc. Unam ſem.
Syr. Acetos. citr. Unc. unam.
m. f. Hauſtus pro ſolidis 22.

Etiam

Digitized by Google

Etiam hic potus, pro ægrorum condi-tione, vel majore vel minori doſi, ſicut ante dictum, temperandus.

3. Si æger ſit plethoricus, poteſt mediana aperiri, vel vena Cephalica dextri brachii, ubi vehementes capitis dolores urgent, & tantum ſangvinis extrahi, qvantum eſt neceſſe. Advertendum tamen eſt, ut & medicamentum purgans & venæſectio adminiſtrentur intermittente die, ſi febris intermittat.

4. Si necdum remittat febris, repetendum eſt prius ſudoriferum, qvo copioſe ſudet, idq; ſi opus, bis vel ter iteretur.

5. Inprimis providendum, ut boni cibi, potus, munda linteamina procurentur, nec niſi ſinguli ægri ſingulis lectis includantur, ut commodè ſudare qveant & detergi.

6. Qvod ad præſervationem attinet illorum, qvi adhuc ſani ſunt, poſſunt illi uti iis remediis, qvæ facultas Medica pro peſtilentia propoſuit, nempe pilulas Ruffi, pulverem diaſenæ, electuarium utrumq; præſervativum, (ex precioſiore veniunt drachmæ qvatuor, qvatuor ſolidis, ex viliore drachm. iiij. duobus ſolidis.) pulveres, trochiſcos & rotulas ad ſuffumigia & aëris cubiculiq; purifica-

Digitized by Google

tionem, ſecundum precium in Regio diplomate notatum.

Breviſſimè hæc ſignavimus ſecundum conditionem hujus generis hominum pauperiorum, qvibus ſumptus non ſuppetunt in emendis variis medicamentis, nec ſervare poſſunt qvæcunq; de ſymptomatum curatione fuſius aliàs exponi deberent. Hafniæ ex Conſiſtorio die 5. Novembr. Anno 1640.

Hoc Medicorum conſilium rectè accepi
MICHAEL DALEMAN mpp.

LOCULUS XLII.
De Pſora Scorbutica.

EXternus ille morbus contagioſus, qvi in Reg. Majeſt. Pædotrophio graſſatur, & de qvo Reg. Maj. expetit Medicorum informationem, vocatur PSORA SCORBUTICA, vel ſcorbutica contagioſa ſcabies, generata ex impuro ſcorbutico ſangvine, & fomentata per infectorum continuum commercium in lectibus, ita ut illi qvoq;, qvi ſani in Pædotrophium admittuntur, à reliqvis intra paucas

paucas hebdomadas pari modo inficiantur. Qvi morbus ut curetur, reqviritur

1. Ut unusqvisq; munditiem amet in veſtibus, tam qvibus qvotidie amicti utuntur, qvam qvibus nocte dormituri incubant, & ut pro neceſſitate ſæpe ſæpius renoventur & varient, & ut ſingulis ſuus ſolis ſit lectus.

2. Deinde ante omnia ſervanda illis eſt bona & ordinata diæta, præ ſanis reliqvis.

3. Sæpe expurgari debent commodis medicamentis, pro cujusq; temperamento, ſicut hactenus factum, nempe Sena Agarico, Turbith, Hellebor. nigro &c. inprimis Vere & Autumno, non neglectis Antiſcorbuticis immiſtis, qvæ in hujusmodi affectibus aliàs neceſſaria ad ſangvinem purificandum, & nonnunqvam in ſubſidium advocatis Mercurio & Mercurialibus.

4. Qvi per vires & ætatem venæſectionem admittunt, debent pro cujusq; neceſſitate ſingulis annis venam ſibi aperire, ut ſangvis ventiletur, & natura parte ſangvinis impuri exoneretur.

5. Tum deveniendum ad balnea, ſudoriſera & cucurbitulas, item ad inunctiones & emplaſtra qvæ cutem & ulcera mundant & ſanant.

6. Ad

6. Ad hunc ſcopum aſſeqvendum reqviritur ut ægri ſinant medicamenta in locis affectis aliqvandiu manere, ut vires ſuas exſerant, ne ante tempus auferant, ſed negotium hoc Chirurgo relinqvant.

7. Æqvum qvoq; eſt, ut qvibus brachia & pedes exulcerati ſunt, à gravioribus brachiorum & pedum laboribus abſtineant, donec ſanitatem recuperaverint.

Hafniæ Anno cIↄ Iↄc XL.

LOCULUS XLIII.

Defenſio Curæ febris Petechialis D. Krugkii.

In nomine Jeſu Chriſti, Servatoris & Salvatoris noſtrum omnium unici!

QVod Deus ter optimus, ter maximus benè vertat, juſſus à Regiâ Majeſtate Danicâ (Patriæ Patre fideliſſimo, Clementiſſimo, injuſtiſſimorum Hoſtium victore potentiſſimo, feliciſſimo, glorioſiſſimo) per illuſtrem Cancellarium magnum, Magnificum Dominum; Dominum CHRISTIANUM THO-

Digitized by Google

THOMÆUM &c. rationem reddere Curationis, qvam Schlagloſiæ præſtare debui, volui, Nobiliſſimæ, & virtuoſiſſimæ, dum viveret, Virgini, Abel Bruſke/ humilimâ obedientiâ, ut par eſt, obtemperaturus, ea, hac vice, breviter in Chartam conjiciam, qvæ pro re natâ, lociq; & temporis conditione poſſum, manifeſtæq;, meo judicio, ſunt fidei. Omnia, ſi opus alio tempore, vel ore tenus, vel ſcripto, prolixiùs diducturus, expoſiturus, demonſtraturus.

Res autem ita ſeſe habet, qvemadmodum ipſa Mater, generoſus Sponſus, Paſtor loci, DN. M. Petrus Willadus, Adſtantes & Miniſtrantes, apprimè verò Deus & Conſcientia mihi ſunt teſtes:

1. Anno 1644. 27. Junii, miſſis, curru, & literis, ſub lit. A. appoſitis, Sorâ vocabar.

2. Relictis aliis, qvibus tum immerſus eram, & honeſtè me excuſare potueram, curis & negotiis omnibus, & aſſumto (qvod ſemper mecum circumferre ſoleo) (qvia de ſpecie morbi nihil certi patefactum erat, aut conſtabat) pharmacothecio proprio, actutum veniebam.

3. Hora, ni fallor, diei nona, aut decima erat, qvando aderam, morbi dies ſextus.

4. In-

4. Inveniebam Virginem, pravis humoribus, præſertim ſeroſis, ſalſis, bilioſis, & atrabilariis, impuroq; ſangvine, undiqvaq; refertiſſimam, febricitantem, maculisq́;, pulicum morſus (puncturæ veſtigium ſi excipias) referentibus, rubris, flavis, purpureis, nigris, in brachiis, pectore, dorſo, repletiſſimam.

5. Pulſus erat parvus, debilis, varius, intercidens. Urina craſſa, turbida, rubicunda. Facies à ſtatu naturali mutata multum. Perturbata, debilitata omnia.

6. Adhibita erant prioribus diebus, proprio judicio & conſilio inventa & ordinata varia.

7. Symptomata, præſertim virium imbecillitas, qvàm pro Febris, & febrilis caloris ratione & naturâ, graviora, vehementiora omnia.

8. Mater & Filia timidæ. Et illa Mortis, vel auditæ ſaltim, hac, impatientior longè.

9. Conveniens purgatio, & Venæ ſectio primis diebus, pro allevamento Naturæ, fuiſſet utilis, & neceſſaria. Sed, hoc tempore, hoc rerum ſtatu, impoſſibilis, inconſulta.

10. Mor-

Digitized by Google

10. Morbum mitem videri, ſed fraudulentum eſſe, & periculoſum, cognoſcebam.

11. Macularum multitudinem (& qvidem ſymptomaticè, à principio ſtatim egreſſarum) pro ſufficientis evacuationis ſigno non habebam.

12. Reputabam potius, majoris pravæ materiæ copiæ argumentum.

13. Qvippè cætera, ut dixi, non erant bona.

14. Summum vigorem, proximè inſtantem, mortem excepturam metuebam.

15. Qvid ergò facere debuiſſem? Alium Medicum accerſere teſtem? Vetabat abſentia longinqvior, more periculum. Diſſvadebat nobilium perſonarum timor. Subibat: nonnullas ſolâ imaginatione, & timore, in peſtem incidiſſe. Pravis, procul dubio, humoribus ad Cor revocatis, & ibidem concentratis. Nonnullos confeſtim ſuffocatos.

16. Eâ ſolummodo Medicinæ parte uti, qvæ prognoſtica appellatur, & abire? Sed, tum, ultra incommodum poſterius, ad minimum audire debuiſſem Crudelis, aut, planè, deſertor, &, ob hoc, homicida proclamari, & fortè accuſari.

17. Qvid ergò feci? Cum diſcrimine famæ

famæ & exiſtimationis meæ maximo (ut tum dubiè, nunc manifeſtò conſtat) ægrotantis ſalutem promovere annixus ſum.

18. Eloqvebar primò morbi ſpeciem, Reverendo Domino Paſtori, qvem ſupra nominavi, latinis verbis, qvæ cum putridâ bile, & atra bile, potiſſimum, petechialis erat. Innuebam: non carere periculo, nec tam mitem eſſe, qvàm ille ſcripſerit, aut videatur.

19. Poſt horam unam, aut alteram, Matri à Filiâ remotæ, idem morbi nomen detegebam. Periculum tamen ſubticebam.

20. Deindè, Deo precibus, Naturæ & Arti, ſubminiſtratione convenientium, & tutorum medicamentorum, negotium committebam.

21. Et, qvia optimum inter reſtantia, judicabam, qvod Naturam, vitioſam materiam, ad peripheriam corporis, & ſic, à majoribus vaſis ad minora, protrudere, viſceraq; eo modo liberare conantem, animadverterem, tanqvam Miniſter, eam, neqvaqvam impedire, ſed, pro virili adjuvare volui.

22. Juſſi igitur, Ægram in lecto mediocriter calido detineri.

23. Propinavi pulverem cordialem expellentem, ex granis aliqvot lapidis Bezöar

veri

Digitized by Google

veri & orientalis, (qvem integrum ad manus habebam,) & expellentis mei (ex unicornu, Magiſt. Margar. corall. Cc. & aliis conſiſtentis,) confectum. Qvem in noſtro pharmacopolio ordinavi, & in qvam plurimis magnarum virium deprehendi. Pro vehiculo utebar tantillo julebi ex aq. ſcab. flor. Calendul. fruct. rub. Idæ. & ſyr. gran. confecti.

24. Idem medicamentum, ſecundâ vice, die eadem repetebam. Et unà rotulas liberantis per intervalla ſumendas, exhibebam.

25. Victum imperabam tenuem, potum tepidum.

26. Pro temperando collo, & Epate, Emplaſtrum de meliloto vulg. imponebam.

27. Ad revellendum à capite ſub pedum concavo Emplaſt. ex ferment. vet. aceto, ſal. & ſapon. venet. collocabam.

28. Os aq. roſ. acet. & Zacch. (qvia aliis deſtituebar) ſemel atqve iterum purgari curabam.

29. Aërem in conclavi baccis Junip. & aliis alteravi.

30. Animumq; & Matri, & Ægrotæ, boni eventus promiſſione, addebam.

Ita curatio, parte ſextæ diei, qvâ aderam, peragebatur.

Digitized by Google

31. Sub crepuſculo veſpertino (qvia plura medicamenta in promptu habere deſiderabam) relicto pulvere, mane exhibendo, & ordinatis aliis peragendis omnibus, ipſus Soram abibam, & in præſentiâ meâ decoct. Scorzoner. & alia (qvæ ibi oſtendi, ſi opus, poſſunt) præparari curabam.

32. Summo mane reverſus, Virginem, clam Matre, ἐφοδίῳ ſacratiſſimo Corporis & Sangvinis Jeſu Chriſti cibatam: Et Sponſum nobiliſſimum, (à judicio & candore paratiſſimum, mihiq; hæc antea notiſſimum & Amicum) aſſidentem, non ſine gaudio, offendebam.

33. Cum generoſo Sponſo, paululum de Morbo, & aliis, locutus, pulſum Ægrotæ, & alia explorabam. Et cum mediocria omnia deprehendebam. Et, præterea, ſudorem ſatis copioſum, & naturalem, animadvertebam, non nihil ſpei concipiebam.

34. Qvam, majorem, qvam in me erat, cum aliis, ſolùm in ſalutem decumbentis, & ſolatium Matris, & futuri Conjugis, verbis communicabam.

35. Regioni cordis interea, & pulſibus, extra, qvæ venenum averruncarent, malignitati reſiſterent, cor recrearent, ſpecies *dia*

marga-

Digitized by Google

margariti frigidi, ad hos fines, & facultatem vitalem reficiendam, commendatiſſimas, in aceto rutaceo madefactas, teporatas, apponebam.

36. Ultra pulverem, præcedente veſpere derelictum, paululum de Elect. confort. nonnunqvam aliqvot rotulas liberantis, exhibebam. Decoctum qvoq; ſcorzoneræ loco potus, tepidè aliqvoties propinabam.

37. Ipſe, totâ penè die aſſidebam, & luctam naturæ & morbi obſervabam accuratè, & ubi poteram, & neceſſe erat, naturæ conſolatione plenis verbis, & factis ſuccurrebam.

38. Crica meridiem, qvaſi deſperaret, de tantæ materiæ, per ſolum ſudorem, evacuatione, Natura qvoq; ad alvi fluxum convertebatur.

39. Qvem ex ea ratione inhibere nolui, qvod criticus & ipſe videbatur, nec modum excedebat.

40. Alterantibus igitur, & malignitati reſiſtentibus, inſtabam.

41. Tempore cænæ cibum poſtulabat. Qvem etiam concedebam.

42. Sed, non ita longum poſt, eo aſſumto, dum nos alii ſuper menſa eramus, diſparent peticulæ ad unam penè omnes.

 43. Vel,

43. Vel, qvod robur naturæ non amplius erat, & cibo (licet pauco & ſatis tenui) coqvendo, & materiæ malignæ ad exteriora propellendæ.

44. Vel, qvod viribus morbi jam planè ceſſerat, & appetitus non naturalis, ſed ſolùm, ex ſumma imbecillitate proficiſcens, fictum qvid, & præter naturam qvaſi ſugillans, fuerat.

45. Materia nimirum, qvæ prius ad ambitum corporis ferebatur, intrò rurſum, ad caput, cor, & alias partes internas, vergente.

46. Qvemadmodum in morituris, præſertim hoc morbo, hoc & aliis temporibus ſæpiſſimè fieri obſervavi, & ab aliis obſervatum audivi.

47 Nuncio igitur de eo accepto, de menſa ſtatim proſilio, & ad conclave, in qvo virgo erat, accurro.

48. Qvem, renuentem, licet, tamen, & Sponſus, & Mater, ſeqvebantur.

49. Diſparitionem puncticularum video, pulſum planè debilem ſentio.

50. Spem, vultu & verbis, qvantum poſſum, ſimulo, dolorem altum mente premo.

51. Ad

Digitized by Google

51. Ad remedia tamen potius, qvam ploratum confugio.

52. Frictiones extremorum ilicet inſtituo. Epithemata renovo. Pulverem cordialem & expellentem cum julebo, reitero. Verbis conſolatoriis ſuper ea re contriſtatos, & perturbatos, erigo, promiſſionibus firmo. Reliqvum iterum Deo & naturæ committo.

53. Adſtamus aliqvandiu, videtur virgo vires paululum recipere, loqvitur hilarius! Ad hypocauſtum viciſſim amandamur.

54. A cænâ viſitamus. Ad decimam manemus. Tum, neſcio qvâ de cauſâ, diſcedere cogimur.

55. Circa undecimam viſito iterum. Ad ſomnum ſe componere expetit. Concedo. Qvî enim aliter poteram? qvî debebam?

56. Adſtantes (qvæ numero multæ erant, diligentiâ laudabiles) ut officium ſuum ſedulò faciant, ad moneo.

58. Si obſervent aliqvam in virgine mutationem me ſtatim ad futurum, vocatum, promitto.

58. Diſcedo, & in proximo cubiculo, ut eram, indutus veſtibus, ſuper lecto, per horam, inſomnis recubo, vocor, adſum.

Agonizantem, & mentis non amplius ſatis compotem conſpicio. Aqvæ apoplecticæ (ne qvid intermiſſum videatur) non nihil, interius, & exterius, pro refocillatione, applico. Sed incaſſum.

59. Ibi verò Matrem & Sponſum properis acciri jubeo nunciis. Qvibus accedentibus, & matre horrendum inmodum, ejulante, & capillos inſolabiliter vellicante, brevi mortua eſt, placidè & beatè.

Et hæc etiam, qvæ egi ſeptimâ die. Et eventus morbi.

60. In qvibus omnibus, ſi qvid peccatum ſit, id eſſe oporteret, qvod inſtantis mortis patefactione, ululatus iſtos non paulò citiùs concitârim, &, ita morbo, contra naturam, ſuppetias tulerim, aut potius palmam, ante ſummam & extremam neceſſitatem, tradiderim, occaſionemq;, ut aliæ (nobiles forte matronæ) convocatæ, in præſentiſſimum contagionis periculum conjici potuerint, ſubminiſtrârim.

61. Qvod enim de herbis refrigerantibus, lecto, & corpori fertur applicatis, fabula eſt, honeſtis, apprimè verò Regiis, auribus indigniſſima. Gravius non dicam.

62. Sa-

62. Salignos ramulos aliqvot ſextâ die, ad aërem, pro conciliando ſomno, aliqvantulum disponendum, exemplo magnorum Medicorum, in lecto ligneo, longè ab Ægrotæ corpore, circum circa figi curavi.

63. Et, ſi qvid aliud cum herbis præterea factum (de qvo tamen valdè dubito, & in memoriam certò revocare neqveo.) unum atq; alterum lactucæ, eadem intentione, temporibus & fronti Ægrotantis, eodem die ſexto, applicatum fuit folium.

64. Ex qvo tamen (ut res ipſa clamat) nihil mali ſentire potuit, nihil ſenſit.

65. In reliqvis omnibus (qvantum Ego qvidem judicare qveo) arbitror, me, omnium æqvorum rerum æſtimatorum calculo, fidelis non tantũ, ſed & prudentis, & circumſpecti, Medici (ut citra jactantiam ita loqvi liceat) officium impleviſſe, aut implere ſaltim voluiſſe.

66. Et, ſi aliud de me ad Regiam Majeſtatem ſit delatum, delatores ſuo Exemplo veritatem juſtiſſimæ confirmare qværimoniæ, qvam divinus Hippocrates jam dudum de indigniſſimâ nobiliſſimæ Medicinæ, &, ejus peritorum, Medicorum habuit miſeriâ, ubi ſcriptum reliqvit: In arte medicâ, qvæ rectè

 fiunt,

ſiunt, plerumq; qvidem hominum vulgus non admodum laudat. Sæpè verò Diis attribuit. At, ſi in aliqvo repugnans natura, eum, qvi curatur, interemerit, Numen prætermittentes, Medicos incuſat.

67. Aut qvod alius habet: Calumniam, ſuper invidia, odio, aut ſimili affectu radicatam, nullas vereri fores, qvovis gladio ancipite eſſe penetrantiorem, nulliq; rei, neq; poſſeſſioni, neq; famæ, neq; vitæ ipſi parcere.

68. Contra qvæ mala, in peregrino loco, remedium ſi mihi extaret nullum, patienter, & æqva nimiter, ferrem, & Dei,

ὅσ ἔχει ἔνδικον ὄμμα,

Committerem, Vitam, Rem, Decus
Arbitrio unius, qvi
Animi mihi ex ſententiâ
Confecta redderet omnia.

69. Verum enim verò, ſi tale qvid factum, à ſummo, prudentiſſimo, & juſtiſſimo Magiſtratu, contra tam perperam judicantes, aut tam parum benivolè accuſantes, aut ſaltim deferentes, certiſſimum ſpero auxilium.

70 Qvi me (non ex trivio ad volantem, ſed ex celeberrimis Univerſitatibus venientem, ſupremo in Philoſophia & Medicina gradu,

gradu, à laudatiſſimis, legitimè & ſolemniter decoratum, à multisq; Principibus, Academiis, Civitatibus, & aliis, hæc antea, expetitum, poſt infinita ferè, per Germaniam & Daniam, pluribus, qvàm Octodecim annis, non tantùm lectionum, & diſputationum, tam publicarum, qvàm privatarum, ſed & gtaviſſimarum Curationum, laudabiliter, ſpero, edita ſpecimina, ex ſingulari, & nunqvam ſatis deprædicanda Clementia regia, in regiam & eqveſtrem ſuam Soranam honeſtè vocari, ibidemq; Practicum, & Prof. P., ampliſſimo ſtipendio, conſtitui voluit.

71. A tam clementiſſimo & potentiſſimo Euergetâ, certiſſimum, in causâ hac juſtâ, ſpero auxilium.

72. Et in ejus imploratione humilimâ, ſubjectiſſimâ, devotâ, obnixâ, tandem finio, & confidenter acqvieſco.

Hafniæ inclutæ, ὡς ἐν πεζόδῳ, αὐτοσχεδιασί, 17. Septembr. Anno Æræ Chriſtianæ cIↃ IↃc XLIV.

GEORG KRUGK Phil. & Med. D.
in Reg. & eq. Acad. Soran. Pract. & P. P.

Sententia Facultatis Medicæ.

ANNO M DC XLIV. 26. Septembris de mandato Sereniſſimi Regis & Domini noſtri Clementiſſimi, juſſu perilluſtris, Magnifici, & Generoſiſſimi Domini Cancellarii Domini CHRISTIANI THOMÆI &c. convocati convenimus in loco Conſiſtorii Academici nos infraſcripti, ut in Curam Doct. Georgii Krugkii, qvam adhibuit Nobili Virgini Abeli Bruske, inqvireremus. Prælectis ergo præfati Doct. Krugkii literis, datis Hafniæ 17. Septembris 1644. iisq; diligenter examinatis, deprehendimus eum ex Methodo Morbi iſtius curam inſtituiſſe, neq; nos in ea qvidpiam deſiderare poſſe; id qvod manuum noſtrarum ſubſcriptione teſtamur. Actum Hafniæ, Anno & die ut ſupra.

LOCULUS XLIV.

Conſultatio de Affectu Ser. Reg. Maj. CHRISTIANI IV.

ANNO M. DC. XLIV. die 28. Dec. ad mandatum Ser. Reg. Maj. Nos infraſcripti Medici in Conſiſtorii Academiæ loco com-

Digitized by Google

comparuimus, ut de affectu Sereniſſimi Regis, in literis ipſius propoſito conſuleremus, qvi qvidem, ut verba Regia præ ſe ferunt, ebrietati cuidam continuæ ſimilis videtur, natus ex contuſione prægreſsâ primò ſyncipitis & auris dextræ, qvam cœcitas oculi dextri concomitatur. De ſoporoſo præterea qvodam & intempeſtivo affectu Sereniſſimus Rex conqveritur, qvi circa 3. pomeridianam invadit, à qvo non niſi poſt qvadrantis ſomnum expedire ſeſe poſſe iisdem in literis fatetur.

Communicatis itaq; Conſiliis, unanimi ſuffragio itum eſt in hanc ſententiam: Majeſtatem primò qvidem indigere medicamento qvodam univerſali benignè purgante, qvale eſt Vinum Cephalicum Medicatum ex herbis cephalicis & purgantibus compoſitum.

A cujus uſu maximè proderit apertio venæ aut inferiorum partium aut brachii aut manuum Cephalicæ, non neglectis poſtea cucurbitulis ſcarificatis, affigendis Inio, Cervici, ſcapulis & brachiis.

Per vices qvoq; clyſteres Regiæ Majeſtati conſuluntur ubi nimirum à Medicato vino interdum feriabitur. Hinc ad apophlegmatiſmos ut deſcendatur conſultum eſt.

Poſt-

Poſt hæc cerebrum confortantia in uſum revocanda ſunt, ſive Electuarii ſive morſellorum formâ Regiæ Majeſtati placuerit, qvemadmodum & Aqvæ Cephalicæ temperatæ, interne & externè adhibitæ.

Reliqva exteriora qvod attinet, in iis palmam obtinent Cucuphæ, Emplaſtra cephalica, Pulveres capillis inſpergendi, ſimiliter & lotiones capitis ex herbis Cephalicis, nonnunqvam etiam Revulſionis gratiâ Lotiones pedum, uti & cerebri roborandi cauſa Pulveres pro fumo.

Victus proba ratio inprimis Regiæ Majeſtati hoc tempore commendata ſit. Aëris potiſſima habenda ratio, hyberno hoc maximè tempore, ne hypocauſta ultra modum calore & vaporibus caput oppleant. Cibi qvoq; fumoſi, & qvi caput vaporibus replere nati ſunt vitandi. A cibo autem qvæ coctionem juvare poſſint, qvalis eſt illuſtriſſimi Principis Pulvis Pepticus, utilia fuerint. Animi affectus &c. Regia Majeſtas hoc rerum ſtatu ita moderabitur, ne humorum major fiat commotio.

Cæterum Soporoſum iſtum affectum qvod attinet, judicamus, qvandoqvidem Re-

giæ

giæ Majeſtati longius à cibo is ipſe oboritur, non eſſe adeò præternaturalem, ideòq; ratione Ætatis, Conſvetudinis, curarum boni potius conſulendum, nec ita noxium, ut Medici curam ad ſe trahere videatur.

Hæc qvæ hactenus à nobis propoſita ſunt, judicio præſentis Medici, qvi Regiæ curæ præeſt, relinqvuntur, neq; dubitamus, qvin, modò ne aliis Medicamentis Cura interturbetur, hæc ipſa Regiæ Majeſtati profutura ſint, id qvod votis communibns unicè omnes exoptamus. Hafniæ, Anno, Die, & loco ut ſupra.

Thomas Finck D.
Olaus Worm D.
Nicolaus Foſſius D.
Simon Paulli D.
Nicolaus Wichman D.
Jacobus Fabricius D.
Esbernus Nicolai D.
Ottho Sperling D.
Chriſt. Stougardius D.

LOCU-

LOCULUS XLV.

Catalogus plantarum indigenarum, in Regiæ Majeſtatis Viridiarium, Hafniæ translatarum 1645. præfecto ejusdem Horti D. Otthone Sperlingio.

ACer latifol.
Acer tenuifol.
Acetoſa pratenſis
Acetoſa trifol. fl. carneo
Acetoſa trifol. fl. alb.
Adiantũ acroſtichon
Adiantum, Ruta muraria.
Ægilops.
Agrimonia.
Alchimilla montana minima Columη.
Alliaria.
Allium amphicarpon.
Allium ſilv. tenuifol.
Alnus nigra.
Alſinanthemum Thalii
Alſine baccifera
Alſine ſilv. fl. alb. maj.
Alſine ſilv. fl. alb. min.
Alſines genus Pelagium Clus.
Alſine hederulæ folio.
Alſine chamædryos f.
Alſine triphyllos cœrul.
Alſine anguſtifol. maximè Lugdun.
Alſine minor lini capitul.
Alſine marit. ſeptentr. flor. purpur.
Alſine ſpergula dicta fl. lacteo
Alſine hirſuta altera viſcoſa.
Alyſſon Echioides Germanic.
Anagall. aqvatic. latifol, Becabunga

Ana-

Digitized by Google

Anagall. aqvatic. tenuifol. altera.
Anagall. fl. phœniceo annua.
Angelica ſilv. minor.
Angelica paluſtr. tenuifol.
Anſerina
Anthyll. leguminos fl. luteo
Aparine vulgaris
Apium ſilv. lacteo ſucco turgens olſenichion.
Apium officinar.
Artemiſia tenuifol.
Aſperula odor. fl alb.
Aſperula fl cœruleo.
Aſplenium ſilv. Tragi.
Aſter Atticus noſtras
Aſter marin. Dodon.
Aſtragalus ſilvat. Thal.
Atriplex maritime botryœides
Atriplex maritima tenuifol.
Atriplex ſilv. latifol.
Blitum album
Branca urſina
Bryonia vulgaris
Bugloſſa ſilv. maj. fl. cœruleo
Bugloſſa ſilv. Echioid. fl. pallid. cœrul.
Bugula fl. cœrul
Buphtalmum vulgare
Burſa paſtoris
Campanula minor alpina rotundioribus imis foliis Clus.
Campanula perſicæ f.
Cannabis ſativa mas
Cardiaca
Carduus vulg. Matth. flore alb.
Carduus acaulis ſeptentrional.
Carduus onopordon.
Carlina ſilveſtr. vulg. Clus.
Carpinus
Caryophyllata fl. nutant. ſeptentrional.

Cary-

Caryophyllus ſilv. fl. laciniat. ſimpl.
Caryophyllus barbat. ſilv. minor.
Caryophyllus pratenſis Flos Cuculi dictus
Caryophyllus marinus tenuifol.
Caucalis ſemin. aſper. floſc. ſubrubentib.
Cauda muris
Centauriũ minus vulg.
Chamæmel. ſilv.
Chærophyllum ſilveſt. Tabern.
Chriſtophoriana
Cichorium ſilv. fl. lut.
Circea Lutetiana maj.
Circæa Lutetiana humilis
Clinopodium majus
Clinopodium minus
Cochlearia min. ſept. procumbens
Convolvulus major fl. elegantiſs. purpur.
Conyza minor graveolens
Conyza cœrul. Taber.
Cornus fœmina
Criſta galli.
Cynogloſs. vulg.
Cyperus rotundus Germanicus
Cyperi rotundi alia ſpecies Camer.
Dentaria major, Anblatum
Dracunculus aqvaticus
Dryopteris
Dulcamara fl. cœrul.
Dulcamara fl. alb.
Ebulus
Echium Alcibiadium
Echium ſcorpioides arvenſe
Echium ſcorpioides paluſtr.
Eqviſetum paluſtr. longiorib. ſetis
Eqviſetum pratenſe longioribus ſetis.

Eqvi-

Digitized by Google

Eqviſetum junceum Tragi
Eqviſetum aphyllocaulon Thalii
Eqviſetum fœtidū ſub aqvis repens
Erica Coridis folio paluſtr umbellat.
Erica Coridis fol. XI. Clus. baccifera.
Erigeron minus vulg.
Erigeron maj. odorat.
Eruca maritim. tenuifol. Cakile
Evonymus Theophr.
Eupatorium Cannab.
Eupatorium aqvatic, fl. aureo
Euphraſia
Euphraſia altera Dodon.
Filix mas
Filix fœmina
Filix ſaxatilis mas
Filix dicta Adiantum filicis folio
Filix dicta osmunda
Fiſtularia
Fumaria tenuifolio annua
Fumaria perenn. radic. non cava fl. purpur.
Gallium fl lut.
Gallium fl. alb.
Gentianella autumnalis latifol. annua.
Geranium hœmatodes 7. Clus. fl. ampliſs.
Geranium Robertian.
Geranium Columbin.
Glaux exigua maritima Lobel.
Glycyrriza ſilveſtr. ſiliqvos.
Glycyrriza ſilv. altera floribus punic. fol. Araci
Gnaphalium vulgare Impia dictum.
Gnaphalium Danicum fol. longiore ſpicatum.

Gnaphalium montan. Album
Gnaphalium montan. purpur.
Gramen hirſutum flor. ſtellato atro-purpur. panicul. ſparſa.
Gramen hirſutum flor. ſtellat. atro-purpur. panicul. adſtricta
Gramen junceum ſpicatum Triglochin.
Gramen junceum ſpicatum Hexaglochin
Gramen junceum fol. articulat.
Gramen leucanthem. Dodon.
Gramen tremul. minus panic. parva
Gramen Parnaſi
Gramen ſpicatum fol. aſpero
Halimus
Hedera helix
Hedera terreſtr.
Hedypnois
Hedyſarum ſilveſtr. perenne
Helianthemum paluſtre liniphyllon fl. aureo punctato.
Helleborine 3. Cluſ.
Hepatica aurea
Hepatica flore ſimpl. cœrul.
Hepatica flore ſimpl. purpur.
Herba Paris.
Herniaria
Hieracium minus præmorſa radic. *Lobel.*
Hieracium Sabaudum.
Hypericum majus noſtras.
Hypericum minus
Hypericum non perforatum Aſcyrum.
Jacæa nigra pratenſis non lacin.
Jacæa nigra pratenſis acaulis
Jacæa nigra arvenſis laciniata

Jaco-

Jacobæa vulgaris
Juncus alpin. capitul. lanuginos
Iris geniculata latifol. paluſtr. fl. luteo,
Kali geniculatum
Kali ſpinoſum
Kali minus Adverſar.
Lagæa lupi
Lagop. vulgar. tenuifolio.
Lagop. vulgar. latifol.
Lamium ſilv. fl. alb.
Lamium ſilv. fl. rubr.
Lamium Plin, macul. folio
Lampſana
Lapathum acutum
Lapathum ſangvineũ.
Lappa minor
Lathyrus ſilv. latifol. fl. purpur.
Lathyrus ſilv. tenuifol. fl. purpur. violac.
Lathyrus ſilv. luteus min. viciæ fol.
Lathyrus tuberoſus S. Apios Fuchs.
Lens ſilv. minor
Lepidium ſativum Colum.
Limonium marin. maj.
Linaria vulg. luteo flor.
Lithoſpermon ſilv.
Lotus coronata noſtr.
Lotus tetragonolob. flore luteo.
Lutea vulgaris
Lychnis ſilv. Polemonium.
Lychnis ſilv. viſcoſ. fl. rubr.
Lychnis ſilv. 8. Clus. fl. reflex.
Lyſimach. ſpic. purpur. major. Clus.
Lyſimach. ſpic. purpur. minor Clus.
Lyſimach ſiliqvos. latif. S. major Clus.
Lyſimach. ſiliqvos. tenuifolio Chamænerion dicta.

Digitized by Google

Lyſimach. ſiliqvos linifolia.
Lyſimach. lutea communis Clus.
Lyſimach. lutea 2. Clus.
Lyſimach. cœrul. galericulata.
Malva vulgar. repens fl. amplo.
Malva vulgar. repens fl. minor.
Marrubium album noſtras.
Marrubium aqvatic.
Melampyrum flore luteo coma cœruleo-purpur.
Melanthium ſilveſtr.
Melilotus officinar.
Mentha cattaria noſtras.
Menthaſtrum
Mercurialis mas.
Mercurialis fœmina
Millefolium vulgare
Millefolium aqvatic. fl. luteo galericulato.
Millefolium aqvatic. fœniculi folio.
Mollugo vulgatior herbariorum.
Myagrum alterum Thlaſpi effigie.
Myagrum ſilveſtre.
Myrtill. Matthiol. fruct. nigricant.
Myrtill. exiguus Tragi S. vaccinia rubr.
Naſturtium pratenſe
Nicotiana Europæa.
Nummularia.
Oenanthe.
Onobrychis Dodon.
Onobrychis 4. Clus.
Onon. ſpinos. fl purp.
Onon. ſpinos. fl. alb.
Onon. non ſpinos. fl. purpur. maxima.
Ophris bifolia.
Orchis palmata fl. alb.
Orchis palmata flore purpur.
Orchis palmata vern. fol. maculos.

Orchis palmata æſtiv. ſpic. longiſs. odorat.
Orchis Moſchata.
Orchis Antropophora mas Danica.
Orchis dicta Cynoſorchis
Orchis dicta Teſticulus vulpis.
Oreſelinum vulgare.
Ornithopodium.
Orobanche.
Orobanche Pannon 1. Clus.
Orobanche Pannon. 3. Clus.
Orobanche Venet. Clus.
Parietaria.
Paſtinaca latifol. ſilv.
Paronychia rutaceo f
Pentaphyll. repens fl. luteo.
Pentaphyll. argent. fol. erectum luteum.
Pentaphyll. paluſtre rubrum.
Periclymenum Allobrogum alterum Corni fœm. effigie Lobel.
Perſicar. maculata.
Perſicar. non maculata
Perſicar. mordax Thalii
Petaſites.
Petroſelin. canin. Tabern.
Phellandrium.
Piloſella vulgaris.
Pimpinella ſaxifraga major.
Pimpinella ſaxifraga minor.
Pinaſter.
Pingvicul. flor. cœrul.
Plantago latifol. hirſuta.
Plantago anguſtifol. hirſuta.
Plantago maritim. anguſtifol. major.
Plantago maritim. anguſtifol. minor.

Plantago aqvatica.
Polygala flore albo.
Polygala flore cœrul.
Polygala flore purpur.
Polygonum latifol.
Polygonatum latifol 1. Clus.
Polygonatum latifol, 2. Clus.
Polygonatum anguſtifol. 1. Clus.
Potamogeton latifol.
Potamogeton ἐλό φυλλον Thalii.
Primula veris humilis flore pallido Clus.
Primula veris humilis albo fundo luteo.
Primula veris elatior pallido flore Clus.
Primula veris umbell. flore purpur.
Prunella flore purpur.
Prunella flore albo.
Ptarmica vulgaris.
Pulmonaria fol. non maculato.
Pulſatilla
Pyrola 1. Clus vulgatior.
Pyrola 2. Clus tenerior.
Ranuncul. ſilv. 1. Dodon.
Ranuncul. ſilv. dulc. Trag.
Ranuncul. nemoros. flore alb. ſimpl.
Ranuncul. nemoros. flore purpur. ſimpl.
Ranuncul. nemoros. flore luteo ſimpl.
Ranuncul. nemoros. flore muſcos. Lobel.
Ranuncul. glomerato flore Clus.
Ranuncul. flamul. prior Dodon.
Ranuncul. flamul. fol. ſerrat. altera Dod.
Ranuncul. Sardonius S. apium paluſtr.
Ranuncul. aqvatic. umbilic. fol. columm.

Raphan.

Digitized by Google

Raphan. ſilv. aqvatic. Lobel.
Rapuncul. hortens. fl. cœrul.
Rapuncul. hortens. fl. dilutiore pallido
Rhamnus ſolutivus.
Rhamnus 2. Matthiol.
Rosmarin. aosmos.
Rubus ſaxatil. alpin. Clus.
Salix pumil. repens.
Sambuc. paluſtr. fœmina.
Sanicula.
Saxifraga alba
Saxifraga aurea.
Scabioſa fol. diſſect.
Scabioſa minor. fol. diſſect.
Scabios arietin.
Scordium.
Scorzoner. Pannonic. 3. humil.
Scrophularia major radic. tube
Sedum tectorum maj.
Serpill. latifol.
Serratula.
Sonchus aſper. ſilvar. perenn. altiſſimus.
Sonchus lævis.
Sophia chirurgor.
Sorbus Norveg. latifol.
Sparganium majus.
Sparganium minus.
Spinachia ſilv.
Symphytum majus fl. purpur.
Symphytum majus fl. lurido.
Succiſſa.
Tanacetum vulgare.
Telephium vulg. flore albo.
Telephium vulg. flore purpureo.
Teucrium pratenſe.
Thalictrum vulgare majus.
Thalictrum vulgare minus.
Thlaspi latius Dodon.
Tilia.

Tithymalus ſive eſula exigua.
Tithymalus helioſcopius,
Tormentilla.
Trachelium vulgare fl. cœruleo.
Trachelium minus umbellatum.
Trachelium glabrum Danicum elegant.
Trapopogon fl. luteo.
Trapopogon flore pallidior.
Trichomanes.
Trifolium pratenſe fl. albo.
Trifolium pratenſe fl. rubro.
Trifolium majus 1. Clus.
Trifolium majus 3. Clus.
Trifolium luteum lupulin. 1.
Trifolium luteum lupulin, 2.
Trifolium fragifer. Friſicum.
Trifolium fibrinum.
Vaccinia paluſtria.
Valeriana ſilv. maj.
Valiana ſilv. min.
Valeriana campeſtr, Camer,
Verbaſc. alb. fl. luteo.
Verbaſc. nigr. fl. luteo.
Verbaſc. nigr. fl. alb.
Verbena vulgaris.
Veronica mas ſerpens Dodon.
Veronica ſerpillifoli,
Veronica fœm. Fuchs.
Veronica recta cœrul.
Viciola præcox peren.
Viola dentaria.
Viola ſilv. aſſurgens canin.
Viola tricol repens fl. minor.
Viola pentagonia.
Virga aurea officinar,
Ulmaria.
Unifolium.

Inſi-

Infinitis aliis plantis exoticis, adornatum erat Viridarium Hafnienſe Sereniſſimi Regis CHRISTIANI IV. Anno 1642. & ſuperiore, qvas ejusdem horti Regii Præfectus, Vir naturæ conſultiſſimus D. OTTHO SPERLINGIUS Medicus & Botanicus Regius, qvem Illuſtriſſimus Senator Venetus NICOLAUS CONTARENUS alterum Plinium, me præſente, appellavit, in Catalogo Plantarum Horti Chriſtianæi ſignavit & edi curavit Hafniæ in 12. 1642. & ad ſecundum prælum promovit Vir Clariſſimus D. SIMON PAULLI Primus in Academia Hafnienſi Botanices Profeſſor, inter Viridaria varia Hafniæ illius curâ collecta & divulgata 1653.

LOCULUS XLVI.

OLAI WORMI Caſus Medicus, propoſitus in Academia Hafnienſi die 26. Novembris 1645.

An ſexagenario ſcorbutico, cachectico, nullâ plethorâ laboranti, ſi forti corripiatur Apoplexia, vena ſit ſecanda?

DEcretum Cornelii Celſi eſt lib. 3. de re Medica c. 27. *Si omnia membra vehemen-*

menter reſoluta ſunt, ſangvinis detractio vel occidit, vel liberat. Qvo Celſi enunciato niti eos credo, qvi dejerare auſint, ſe qvosvis Apoplecticos, etiam non viſos, in ipſo mortis articulo, nulla habita ratione ætatis, temperamenti, cauſæ morbificæ, virium, Plethoræ, aut aliarum circumſtantiarum, ſola venæ ſectione, curaturos. Qvi qvantopere decipiantur & deſipiant, licet nemo niſi ratione deſtitutus, non facile animadvertat; credulo tamen vulgo ut ſatisfiat, primum ipſius Celſi verba expendere lubet, tum videre, qvid ſangvinis miſſio, hoc in caſu præſtare valeat.

Si omnia membra vehementer reſoluta ſint, inqvit. Hic non immeritò qvis qværat qvalis ſit affectus, in qvo omnia membra vehementer ſint reſoluta: cum per membrorum reſolutionem vulgo Paralyſin intelligant Medici, atq; ipſe Celſus hujus capitis titulum fecerit de *reſolutione nervorum, qvæ apoplexia vel Paralyſis dicitur.* Verum ne dubium ullum relinqvatur, mox in principio ait: *Interdum tota corpora, interdum partes infeſtare reſolutionem nervorum, atq; veteres autores illud Ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominare; ſed nunc utrumq; παράλυσιν nominari:* unde colli-

gere

gere licet Celſum hoc in loco de παράλυσι agere qvæ utrumq; comprehendit; non verò de ſola Apoplexia. Sed demus de ſola Apoplexia ſermonem eſſe, qvam fortem vocat reſolutionem: cum ea ex variis oriatur cauſis, an ulli ſpeciei, qvam ſangvineæ competere poſſit Sangvinis miſſio merito dubitatur. Atq; tum qvidem corpus plethoricum eſſe convenit, viribus integris, florida ætate. De qvali Apoplexia diſſerit Jacobus Capenſis in Iſagoge Anatomica in hunc modum. *Sæpè accidit coarctatoria oppilatio à plethora ſangvinis cauſata, qvæ ſi fiat in ramis venarum Gridez, ſemper ſeqvitur ſomni profunditas, Apoplexia & Suffocatio extrema.* Neq; tamen in tali caſu ſemper profuiſſe ſangvinis miſſionem docet experientia. *Lucius Verus* teſte Capitolino in Vero, *ſubitò in vehiculo detracto ſangvine Altinum perductus, cum triduum vixiſſet, apud Altinum periit.* Fernelius 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 15. Virum viribus integrum, ſiniſtri oculi ictu vehementiori, repente attonitum corruiſſe refert, in qvo interiores oculi venas, contuſionis vi diruptas animadvèrtit, è qvibus ſangvis cochlearium duorum menſura in cerebri baſin procubuerat, qvi concretus arte-

arterias eas obſtringebat, qvæ retiformem contextum conficiunt,. eumq; *nec venæ ſectione, nec alia ratione potuiſſe ſervari, qvin horis duodecim interiret.* Unde liqvet ne qvidem in ſangvinea Apoplexia ſemper conferre venæ ſectionem. Non immeritò hinc concludit Beverovicius, Med. vet. part. 3. cap. 3. qvod *in ſangvinea Apoplexia bonum, ſit ſed anceps remedium venæ ſectio.* Qvod ſi in hac ſpecie, cui maximè competere videatur, anceps ſit remedium, nec ſemper juvet, qvid in reliqvis præſtabit? præſertim caſu à nobis propoſito?

Cum deniq; dicat Celſus ſangvinis evacuationem Apoplecticos aut *vehementer reſolutos vel occidere vel liberare;* apparet eum hoc remedii genus anceps conſtituere, qvod æq; mortem ac vitam accelerare poſſit. Qvis verò, cui ſalus humana & conſcientia propria curæ, velit cum tanto diſcrimine illud experiri, in eo ſubjecto, in qvo nulla ejus indicatio, cujus ab antecedentibus morbis exhauſtæ vires, qvodq; planè cachecticum & Scorbuticum eſt, cujus temperamentum frigidum, ætas ad ſenium inclinans, cuiq; ſenſus ac motus adeo ablatus, ut trium horarum ſpatium totus morbi decurſus non attigerit?

Nemo

Digitized by Google

Nemo opinor eſt, niſi cui pro cerebro Pepo, qvi id ſvaſerit.

Qvod ſi conceſſerimus ſangvinis detractionem iis ſaltem competere Apoplecticis, qvibus cerebri vaſa ita ſangvinis copia replentur, ut ſubſtantia ejus (meatibus anguſtioribus redditis) ſpiritibus tranſitum neget, vel qvibus ſangvis è vaſis ſuis, ſive ictu ſive contuſione, ſive qvocunq; validiore impetu ad baſin cerebri effundatur, ut obſervavit Fernelius; abſonum tamen erit ad reliqvas ſpecies illud accommodare. Qvinimo in talibus caſibus non ſemper profuiſſe cum ſupra probaverimus; oſtendemns etiam ſine venæ ſectione in tali caſu curari ægros potuiſſe. Henricus ab Heer in obſervationibus Medicis oppido raris. Obſ. 21. refert ſe Anglum Sexagenarium, qvi ebrius in penuarium hoſpitis, in qvo potarat, delapſus, occipite contuſo, forti Apoplexia correptus fuit, curaſſe ſine venæ ſectione. Mulierem qvoq; ex octo gradibus, delapſam in occiput, & Apoplexia correptam, qvæ intra diem ſeptimum convaluit. *Neutri*, inqvit, *ſangvinem detraxi, qvia plethoræ ſuſpicio nulla, at utrobiq; cacochymiæ ſigna manifeſtiſſima.* Qvod ſi igitur ubi cacochymiæ ſigna manifeſta & plethora

qvarta pottæ pars venit 8. ſolidis) vel ex Præſervativo condito. A. (Uncia 12. ſolidis) vel Præſerv. condito B. pro pauperibus præſcripto (Uncia 3. ſol.) In publico verſantes ſemper ſub lingva aliqvid habeant, nempe Zedoariam, Radicem Angelicæ, cortices Citri vel Aurantiarum, vel ex rotulis A. unam (Unica 16. ſol.) vel B. (Unica 8. ſol.) ſecumq; geſtent bene olentia, ſcilicet Pomambram, ſi id ſumptus ferant, adhæc Balſamum Rutæ vel ſuccini, vel parum aceti Bezoartici in ſpongiola vel ſtrophioli parte, qvibus, non naribus tantum admotis, ſed & carpi manuum inungi posſunt, & tempora.

4. Vitandum ægrorum & locorum in qvibus ægri decumbunt commercium, qvantum fieri poteſt, & chriſtiana charitas permittit. Sed dum ex debito ægris aſſiſtimus, benè olentia in promptu ſint, qvibus nares illinantur, & prædicta ore geſtentur.

5. Proficuum qvoq; eſt ſemel vel bis in hebdomade deglutire ex pilulis Ruffi (drachm. ſemis 4. ſolid.) tertiam partem, drachmam mediam vel plus prout plus minusve alvum duxerit, ita ſenſim liberamur excrementis qvæ qvotidiè colliguntur, præterea

terea impeditur materiæ morbificæ in corpore collectio.

6. Nec abs re erit ſemel in hebdomade ad ſudorem ſe componere, ſumpta vel Theriaca vel Mithridatio, vel ſudorifero potu & pulvere proximè ſeqventi ſectione deſcribendo. Hoc pacto educetur per ſudorem qvicqvid ex malo vel infecto aëre tacitè forſan in corpus irrepſerit.

SECTIO II.

Qvomodo curandi qvi febre maligna ardent.

1. QVantoprimum dolores capitis & dorſi ſentiuntur, cum laſſitudine & corporis compreſſione, qvaſi artus verberibus contuſi eſſent: ſine mora provocandus ſudor. Qvo fine potio ſudorifera deſcripta extat, (venit 12. ſolid.) & bini pulveres ſudoriferi (A valet 8. ſolidos. B 4. ſolid.) qvi in cochleari uno aqvæ Cardui-Benedicti (qvarta pottæ pars 6. ſolid.) Aq. Analeptica Rulandi (Uncia 8. ſolid.) vel in cochleari aceti Bezoartici aſſumantur. (Qvart. 8. ſolid.) Sumpto medicamento æger culcitris involvatur, & in ſudore detineatur horæ ſpacio,

vel qvamdiu id ægri vires tolerant. Deinde ſudor diligenter extergatur & linteamina mutentur.

2. Si æger ſit plethoricus, altero die, vel vires ſint præſentes, ſexta hora poſt ſudorem vena brachii aperiatur, educaturq; libra ſemis vel tantum ſangvinis qvantum ægri ſtatus & vires concedunt. Præmittatur vel deinde injiciatur clyſter (3. marcæ 12. ſolid.) vel ſuppoſitorium (1. vel 2. ſolid.) ſi *alvus* ſit adſtricta.

3. Qvod ſi æger cacochymia vel humorum ſaburra abundet, exhibenda qvatuor, qvinq; vel ſex pruna laxativa. (Uncia 8. ſolid.) vel pro cujusq: ætate & robore, infundantur duæ, tres vel qvatuor drachmæ foliorum Senæ ſelectorum (Uncia 16. ſolid.) per noctem in hauſtu cereviſiæ, & clarificatæ ægro propinentur. Cui volupe fuerit, aſſumat dia pruni ſimplicis Unciam unam, [12. ſolid.] vel Diacatholici tantundem (Uncia 16. ſolid.) ſive in aqva fœniculi (Qvart. 6. ſolid.) intrita, ſive ſaccharo involuta integraq; devorata. Et Purgationes & Venæ ſectiones, qvæ adminiſtrari debent, ante qvartum diem finiantur, poſt qvem ægri his torqvendi non ſunt.

4. Sed

4. Sed qvandoqvidem malum circa præcordia verſatur, æger manè & veſperi aſſumat bina cochlearia Mixturæ ſudoriferæ (24. ſolid.) At qvarto & ſeptimo die, ſicut in morbi initio, plena potio ſudorifera iteranda, procurandusq; ſudor liberalis ægro benè tecto, cavendumq; ne corpus detegatur, ſed in continuo madore permaneat.

5. Poſt qvartum decimum diem, ſi in lotio copia materiæ inveniatur, purgante medicamento educenda, ſive ex ſupradictis, ſi æger debilis ſit, ſive ex pulvere Dialappa (Drachma ſemis 12. ſolid.) cujus grana xx. juveni, adultiori xxjv. vel xxx. grana in juſculo carnis exhibentur.

6. Ægro febricitanti merito convenit locus ſpacioſus, ſed calore temperatus. Cubiculum cum camino, vel fornace perflatili (Windofven) maximè conduceret.

SECTIO III.

Symptomatibus variis qvomodo occurrendum.

1. INtolerabilis dolor capitis & vigiliæ inprimis urgent. His ut occurratur, tepidè fronti & temporibus applicandum linteum qvadruplicatū ſucco ſedi maj. (Hußløg) lacte

lacte muliebri mixto madidum, vel Emulſio pro capite infra ſignata. (12. ſol.) Mane & veſperi minimum repetatur. ſub noctem plantis pedum alligetur fermentum ſale & ſapone viridi ſubactum, plantis primum ſale & ſapone fricatis. Ungvento ſoporifero inungantur ægri tempora, carpi manuum, & pedum, (Uncia ungventi venditur 16. ſolidis) Si nimium moleſta ægro hæc ſymptomata pergant eſſe, cucurbitulæ ſiccæ ſemel atq; iterum ſcapulis affigendæ, deinde ſcarificatæ. Hora ſomni amygdalatum qvoq; propinari poteſt. (Cujus valor 24. ſolid)

2. Delirium ſi ingentes dolores capitis ſeqvatur, ſuperioribus fruſtra tentatis, repetendus clyſter ante ſignatus, & tenera columba vel pullus per medium ſectus calidè capiti imponendus.

3. Magna qvoq; ſitis febrem hanc comitatur. Cui ſedandæ prodeſt Julepus præſcriptus (Potta 5. Marcis.) Qvi ſolvendo non ſunt, coqvant Cornu Cervi uſti Unciam (8. ſolid.) in menſura una aqvæ, & ad ſaporem gratum addant ſuccum ribium vel ſaccharum cum aceto. Sitim depellit qvoq; aqva Cardui-Benedicti, cerevifia ſecunda, & ſerum lactis ſucco citri vel aceto ſeparatum.

Ex

Digitized by Google

Ex uſu tamen erit, ſi his immiſceatur pulvis C. C. uſti: Os interdum eluatur aqvâ pura, aceto & ſaccharo temperata ſaporis grati gratia. Præterea pomi citrii fruſtulo in ſaccharo immerſo ſubinde ſublevet ſitim, uti & ſucco ribium, berberis aliorumq; acidorum.

4. Virium ſumma proſtratio, hujus febris comes, ad ſe qvoq; curam trahit. Hinc diligenter ægrotis proſpiciendum de optimis carnium juſculis pro nutritione. Subinde exhibendum cochlear aqvæ cordialis, (hujus qvart. pott. precium eſt 4 marc. 8. ſolid.) vel drachma media pulveris cordialis (drachma valet 8. ſolidos) in aqvæ Analepticæ (Uncia 8. ſolid.) vel Cardui-Benedictæ cochleari. Petiæ tingendæ aqvâ cordiali externâ (qvartar. 24. ſolid.) tepidèq; cordis regioni imponendæ, carpo applicentur petiæ immerſæ in aqva pro pulſibus. (Qvart. 12. ſolid.) naribusq; ægri admoveatur acetum roſaceum vel rubi Idæi, neutiqvam alia aqva calidior Apoplectica vel Cephalica.

5. Si mucus vel phlegma craſſior gulæ inſideat, fauces extergantur ſucco mori (Uncia 4. ſolid.) vel melle roſato, (Uncia 3. ſolid.) in qvem uſum conficiantur bacilli cum

Digitized by Google

petiis vel filis inſtar ſcoparum, deinde eluatur os gargarismate infra deſcripto. (Qvart. 16. ſolid.) Tenujoris ſortis ægri manipulum hordei in aqvæ potta coqvant, mixtoq; mellis cochleari, & ſalis nitri drachma, os & fauces continuò eluant.

6. Lingvæ aridæ & rugoſæ ab æſtu interno, prodeſt gargarisma laudatum, qvod ſi minus juvet, aperienda vena ſublingvalis. Subinde lingva inungatur pauco butyro recenti, cui parum ſalis nitri immixtum ſit. Vel lardi exigua tenuisq; portio lingvæ imponatur.

7. In alvi ſtipticitate nonnunqvam clyſteribus vel ſuppoſitoriis erit locus, ne natura purgante medicamento irritetur ante qvartum decimum diem transactum.

Hæc breviſſimè dicta ſint, qvæ neceſſaria judicavimus & utilia huic morbo. Si qvis conſilia uberiora deſiderat, conſulat Medicos & Chirurgos, qvi ſingulorum voto ſatisfacient. DEUS ſupradictis remediis benedicat.

Medicamentorum Formulæ.

Pulvis pro ſuffitu.

R. Raſur. ligni Juniperin. lib. 1.
Succin. Citrin. lib. ſem.

Myrrh.

Myrrh. Olibani ana Unc. iij.
Bacc. Juniper. Unc. ix.
M. f. Pulvis groſſus pro ſuffitu.

Herbæ pro Vino Medicato.

R. Abſinth. commun. man. ij.
Scord. Card. Benèd. ana m. I.
Galeg. Dictamn. Cretic.
Flor. Calend. 4. Cordial. ana m. ſem.
Rad. Angelic. Scorzoner. Hiſp.
Succis. ana drachm. vj.
Gentian. drachm. iij.
Cort. Citr. ſicc. Unc. ſem.
Sem. Citr. Drach. ij. Gran. Junip. unc. ij.
Inciſa & contuſa m. pro infuſo.

Acetum Bezoarticum.

R. Rad. Petaſit. Valerian. Angelic. ana drachm. vj.
Zedoar. unc. ſem.
Cort. citri ſicc. unc. 1. Bacc. Junip. unc. ij.
Herb. rutæ, ſcord. ana m. ij.
Fl. Calendul. Roſ. rub. ana m. 1.
Mirrh. el. drachm ij. camphor. ſcrup. ij.
Inciſis & contuſis adfunde aceti vini q. ſ. ad 4. digitorum eminentiam, digere, Colatura ſervetur uſui.

Digitized by Google

Conditum Præſervativum. A.

R. Conſ. Roſ. Borrag. Bugloſſ. Violar. Tunicæ, Acetoſell. ana unc. ſ.
Berb. exacinat. & condit. unc. 1.
Theriac. Andr. unc. ſem.
Mithridat. drachm. ij.
Pulv. cort. citr. bol. arm. Terræ ſigill. Cornu Cervi chym. præpar. ana Drachm. 1.

Theriaca & Mithridat. aceto Rubi Idæi diluantur, & cum ſyr. de Berberibus ac acetoſ. citr. q. ſ. F. Conditum.

Conditum Præſervativum. B.

R. Ficuum pingv. lib. 1.
Nuc. jugl. mund. lib. ſem.
Fol. Rutæ virid. unc. 1.
Sal. Commun. unc. ſem.

M. f. cum aceto rutac. & ſyr. Card. Bened. ana q. ſ. Conditum.

Rotulæ ſublingvales. A.

R. Spec. liberant. unc 1. ſem.
Extr. Zedoar. Scorzoner. tinct. ſulph. cum ſp. Junip. f. ana drachm. 1.
Ol. Angel. ſcrup. ſem.

M. f. c. ſacchar. aq. Scord. diſſolut. q. ſ. Rotulæ.

Rotu-

Rotulæ ſublingvales. B.

R. Mithrid. opt. ſpec. liberant.
Pulv. cort. citr. Zedoat. ana drachm. ij.
Dictam. albi Ariſtol. l. ana drach. ſ.
Lign. Aloës, roſ. rubr. ana gr. xv.
Camph. gr. iij.

M. f. cum ſaccharo Candi & gumm. tragacanth. aqv. ſcordii ſolut. Trochiſci ſublingvales.

Sudorifera Potio.

R. Elect. Dioſcordii Fracaſt. drach. ij.
Aq. ſcord. Card. Bened. ana unc. I.
Analept. Rul. Drach. ij.
Syr. de Card. Bened. Drach. iij.
M. f. Hauſtus.

Sudoriferus Pulvis. A.

R. Sal. Card. Bened. ſcrup. I.
Cornu Cervi chym. præp.
Terræ ſigill. ana ſcrup. ſem.
M. f. Pulvis.

Sudoriferus Pulvis. B.

R. Herb. Scord. Card. Bened. Cornu Cer. Phil. calc. cum aq. Scord. trit. & exſicc. ana unc. ij.

Veron. Sem. Citr. ana drachm. ij
Corall. rubeor. præpar. drach. iij.
M. f. Pulvis.

Clyſter.

R. Rad. Succis. Angel. ana unc. ſem.
Fol. Malv. Bismalv. Scord. Card. Bened.
Fl. Chamomill. ana m. 1.
Sem. Lin. Card. Mar. Carvi ana. dr. ij.
Coq. in ſ. q. aq. ad unc. xij. In colatura diſſolve
El. Diacathol. Ol. rutac. Mell. roſ. ana unc. 1.
M. f. Enema.

Pruna laxativa.

R. Rad. Liqvir. rec. Polypod. ana unc. 1.
Sem. anis. fœnicul. ana drach. ij.
Fol. Senæ S. ſ. unc. iij.
Rhabarb. el. drachm. iij.
Jalap. reſinos. unc. 1.
Cinam. el. unc. ſem.
Galangæ drachm. 1.

Infunde per noctem in ſ. q. decocti prunor. In colatur. expreſſa ad conditure formam coqve
Prunor. ſelect. enucleat. unc. x.
addendo ſub finem ſacchari f. unc. xij.

Mixtura

Mixtura Sudorifera.

R. Elect. Diaſcord. unc. ſem.
Syr. Card. Bened. drachm. vj.
Aq. Scord. Card. Bened. ana unc. ij. ſ.
Aq. Analept. Ruland. unc. I. m.

Diajalappa.

R. Pulv. rad. Jalap. reſinos. drach. x.
Cremor. Tart. Tart. Vitriol. ana dr. iij.
Reſ. Scammon. Jalap. ana drachm. I.
Ol. Aniſi ſcrup. I.
M. f. Pulvis.

Emulſio.

R. Aq. Verben Beton. Serpill. Scord. Sedi Maj. ana unc. I.
Nucl. Perſic. unc. ſem.
Sem. Papav. alb. drachm. ij.
M. f. Emulſio.

Ungventum Hypnoticum.

R. Ungv. Alabaſtrin. Popul. ana drach. vj.
Croc. aq. ſcord. dilut. ſcrup. I. miſc.

Amygdalatum.

R. Amygd. dulc. mund. unc. I.
Sem. melon. mund. drachm. ij.

Aq.

Digitized by Google

Aq. ſcord. & decoct. Cornu Cervi uſt. ana unc. IV.
M. f. Emulſio, ſyrup. papav. unc. I. edulcoranda.

Julepus.

R. Decoct. Cornu Cervi ex raſura & uſto. ana cum rad. ſcorzoner. & Tamarind. f. lib. I.
Syr. granat. acid. de Ribib. de acred. citr. & rub. Idæi ana unc. ſem.
Sp. Nitri q. ſ. ad acorem gratum. M.

Aqva Cordialis.

R. Confect. de Hyacintho drachm. ij.
Margarit. præp. Corall. rub. præp.
Oc. canc. præp.
Magiſt. C. C. ana ſcrup. I.
Aq. C. C. compoſit. unc. vj.
Analept. Ruland. unc. I.
Theriac. Qvercet. drachm. ij. m.

Pulvis Confortans.

R. Cornu Cervi Chym. præp. Oc. Cancr. præp. Succin. albi præp. Terræ ſigill. Spec. Diamargar. frigid. ana drachm. I. M.

Aqva Cordialis Externa.

R. Aq. Borrag. Bugloſſ. Roſar. Scord. ana
Unc. ij.
Spec. Cord. temper. drach. 1. ſ. Camph.
ſcrup. ſ. M.

Aqva pro carpo.

R. Aq. Borrag. Bugloſſ. Roſar. Scord. ana Unc. ij
Aceti Bezoartic. unc. 1. ſ.
Nitri præpar. drachm. 1. M.

Aqva pro Gargariſmate.

R. Fol. Malv. hortens m. 1.
Flor. Roſ. rubr. Prunell. Veron. Salv. Scabioſ. ana m. ſ.
Rad. Polyp. q. drachm. ij.
Liqvirit. rec. drachm. 1. ſ.
Lapid. Prunell. drachm. 1.
Alum. Crud. drachm. ſem.
Mellis depur. unc. ij.
Coq. in aq. prunell. lib. viij. Acet lib. ſem. ad tertias,
Colatura ſervetur uſui.

Digitized by Google

LOCULUS XLVIII.

Medicæ Facultatis Hafnienſis CONSILIUM *de* SCORBUTO

ANNO cIↃ IↃC XLV.

I.

Qvam cauſam Scorbutus habeat, & qvibus ſignis cognoſcatur.

ENdemius hic morbus âpud nos, & alios Boreales, qvi vulgò Skørbug vocatur, & variis modis invadit, dum non uni ea facie infeſtus ſit qva alteri, ſed pro cujusq; natura & temperamento, pro morborum conditione qvibus ſe immiſcet; maxima parte conſiſtit in mala concoctione, qvæ provenit ex humore crudo inconcoctili, fermentoſo, melancholico, & peculiari modo corrupto. Qvi onerat ventriculum, hepar, lienem, meſenterium & alias humani corporis partes: inprimis qvæ cibo coqvendo dicatæ ſunt, & ſangvini laudabili conficiendo ad corporis ſuſtentationem, ita ut neqveant officio ſuo debitè defungi, unde plerunq; ſeqvitur reſpirationis difficultas, gingivarum tumor,

tumor, putredo, hæmorrhagia, dentium mobilitas, crurum imbecillitas, tumor, rigor, maculæ & alia hujus generis pro cujusq; natura & conditione, ſicut fuſiùs erit deducendum.

Varias cauſas agnoſcit, qvæ partim ſunt externæ, extra corpus humanum, partim internæ, qvæ ab externis oriuntur.

I. Inter externas res, qvæ multum promovent morbi hujus initia, eſt aer ille qvem in hiſce regionibus haurimus. Qvi extra ædes noſtras non ita purus eſt, ſed variis exhalationibus ex mari, piſcinis, alga putrida, lacubus, plateis immundis, miſcetur & inficitur, maxima parte craſſus, humidus & frigidus, imò fœtidus & malè olens. In ædibus, qvæ terræ immerguntur, vel vicinæ ſunt, & in navigiis melior non eſt. Qvando talis aër per os, nares & poros corporis attrahitur in corpus humanum, non poteſt non generare putredinem & corruptionem, qvibus nativus calor qvo cibus & alii liqvores concoqvendi promoveri debent, ſuffocatur, & qvaſi extingvitur, magna putredo in corpore cumulatur & ſangvis corrumpitur. Hinc videmus qvod in locis mari vicinis & lacubus circumdatis, ſemper plures inveniantur

Digitized by Google

antur hoc morbo correpti, qvam alibi, inprimis apud nos in ſeptentrione, ubi ſimilis eſt diæta.

II. Deinde multum confert illa diæta ſeu cibus & potus, in hiſce regionibus uſitatus. Panis qvi interdum pinſitur ex mucido & ſemi corrupto frumento vel farina; panis biſcoctus mucidus, nec benè coctus aut fermentatus. Caro ſalita, pituitoſa, ſemiputrida, fumo indurata, lardum mucidum, piſces exſiccati & optimo ſucco privati, aſellus ſalitus, haleces & alii piſces muriæ injecti, & interdum cocti, inprimis in navibus, in aqva putrida, caſeus inveteratus, rancidum butyrum, piſa, pulmenta aliaq; mucida. Cereviſia ex aqva corrupta & frumento cocta, lupuli expers, nec probè cocta, craſſa, fæcibus plena, & alia ejus cenſus.

III. Adhæc præ aliis hoc morbo afficiuntur, qvi ſedentariam vitam vivunt, nec corpus exercent laboribus aut aliis exercitiis, ut nativus calor accendatur & augeatur, ad expellendas humiditates noxias ſive ex aëre ſive cibis genitas. Ita videmus eos, qvi multum ſomno indulgent, nec ſe movent in itinere navali, citius incurrere in hæc mala, qvam ruſticos, qvi ruri arando, ſeminando, tritu-

Digitized by Google

triturando, optime ſciunt ſcorbutum expellere, & pravos humores ex victu craſſo congeſtos.

IV. Qvibus obſtipata eſt alvus, nec conſvetis alvi, lotii, ſudoris & aliis evacuationibus ordinariè liberantur ab impuritatibus, qvas qvotidiè colligunt, etiam raró liberi ſunt ab hoc hoſpite, ſicut & melancholici & ſemper mœſti.

V. Sæpe qvoq; evenit, ut hic morbus alios ſeqvatur, ut hepatis & lienis obſtructiones, febres, inprimis qvartanas, qvæ talem ſolent poſt ſe relinqvere διάθεσιν, ut qvi illis liberantur, facillimè ſcorbuto infeſtentur.

VI. Qvicunq; parentibus ſcorbuticis nati ſunt, plerunq; ſcorbutum per hæreditatem habent, in juventute ſui indicia prodentem.

VII. Qvandoqvidem hic morbus etiam numerandus eſt inter contagioſos, hinc ſæpe obſervamus, illum contrahi qvando ſani convictu infectorum utuntur, inprimis ſi his os affectum ſit, & illis concumbant qvibus ulceribus corpus eſt fædatum, & aliàs facilè ſudant. Infantes cum lacte nutricum ſugunt, interdum per maſticatos cibos noxium ſcor-

buti humorem ore lambunt, unde etiam inficiuntur, qvanqvam parum de his ſollicitì ſint parentes.

Ex his externis cauſis fluunt internæ. Nam qvando malus & cibus ad digerendum difficilis, neqvit à ventriculo, ut par eſt, concoqvi, neq; talis eſt, ut ex ſe bonum ſangvinem generet, & cæteræ ſupra nominatæ cauſæ vel omnes vel ex illis nonnullæ concurrunt, multum impuritatis in corpore coacervatur, qvod putreſcit & ſingularem ſcorbuti conditionem contrahit. Unde vice boni & laudabilis ſangvinis, corpus attrahit humorem depravatum, melancholicum & fæculentum, qvo & venæ obſtruuntur & reliqvæ viæ ad hepar, lienèm, meſenterium & alias partes, & putridus halitus ad os, collum, & caput aſcendit, qvo gingivæ tument, ſangvinem fundunt, dentes vacillant, os fætet, & alia ſymptomata emergunt. Craſſiſſima pars hujus humoris ad pedes devolvitur, eosq; in tumorem elevat, claudos reddit, excitat maculas cœruleas & purpureas, magnas parvasq;, & ſua copia & malis vaporibus cor cum diaphragmate comprimit, vitæ ſpiracula obſtruit, ita ut homo, intercepto penè ſpiritu, de ſumma anguſtia conqveratur.

Qvan-

Digitized by Google

Qvanqvam hic morbus cognitu ſit facilis, qvando vehementius homines affligit; in principio tamen non ita facilè dignoſcitur, tum qvia ſub aliorum morborum involucro latet, tum qvia inopinatò & tardè ad mortales ſerpit. Qvod ſi animadvertas qvenqvam ægrotare in illis regionibus, ubi Endemius eſt ſcorbutus, morbiq; typus talis non ſit, qvalis eſſe ſolet, nec remediis conſvetis cedat; certo credendum eſt, ſcorbutum ibi ſubeſſe, præſertim ſi æger ſit melancholicus & mœſtus. Solet etiam laſſitudo univerſi corporis præcedere, ut pedes officium ſuum ægrè faciant, reſpiratio ambulantibus ſit difficilis, citius ſolito pingveſcimus, cum colore livido faciei.

Qvando increſcit, calor volatilis moleſtus eſt, gingivæ pruriunt, facies ex cœruleo livet, multa ſputatio, lotium interdum turbulentum, interdum prorſus aqveum. Qvando invaluit, adeo difficilis reſpiratio redditur, ut æger nec ambulare nec movere ſe poſſit, qvin incidat in lipothymiam, qvæ ceſſat ubi lecto ſe commiſerit. In ventre ſentiuntur tormina, gingivæ intumeſcunt, ad tactum ſangvinem fundunt, dentes vacillant & ſine dolore excidunt, caro illorum ambiens putre-

putreſcit, fœtet anhelitus, pedes tument rigentq; ut ad ambulandum ſint inepti. Interdum in pedibus & univerſo qvoq; corpore apparent variæ maculæ, rubræ, purpureæ, cœruleæ, qvas vulgus noſtrum vocat Wetteneb/ qvaſi à ſtrigibus inductæ. Interdum moleſtum eſt eriſypelas, maligna ulcera, & circa noctem dolores, interdum contabeſcunt.

Comitantur ſæpe ſcorbutum febres variæ, variaq; ſymptomata, plerunq; inordinata, imò vix unum nominari poteſt genus, qvod non adſit, pro cujusq; ægri natura & conditione. Lotium eſt turbidum, purpureum, craſſum, argillæ æmulum, nec diu unius coloris. Pulſus inſtabilis, interdum debilis, interdum robuſtus ubi æger videtur maximè debilis, interdum qvaſi prorſus deficeret.

Principio ſi neceſſariis remediis occurratur ſcorbuto, facilis eſt curatu: Sed ſi invaleſcat, difficulter expellitur prorſus, qvin revertatur. Qvi negligunt optimam victus rationem, & proficua remedia, rarò convaleſcunt, nam plerumq; terminatur in Hydropen vel Atrophiam. Qvibus reſpiratio eſt difficilis, & nigricantes in pedibus ſunt maculæ, in magno periculo verſantur. Qvibus hæreditarius eſt, rarò illo liberantur. Periculoſior

loſior eſt ſenibus qvam juvenibus. Febres concomitantes, curari non poſſunt, niſi ſcorbuto prius curato. Qvibus perpetua tormina & murmura circa umbilicum adſunt, rarò evadunt. Qvibus affectum eſt os, ſtatim remediis ſunt juvandi, alioqvi ſerpit ulterius & totum collum inficit & corrumpit. Qvibus ulcera ſunt in pedibus, aperta non ſanantur, niſi interna contra ſcorbutum remedia adhibeantur.

II.

Qvomodo hic morbus Dei auxilio præcaveri poſſit.

I. QVandoqvidem vivimus in aëre hoc craſſo & humido, ſalſo mari circumdati, ex qvo varii mali & putridi vapores qvotidie adſcendunt, providendum eſt, ne ædes, qvas inhabitamus, ſint humidæ, ut ſæpe fumigentur ligno juniperi, ramis, baccis, maſtiche, myrrha, ſuccino, & ſuffumigiis variis, vario modo in officina præparatis.

II. In cibo & potu diligenter cavendum, ne talis ſit, qvi anſam huic morbo præbeat, de qvo ſupra actum Panis mucidus & ex frumento corrupto coctus, ex farina vermino-

Digitized by Google

minoſa & calidâ, nec benè fermentatus. Rancidum lardum & fumo diutino induratum, caro vel piſcis ſalitus & mucilaginoſus, crudi cibi & indurati, aliaq; ſimilia. Sed qvantum fieri poteſt, cibis recentibus adhærendum, vel nuper ſalitis & benè præparatis, coctisq; cum raphano ruſtico, thymo, majorana, roremarino, ſalvia, petroſelino, corticibus aurantiorum & citri, & ſimilibus. Embammata ex raphano & ſinapi in cibis optima. Norwegi in pretio habent morum Norwegicam, cujus ſuccus vitriolatus non videtur inidoneus, tanqvam ſitim ſedans, penetrans & putredini reſiſtens. Acetaria ex Cochlearia, qvam nos vocamus Skee-Urt/ omnium generum naſturtiis, acetoſa, capparibus, petroſelino, aſparagis, ſummitatibus lupuli &c. qvoq; proſunt. Lac caprinum, cui incocta cochlearia, naſturtium aqvaticum, abſinthium & alia hujus generis, vere hauſtum, eſt ſalutare. Aliàs cereviſia, qvæ bibitur, ſit benè cocta & defæcata, ex polenta hordeatica bona, benè lupulata, cui aliqvid abſinthii miſceri poteſt. Qvi ſunt ſolvendo, in paſtu generoſi vini hauſtum ſumant, vel manè hauſtum vini abſinthites, præparati ex herbis ad id præſcriptis, ex qvibus

bus pro ſingulis menſuris manipulus ſumatur, venitq; tribus ſolidis.

III. Qvies & otium qvantum poſſibile; unusqvisq; pro ſtatus ſui conditione eligat id qvo corpus exerceri poſſit, eqvitando, digladiando, tornando, ſecuri vel ſerra reciprocando, ludendo, laborando, ſicut occaſio tulerit, ut nativus calor eo accendatur, & pravus humor expellatur, ita tamen ne hujusmodi exercitationes fiant ſtatim poſt ſumptum cibum, ſed horâ unâ ante cibum.

IV. Somnus ſit moderatus nocte, non de die ſtatim à prandio, niſi noctes præcedentes fuerint inqvietæ. Fugienda qvoq; eſt melancholia, mœſtitia & aliæ curæ.

V. Valdè neceſſarium qvoq; eſt, ut qvotidiè alvus laxa ſit, & qvibus purgationes qvædam ſolennes ſunt, ne ſupprimantur. Si alvus conſtipetur & inflctur, metuaturq; inde hic hoſpes, aſſumi poteſt tertia pars unius drachmæ pil. de Ammon. una vel duabus horis ante cœnam, drachma venditur qvatuor ſolidis. Alvum hæc lubricam ſervat, prohibetq; ne ſcorbutica materia incrementum capiat. Non interim negligendum qvovis Vere & Autumno corpus expurgare ſecundum Medici prudentis conſilium & præſcriptum.

ptum. Qvi aſſveti ſunt ſpontaneis ſudoribus, nullo modo his abſtineant vel illos inhibeant, ſed qvoties natura eò vergit, illud curent, niſi toties repetatur, ut debilitas inde ſeqvatur. Nonnunqvam inſeſſibus uti, conſultum eſt, ut cutis abſtergatur, pori aperiantur, & reliqviæ impurorum humorum eliminentur.

VI. Qvia contagioſus eſt morbus, cavendum ſedulò, ne cum illis edamus aut bibamus, qvibus affectum eſt os, nec uno lecto cum illis cubamus, qvi infecti ſunt eo morbo, & multum ſudant, vel ulceribus in corpore ſcatent. Optandum eſſet, ut in magnis conventibus, ſicut & in navibus, ubi multi conveniunt, unicuiq; ſuum eſſet poculum, & ſuum vas ad haurienda juſcula, qvo medio hic morbus plurimum impediretur.

VII. Qvisqvis ſenſerit ſe in hunc morbum proclivem eſſe, interdum aſſumat duo vel tria cochlearia aqvæ Scorbuticæ præſcriptæ, cujus qvarta menſuræ pars venit marca danica, & ſi videatur fortior, ad unum qvartarium addatur cochlear unum ſyrupi ſcorbutici, uncia ſemis valet duobus ſolidis, ita evadet jucundior & potui aptior. Unusqvisq; poteſt ſibi conficere ſuccum ex cochlearia,

con-

conciſa & contuſa, additoq; vino, benè expreſſa, ex qva ſubſidente & clarificata ſumatur hauſtus bonus Huic indicationi qvoq; inſervit conſerva ſcorbutica præſcripta, ex qva ſingulis horis matutinis ſumatur qvantitate nucis juglandis, nec ſtatim cibus ſuperaddendus. Venit qvat. marcis cum dimidia.

III.

Qvomodo hic morbus curari debeat.

QVia morbi hujus cauſa primaria eſt humor lentus, phlegmaticus, fæculentus, melancholicus & peculiari modò corruptus, ideò adhibenda medicamenta qvæ iſtum humorem 1. præparent, obſtructas venas reſerent, malignitatem ſcorbuticam nonnihil infringant, ut melius deinde 2. expurgetur & educatur. 3. Deinde qvæ roborent eas partes, qvas hic morbus debilitavit, ut ad priſtinum robur redeant membra omnia. 4. Et qvæ remanſerint ſymptomata alicujus momenti, legitimè curent.

I. II. Primam & ſecundam indicationem commodè aſſeqvemur ſimul eodem tempore, Apozemate ſcorbutico præſcripto, cujus pre-

tium eſt qvatuor marcarum cum dimidia, ex qvo qvotidiè jejuno ſtomacho, matutinis horis aſſumatur hauſtus octo vel novem cochlearium, inde cibo abſtinendum ad tempus prandii, & aër vitandus. Qvotidie ille potus repetatur, qvamdiu aliqvid ex medicamento ſupererit.

Si morbus non nimis invaluit, æger robuſtus & plethoricus, calore p. n. torqveatur, venæ ſectioni aſſvetus, poterit poſt uſum Apozematis bis terve repetitum, venam ſiniſtri brachii aperire, ſi eo latere maximè doleat, & dextri, ſi dextrum, tantumq; ſangvinis extrahere qvantum æger eſt ferendo, & morbus reqvirat. Deinde pergendum in uſu Apozematis reſidui.

His finitis, ſi æger ſufficienter non ſit purgatus per Apozema; Purgatio moderata utilis erit, (nam iſte morbus vehementia medicamenta non fert) ex drachma una vel una ſemis pulveris ſenæ, drachma duos ſolidos valet, vel ex ſcrupulo Dialappa, vel ex altero pulvere purgante, ſolid. qvatuordecim, in exiguo hauſtu cereviſiæ calidæ, vini, vel juſculi, & eo ſumpto à cibo abſtinendum. Si adhuc perſeveret morbus, iterum ſumenda illa qvæ ſingulari facultate illi reſiſtunt,

ſtunt, & putridæ fæculentæq; materiæ reliqvias reſolvunt & per ſudores vel urinas expellunt. Pauperiores coqvant duos vel tres manipulos Cochleariæ vel Naſturtii aqvatici in cereviſia veteri, vel ſero lactis in olla benè clauſa, deinde probè exprimant, & expreſſi hauſtum bonum ſumant horis matutinis ſingulis & pomeridianis. Succus cochleariæ, de qvo antea diximus, utilis qvoq; eſt, ſolentq; ſucci ex hujusmodi herbis eſſe efficaciores, qvam pulvis vel ſemen. Vel etiam decoctum illud Antiſcorbuticum, A. à nobis præſcriptum, precio viginti octo ſolidor. vel illud B. trium marcarum & octo ſolidor. ex qvo omni mane ſumendus hauſtus cochleariunı ſeptem vel octo, deindè calidè ſe componat ad ſudorem, aliqvot diebus continuis. Qvi varietate delectatur, interdum hoc utatur, interdum aqva ſcorbutica, ſicut antea dictum.

III. Ad lienem, hepar & cœteras partes roborandas, & ſi qvid adhuc apud illas reliqvum fuerit ex materia ſcorbutica ulterius expurgandum, aſſumi debet Electuarium ſcorbuticum, de qvo antea, qvatuor marcis & octo ſolidis, mane & circa tertiam horam pomeridianam, qvantitate nucis juglandis, in cultri apice, aliqvot ex ordine diebus. Vel

etiam

Digitized by Google

etiam Rotulæ præſcriptæ A. viginti qvatuor ſolidor. vel B. viginti qvatuor ſolidor.

Si lien durus ſit & tumidus, coqvi poſſunt Cochlearia, Becabunga, Ruta, lingva cervina & aliæ hujuſcemodi herbæ in cereviſia veteri, & in hoc decocto tincta ſpongia foveatur lien, deinde inungatur mane & veſperi linimentum ſpleneticum, duar. marcar. imponaturq; Emplaſtrum de Ammoniaco Foreſti, cujus uncia ſemis valet qvatuor *ſolidis* vel de Meliloto, unc. ſemis duobus ſolid. Deniq; ne qvidqvam remaneat, balneum ſeu inſeſſus paretur ex herbis illis ſcorbuticis ſupra recitatis, malva, chamomelo, hiſſopo, lauro & aliis, & anteqvam balneum ingrediaris, capias hauſtulum ex Decocto Antiſcorbutico cum Uncia una Rob. Sambuci, valet duos ſolidos, vel cum ſcrupulo uno ſalis Cardui Benedicti, qvatuor ſolidos, vel ex ſudorifer. 5. marc. qvibus ſumptis deinde in lecto ad ſudorem ſe componat æger. Idq; toties repetatur, qvoties neceſſitas juſſerit.

IV. Qvo-

IV.

Qvomodo Symptomatibus primariis hujus morbi occurrendum.

AD giugivas tumentes, ſangvinolentas, & putridas, cum oris fœtore, primò conducit præſcriptum eclegma, valet duodecim ſolidis, qvo per bacillum ligneum inungatur mundeturq; os intus & extra, deinde eluendum os aqva altera, viginti qvatuor ſolid. qvæ diutius nonnihil dentibus applicetur, fauces qvoq; eadem gangarizandæ, ſi vitii qvidqvam contraxerunt.

II. Maculæ relictæ in pedibus & corpore, ſolent ſua ſponte evaneſcere, curato morbo. At ſi remaneant, pro ſudore eliciendo aſſumendum aliqvid ex ſupradictis, benè cooperiendum corpus, & antea, ut ſudor melius prorumpat & pori aperiantur, corpus & pedes fortiter fricandi linteo aſpero· Deinde coqvendæ herbæ pro pediluvio præſcriptæ, 24 ſolid. ſub operculo, & harum vaporem excipiant pedes diutius, vel ſpongia illis imbuta calidè maculis imponatur.

III. Dolores pedum aliarumq; partium ſolent qvoq; poſt pediluvia remittere, inprimis qvando pedes largè ſudant. Aliàs coqvendi ma-

Digitized by Google

di manipuli duo florum ſambuci in vino cum drachmis duabus Saponis Veneti, qvibus imbutum duplex linteum, calidè involvat pedes.

IV. Si pedes contrahantur & genua ſtupeant & tumeant ut ambulare neqveant, eodem pediluvio ſublevandi, ſuperaddito deinde Cataplasmate A. duar. marcar. cum dimidia, calidè inter duo lintea tenuja mane & veſperi applicato. Utile qvoq; eſt linimentum illud A. qvod tribus marcis venit. Ex eo mane & veſperi aliqvid in cochleari liqvatum inungatur genibus & tendinibus. Cui deinde ſuperimponatur Emplaſtrum Diaphoreticum. Uncia media venit qvatuor ſolidis.

V. Si tumor durus pedes occupet, prædictis medicamentis non cedentibus, Cataplasma A. applicandum, vel alterum litera B. ſignatum, ſolid. 24.

VI. Mala ulcera in pedibus apparere ſolita, à Chirurgo perito curentur. Pauperioribus ſæpe profuit, qvod ſemel vel bis de die laverint pedes cerevisiâ veteri, cui incocti fuerunt manipuli duo vel tres Becabungæ. Linimentum B. 28. ſolid. hujusmodi ulcera purificat. ut deinde benè conſolidentur Emplaſtro Griſeo, Uncia ſemis valet duobus ſolid. qvod Dani vocant Graa Been-Plaſter.

VII. Qvan-

Digitized by Google

VII. Qvando alii morbi conjunguntur, conſulendus Medicus prudens & peritus, qvi omnia in hoc caſu curet ex lege artis. Hæc paucula tantum annotavimus pro vulgo, cui non ſemper licet habere Medicum præſentem. Qvorum ut apud ægros vires exſerantur, Deum cœleſtem ſupplices rogamus.

Medicamenta, qvorum in hoc Conſilio fit mentio, hoc modo præparantur.

Herbæ pro Vino Abſinthite.

℞, Rad. Scorzon. Hiſp.
Gariophyllat. ana Unc. j.
Gentian. Drachm iij.
Ligni Saſſafras Unc. j. ſ.
Comar. Abſinth. m. iij.
Herb. Scolopendr.
Camedr.
Cochlear.
Veronic. ana m. ij.
Sumit. Centaur. min. p. j.
Cinamom.
Cort. Citri.
Aurant. ana Drachm. ij.
Inciſa & contuſa dentur.

Pillu-

Digitized by Google

Pillulæ de Ammoniaco.

R. Aloes ſucco Cochleariæ ter lotæ Unc. ſ.
Gum. Ammon. in Aceto
Scyllit. ſolut. Drachm. j.
Chalyb. præp. Scrup. iiij.
Myrrh.
Cremor. Tartar. ana Scrup. ij.
Salis Abſinth.
Croci ana gr. xij.
Cum Syrup. Roſ. Sol. f. Maſſa.

Aqva Scorbutica.

R. Rad. Raphan. Ruſt. in orbiculos conciſi lib. iij.
Scorzon. Hiſp. Unc. ij.
Cort. Rad. cappar.
Tamariſc. an. Unc. ſs.
Fol. Cochlear.
Naſturc. aqv. Petroſel.
Beccabung. recent. an. M. iij.
Sem. Cochlear.
Card. bened.
Aqvileg.
Fænicul. an. Drachm. iij.
Cremor. Tartar. Drachm. ij.
Gran. paradiſi.
Cardamom. an. Drachm. j.

Aſſun-

Digitized by Google

Affunde Vini Rhenan. lib. xij.
Aq. Cochlear.
Fumar. ana lib. j.
Stent in digeſtione viginti qvatuor horis dein per cineres deſtillentur.

Syrupus Scorbuticus.

R. Succi Cochlear.
Beccabung. ana lib. iij.
Sacchar. opt. lib. ij.
Coqvantur ſimul & f. Syrupus.

Apozema Scorbuticum.

R. Rad. Raphan. Silveſtr. Unc. j.
Helen. Unc. ſ.
Herb. Cochlear.
Beccabung.
Naſturc. Aqvatic. ana m. j.
Chamedr. Petroſel.
Scolopendr. ana m. ſ.
Sem. Fænicul.
Aniſi ana Drachm. ij.
Cochlear. Drachm. j.
Fol. Sen. Unc. j.
Agaric. alb. Drachm. v.
Zinziber.
Galang. ana Scrup. ij.

Digitized by Google

Coqvantur in ſero lactis q. ſ.
Colaturæ R. lib. j. ſ.
Oxymel. comp.
Syr. Scelotyrb. ana Unc. j.
M. f. Apozema.

Pulvis Purgans.

R. Reſin Scamon. gr. vij.
Jalap. gr. ij.
Cremor. Tartar. Scrup. j.
Spec. Arom Roſ. gr. vij.
M. f. pulvis.

Senæ pulvis.

R. Fol. Senæ Unc. ſ.
Epithym.
Polypod. Qverc.
Cremor. Tartar.
Rhabarb. Monach. ana Drach. ſ.
Sem. Aniſ.
Fænicul. ana Scrup. ij.
M. f. pulvis.

Decoctum Antiſcorbuticum.

R. Herb. Cochlear. Petroſelini.
Beccabung.
Naſturc. aqvatic. ana m. iij.
Contuſis adde Rad.

Rad. Irid. noſtr. hortenſ.
Sem. Erucæ ana Unc. ſ.
Zinzib.
Gariophyllor. ana Drachm. j.
Coqve in ſeri lactis Lib. ij.
Colatura detur.

Electuarium Scorbuticum.

R. Conſerv. Cochlear. Unc. ij.
Beccabung.
Naſturc. aqvatic.
Chelidon. min. ana Unc. j.
Condit. Cort. Citri.
Rad Scorzon.
Pimpin. ana Unc. ſ.
Trochiſc. de Cap.
de Eupat.
Spec. Diarrhod. Ab.
Arom. Roſ. ana Drachm. j.
Spirit. Vitriol. Scrup. ij.
Cum Syr. Scelotyrb. q. ſ. F. Electuarium.

Rotulæ. A.

R. Spec. Diarrhod. Ab. Scrup. iiij.
Diatrionſant.
Trochiſc. de Cap. ana ſcrup. ij.
Sacchar. in aq. Cochlear. & Agrim. q. ſ.
ſol. Unc. ij.
M. f. Rotulæ.

Digitized by Google

Linimentum Splenet.

R. Ol. de Cappar.
Rutac.
Amygd. amar. ana Unc. ſ.
Succ. Cochlear.
Naſturc. aqvatic.
Bryon. ana Drachm. vj.
Coqve ad ſuccorum conſumpt. adde Ammoniac. in aceto ſolut. Drachm. ij.
Pulv. Rad. Aſar.
Ciclamin.
Cortic. Rad. Cappar.
Sem. Agni Caſti ana Scrup. ij.
Ceræ q. ſ. F. Linimentum.

Eclegma.

R. Mel. Roſar. colat. Unc. j.
Oxymel. ſcyllit.
Syr. Scelotyrb. ana Unc. ſ.
Alum. uſt. Drachm. ſ.
Spiritus Vitriol. q. ſ.
Ad acorem.

Aqva pro oris ablutione.

R. Rad. Tormentill. Unc. ſ.
Herb. Cochlear.
Naſturc. aq.
Saturei.

Fl. Roſ.

Digitized by Google

Fl. Roſ. rubr. ana m. ſ.
Sem. Aqvileg. Drachm. ij.
Balauſt. Drachm. ſ.
Coq. in aqva ferrata
Colaturæ R. lib. j. adde
Alum. Drachm. j.
Mellis Roſat.
Syr. Scelotyrb. ana Unc. ſ.

Herbæ pro Pediluvio.

R. Naſturc. aqvatic. Hortenſ. Cochlear.
Beccabung. ana m. ij
Aqvileg. Thymi. Saturci. Puleg.
Fol. Lauri ana m. j.
Rorismar.
Fl. Chamomill.
Melilot. ana m. ſ.
Baccarum Junip. Unc. ſ.
Incidantur & contundantur.

Cataplasma A.

R. Rad. Lil. alb. Alth. Hermodact. a. unc. ſ.
Herb. Alth. Cochlear Beccabung. Melilot Chamomill. Parietar. a. m. j.
Roſar. rubr. Drachm. iij.
Caricar. pingv. N. vij.
Vermium terreſt. præp. Drachm. ij. ſ.

Farin Tritic. Hordei. Fabar. ana unc. ſ.
Medullæ panis tritic. lib. ſ.
Coq. in aq. flor. Sambuci ad formam pultis & F. Cataplaſma.

Cataplaſma B.

R. Pulv. Rad. Bryon. Alth. ana unc. ſ.
Flor. Chamomill.
Herb. Fumar. Abſinth. Beccabung.
Naſturc. aqvatic. ana m. j.
Farinæ Fabar.
Orobi ana unc. ſ.
Medull. panis tritic.
Siligin ana Lib. ſ.
Coqvantur in lacte caprillo & F. Cataplaſma.

Linimentum. A.

R. Ol. Hypericon.
Lumbr. Terreſt. ana unc. ij.
Succ. Cochlear.
Naſturc. aqvatic. ana unc. j.
Copve ad ſuccorum conſumpt. adde Emplaſt. Diaphoret. q. ſ. ad conſiſtentiam Linimenti.

Lini-

Digitized by Google

Linimentum B.

R. Succi Apii. Meliſs. Cochlear.
Beccab. ana unc. j.
Chelid. maj. Drachm. vij.
Mellis crudi. q. ſ.
Coqvantur ad conſiſtentiam
circa finem adde
Pulv. Aloës. Thuris. Myrrh. ana dr. j.
M. f. Linimentum.

Decoct. Antiſcorbuticum. B.

R. Rad. Filicis. Tamariſc.
Cort. Rad. Capp. ana Unc. ſ.
Herb. Abſinth. m. ſ.
Fumar. Ceterach. Cuſcut. a. m. j.
Thim. Epithim.
Fl. Borrag. ana pug. ij.
Coqve in ſeri lactis lib. iiij. ad conſumpt.
medietatis, Colaturæ album. ovi clarific.
affunde
Vini Rhenan. lib. ſ.
Syr. de Cochlear. Unc. iiij.
Beccabung. Unc. ij.
M.

Trochiſci. B.

R. Sacchar. in aq. Fumar. ſolut. Unc. iiij.

 Spec.

Digitized by Google

Spec. Diatrionſantal. Drachm. j.
Trochiſc. de Cappar. Drachm. ſ.
Extract. Sinapi Scrup. j.
Ol. Gariophyll. gutt. vj.
Cum mucilagine Tragacant.
F. Trochiſci.

Sudorifera Potio.

R. Rad. Scorzon. Unc. j.
Gramin.
Scobis C. C. ana Unc. ſ.
Paſſul. min. contuſ. Unc. j.
Tamarind. Drachm. vj.
Incidantur & coqvantur in decocto Hordei Lib. vj.
Colaturæ clarificatæ adde
Syr. Cochlear. Unc. ij.
Beccabung. Unc. j.
Aq. Cinam. Diaborrag.
Succi Citri ana Unc. ij.
M.

LOCULUS XLIX.

De Abortu 13. hebdomadarum.

QVandoqvidem nobis Medicinæ in Academia Hafnienſi Profeſſoribus oblata eſt

Digitized by Google

ta eſt à Magnifico Domino Cancellario Domino Chriſtiano Thomæ Dn. de Stougaard, ſententia judicialis Judicis Provincialis in Scania, lata 1648. die 21. Junii, cum aliis documentis in cauſa cujusdam feminæ Chriſtinæ Benedictæ, qvæ creditur geſtaſſe uterum tertia decima hebdomada, & die Paſſionis dominicæ exoneravit illud qvod geſtavit, poſtqvam pridie portaſſet & levaſſet magnum ponderoſumq; ſaccum, deinde lavaſſet, qvemadmodum ex actibus porrò innoteſcit; eaq; cauſa ad tribunal judicis Provincialis Nobiliſſimi Domini Chiliani Kragh Dn. de Trutzholm citata, ita deciſa eſt, ut ad Cenſuram Profeſſorum Medicinæ remitteretur, qvi ſententiam ſuam ſcripto indicarent, an fœtus iſte paucarum hebdomadarum poſſet cenſeri eſſe perfectus: Nos igitur ex voluntate Magnifici Domini Cancellarii convenimus in Conſiſtorio XVII. Julii, rem expendimus diligenter cum documentis & teſtimoniis, nec potuimus exinde colligere, qvod femina iſta prægnans fuerit, & qvanqvam imprægnata fuerit, non tamen potuit fætus brevi illo tempore tantum profeciſſe, ut pro perfecto æſtimaretur. In rei fidem Sigillo Facultatis Medicæ hæc

munivimus Actum Hafniæ in Conſiſtorio, ut ſupra.

L. S.

De Femina lactante.

QVandoqvidem Conſules & Senatores in Warde feminam claudicantem arreſto detinent, qvæ creditur infantem ſuum occidiſſe: Hinc honeſtæ feminæ inſpexerunt illam, & invenerunt illam habere lac *candidum* in mammis, parvoq; interpoſito tempore reviſerunt eandem, contrectatisq; mammis, obſervarunt lac non adeò candidum, ſicut prius, ſed magis aqvoſum, ſicut teſtimonia publica ulterius demonſtrant. Unde amicè Medicorum judicium expeto, an femina poſſit in mammis habere lac candidum, qvæ nuper non peperit. Hafniæ 7. Julii Anno 1649.

GREGORIUS KRABBE.

QVIa urget magnificus Dominus Cancellarius, ut Medici reſpondeant ad qvæſtionem à Generoſo & Nobiliſſimo Eqvite Dn. Gregorio Krabbe &c. propoſitam, an ulla femina poſſit habere in mammis lac can-

candidum, qvæ nuper non peperit; ſiqvidem in Warde accidit, mulierem qvandam detentam, nomine Catharinam Nicolai filiam, qvæ putabatur fuiſſe prægnans & fœtum interemiſſe, qvia in mammis illius lac album inveniebatur. Medici igitur ita ad propoſitum caſum reſpondent: Qvandoqvidem experientia demonſtret, & multis variorum exemplis oſtenſum ſit, qvod non in pueris tantum utriusq; ſexus in mammillis poſſit lac album obſervari, ſed etiam in puellis, de qvibus nulla dubitatio fuit, imo etiam in Viris adeò abundans, ut infantes eo lacte potuerint nutrire, & faciem illorum conſpergere, qvi aſſidebant; præterea & Hippocrates & alii Medici antiqvi ſatis probarint & explicarint qvomodo id fieri poſſit: non poſſumus nos perſpicere, qva ratione poſſit hoc ſignum pro indubitato cenſeri, qvod femina vel prægnans ſit, vel pepererit: Et in hoc caſu, videtur id huic feminæ eſſe naturale & connatum, qvia ſoror ejus deprehenſa eſt cum lacte in mammis decimo ſexto anno poſtqam infantes ſuos in lucem edidiſſet, ſicut ex teſtimoniis publicis fuit evictum: inprimis etiam, qvia necdum potuit de illa probari, qvod nunc pepererit, & conſtanter perneget in judicio & coram

coram matronis, qvæ ipſam inviſerant, qvod qvidqvam excluſerit.

Actum in Conſiſtorio Hafniæ die XI. Julii 1649.

Olaus Worm D.	Simon Paulli D.
Jacobus Svabe D.	Nicolaus Wichman D.
Henricus Fuiren D.	Thomas Bartholinus D.

LOCULUS L.

Apertio cadaveris lingvâ bubulâ extincti.

ANno 1650. die 18. Febr. ex Prætoris Regii mandato, nos infraſcripti bini Chirurgi, rogavimus Virum Clariſſimum & Excellentiſſimum D. Thomam Bartholinum, Profeſſorem Anatomicum Regiæ Academiæ, ut & Virum Clariſſimum & Excellentiſſimum D. Henricum Fuiren Medicum, nobiſcum ut intereſſent apertioni & inſpectioni cadaveris Svenonis Olai, ſicut amplius in mandato Prætoriano jubemur. Qvum aperuiſſemus ejusdem defuncti cadaver, qvousq; ad rem præſentem opus erat, invenimus in aſperæ illius arteriæ capite impactum fruſtulum lingvæ bubulæ aſſæ hucusq; degluritum, pondere

dere Unciæ penè unius cum dimidia, qvod pertranſierat Epiglottida, & impediverat qvod neq; ſpiritum ducere neq; loqvi potuerit; ſiqvidem & reſpiratio & loqvela per aſperam arteriam ex pulmonibus dependet; unde ſubitò ſuffocatus fuerat, ut omni conatu non potuerit rejici tam citò, anteqvam ſuffocaretur. Ita in rei veritate actum eſſe confitemur, Hafniæ ut ſupra.

Ita me præſente obſervatum eſſe teſtor

THOMAS BARTHOLINUS D. & P. P.

Martinus Sixius Chirurgus.

Qvod in mea præſentiâ hæc reperta ſint, teſtor

HENRICUS FUIREN. D.

Chriſtianus Wineke Chirurgus.

LOCULUS LI.

Judicium Medicorum Hafnienſium de formula medicamenti ex Jalappa à Patre ſoc. Jeſu conſcripta.

ANno 1650. Cal. April. juſſu Illuſtris & Generoſi Dn. Chriſtiani Thomæi de Stou-

Digitized by Google

Stougard, Reg. Majeſt. Cancellarii ac Regni Daniæ Senatoris primarii, Academiæ ac Ordinis Literatorum Conſervatoris Optimi, in Concilio Medico exhibita eſt hæc formula medicamenti:

R. Salapii, agarici à Drach. ij. Gingiberis Drach. ſem. infunde in lib. ij. mulſi horis 24. tranſcola Collature adjunge olei ſuccini Drachm. unam. muſci gr. I. croci drach. ſem. doſis Unc. ij. *alternis* diebus:

Heri veſperi hora 5. veſpertina exhibita 3. Novemb. 1648. pro Daniele Zölnero: & ſimul propoſita qvæſtio: an hoc medicamentum à bono & approbato Medico præſcriptum cenſeri poſſet?

Et qvanqvam medicamenta meritò cenſeri debeant DEI manus: interim tamen non poſſunt, niſi iis rectè utentem nacta fuerint: In hoc verò medicamento variorum & diſparium mixtio & confuſio appareat, non uno nomine ſæpe periculoſa; & in liqvida colatura olei commiſtio merito ſuſpecta haberi debeat, & legitimæ methodi non ſolitarum formularum neglectus obvius ſit; qvin idem diverſis morbis & diſſimilibus indicationibus præſcriptum narretur, qvaſi Catholicum,

licum, non à Rationali, bono, aut probato Medico præſcriptum eſſe, judicatum fuit.

Sub Sigillo Facultatis Medicæ.

L. S.

RESPONSIO.

Ad Judicium Medicæ Facultatis ſuper qvodam meo medicamento habitum Hafniæ An. 1650. Cal. April.

NIhil decreveram ad hoc judicium reſpondere: tum qvod improbat illud, cujus præſcriptionis finem ignorat; tum qvod nullo rationabili nitatur fundamento. Qvia tamen D. Comes de Rebolledo (cui hoc judicium oblatum fuit) affirmabat reſponſionem à me nomine Facultatis Medicæ petitam; non potui illi non morem gerere, ac breviter reſpondere:

Formula medicamenti, de qvo fertur judicium, hæc eſt:

R. Jalap. Agarici ana Drach. ij. Gingib. Drach. ſem. Infund. in lib. ij. mulſi horis 24. tranſcola. Colaturæ adjunge olei ſuccini Drachm. j. moſci gr. j. Croci drach. ſem. Doſis Unc. ij. alternis diebus.

Qvæ-

Qværitur ergo an hoc Medicamentum à rationabili bono ac probato Medico præſcriptum cenſeri poſſit?

Concluditur negativè: unde ulterius inſinuatur prodeſſe non potuiſſe; qvia medicamenta non proſunt (ut rectè aſſerunt) niſi rectè iis utentem nacta fuerint.

Verum ſi boni illi judices ex æqvo judicare voluiſſent, prorſus oppoſitum concluſiſſent, in hunc modum:

Medicamenta ut proſint, neceſſe eſt ut nacta fuerint iis rectè utentes: ſed hoc medicamentum profuit, & multis, & malo inveterato: E. neceſſe eſt ut nactum fuerit eo rectè utentem, E rationabilem bonum & approbatum Medicum.

Major à parte datur. Minorem non potuerunt ignorare diligentes iſti ſcrutatores. Qvod ſi ignorantiam ſimulant, probabo eam teſtibus omni exceptione majoribus. Conſeqventia eſt legitima. Sed examinemus breviter, qvibus hoc medicamentum improbatur.

Prima ratio. Qvia in hoc medicamento variorum & diſparium mixtio & confuſio apparet. Reſpondeo ita eſſe. Et ſi hoc arguat Medicum irrationabilem, poterunt etiam

ſuum

Digitized by Google

ſuum Hippocratem & Galenum irrationabilibus Medicis adnumerare: qvia hi etiam in plerisq; ſuis medicamentis mixtionem & confuſionem admittunt.

Secunda ratio: Qvia hoc medicamentum non uno nomine ſuſpectum eſt, Triplex autem aſſignatur periculum.

Primum periculum hujus medicamenti: Qvia in liqvida colatura olei commixtio eſt ſuſpecta.

Secundum: Qvia adeſt neglectus legitimæ methodi & ſolitarum formularum.

Tertium: Qvia hoc medicamentum diverſis morbis, & diſſimilibus indicationibus, ut Catholicum præſcribitur.

Reſpondeo ad primum periculum: ſi in liqvida colatura olei commixtio ſuſpecta eſt: caveant ſibi Medici ne lactucas comedant mixtura olei acetiq; conditas. Caveant ſibi ab oleo vitrioli, ſulphuris, Roſmarini &c. ne miſceant hæc cum alio liqvore, qvod paſſim faciunt, & rectè, ni velint os adurere: Caveant deniq; ne, qvod plerunq; faciunt, clyſteribus oleum admiſceant.

Ad ſecundum periculum reſpondeo, & peto cujus methodi & qvarum formularum neglectus hic adeſt? Galeni an alterius? ſi Ga-

 leni,

leni, non profiteor ſeqvelam Galeni: & ſi hoc periculoſum; condemnabunt omnes Medicos antiqviores & recentiores, qvi Galenum non ſeqvuntur. Si alterius, hunc mihi nominent, ſine cujus formulis nullum medicamentum tuto adminiſtratur.

Ad tertium periculum reſpondeo, bonos hos judices mihi affingere abſurdum, qvod condemnant: probatum ergo exhibeant me hoc medicamentum aut verbo aut ſcripto catholicum ſeu univerſale ſtatuiſſe, ſi judices eſſe volunt rationales, boni & probati.

GODEFRIDUS FRANCKEN.

Qvæſtio generalis in Collegio Medico propoſita:

An illi reſpondendum, qvi ſe probatum Medicum nondum probavit? qvia infra dignitatem alioqvin eſt Collegii.

1. MAndatum Cancellarii ſeqvimur, ut ille ſui.

2. An præſcriptionis finem ignoraverimus? R. infra agnoſcit nos non ignoraſſe.

3. An

3. An ullo rationali ſundamento nitatur, Probatum deinde erit.

4. A Facultate Medica non eſt expetita reſponſio.

5. In Formula reſcribenda multa falſa commiſſa ab illo & renovata. 1. Jalapii pro Salapii. 2. Colaturæ pro collature. 3. Omiſit infraſcriptum nomen Zölneri & tempus exhibiti medicamenti.

6. Invertit ſtatum controverſiæ ſophiſtico more & animo: A rationabili bono ac probato Medico &c. In qva inverſione latet fucus & fallacia. Rationabilis bonus.

7. In Syllogismo modus mirandus. Minor ejusdem 1. probanda. 2. Dicit nos ignorare non potuiſſe, & tamen ſupra ſibi contrarius affirmat nos ignoraſſe. 3. Probandum in ſpecie præſcriptum remedium huic homini, cujus nomen extat, profuiſſe. 4. A teſtibus, Empirica ratio. Ergo & cum ratione id factum probat qvoq;.

8. Ad Reſponſionem ad argumentum primum. 1. Agnoſcit confuſionem diſparium, qvam juſtis de cauſis improbavimus. 2. Monſtret loca expreſſa Hippocratis & Galeni, in qvibus talis eſt confuſio & irrationabilitas & ἀμεθοδίαν.

 9. Ad

Digitized by Google

9. Ad periculum primum. R. Baculus ſtat in angulo, ergò Pompejus vincet. Nos de cæpis, ille de alliis. Hæc lactuca illius labiis convenit cum oleo ſuccini. Ex confuſione oleorum apparet illius imperitia. Dispar enim ratio qvatuor ſpecierum oleorum. Nec omnium oleorum confuſionem improbavimus, ſed tantum in infuſione.

10. Ad ſecundum periculum. Non ſeqvimur autores, ſed legitimam methodum ratione & experientia ſuffultam. Ex aliis exſcribere Empiricorum eſt. Nec ullum pro ſe adducet, ſeu Galenicum, ſeu Chymicum.

11. Ad tertium periculum. 1. Nobis injuriam facit, qvia narrari dicimus, non ſcriptum, aut dictum; & addidimus, qvaſi Catholicum. 2. Ipſe ſupra faſſus eſt multis profuiſſe, & in malo inveterato.

12. Vitia autem præſcriptæ formulæ hæc ſunt:

1. Corrigentia non ſufficiunt purgantibus.
2. Doſes XII. ibi præſcriptæ ad tres rediguntur legitimas.
3. Oleum ſuccini periculoſum in infuſione, qvia ſupernatat, & in una doſi poteſt exhauriri.

4. Moſchi

4. Moſchi granum unum in doſes XII. diviſum, nihil efficiet.

Conſultus igitur ſuper hac re Magnificus Cancellarius per Excellentiſſimum WORMIUM nomine Collegii, conſenſit illi non eſſe reſpondendum, ſed cauſas ſilentii Legato Hiſpanico eſſe aperiendas. Igitur THOMAS BARTHOLINUS alia data occaſione Comiti inſinuavit modeſtè, à Collegio illi non eſſe reſponſum, partim qvod authoritati Illuſtris Comitis venerabundum aſſurgeret, partim qvod presbyterum illum ſciret, cui in Decretalibus Pontificum medicinam facere ſit interdictum, & ex confeſſione ipſius Comitis Lauream Medicorum nunqvam meruerit, partim deniq; qvod reſponſionem vix mereretur hinc inde ſibi contrarius, nobis injurius. Ad qvæ præmiſſa gratiarum actione pro honore à Collegio ſibi delato, Illuſtris Comes de REBOLLEDO reſpondit; qvanqvam præſcriptæ formulæ ſucceſſum optatum & felicem inter alios qvamplurimos ſit expertus non ita pridem Generoſus Petrus Wibe, Qvæſtor Regius; tamen ſe reſponſionem non urgere, qvum & manu propria ad Presbyterum ſuum miſſa honorificè de Collegio noſtro ſenſerit, & ab his medicinalibus contro-

ver-

verſis abſtinere eum voluerit, cui ſalus animarum tantum eſt concredita.

LOCULUS LII.

Cenſura Medicorum Hafnienſium de Filio Conſulis Roëskildenſis Mercurio ſublimato mortuo Anno 1651.

QVandoqvidem clementiſſimum mandatum Ser. Reg. Maj. accepimus, qvo Decanus Facultatis Medicæ, cum omnibus Majeſt. Reg. Medicis aulicis, & aliis Medicinæ Profeſſoribus & Doctoribus hic Hafniæ commorantibus, ſine morâ citare jubetur (in caſu illo filii Conſulis Roëskildenſis Chriſtiani Sthenonis, qvem inſperata mors abſtulit) Doctorem Roëskildenſem, Pharmacopæi miniſtrum, & famulum, uti & cæteros ad hanc cauſam ſpectantes, diligenter in rei veritatem inqvirere, & deinde ſententiam ſuam ſcripto conſignare, qvisnam mortis repentinæ hujus filioli cauſa ſit: Nos igitur ſupra nominati, Ser. Reg. Maj. clementiſſimo mandato obtemperaturi, die 26. Sept. coram nobis comparere juſſimus præmiſſa citatione qvoscunqʒ ſcivimus in hac cauſa eſſe intricatos.

tos. Die 30. Septembris, comparuerunt ſinguli in Conſiſtorio citati, præter miniſtrum Pharmaceuticum, qvi citari non potuit, qvia fugâ ante ſe ſubduxerat: eodem tempore nobis in judicio exhibitæ tres Doctoris variantes formulæ & deſcriptiones iſtius aqvæ qvæ puero fuerat oblatæ, inter qvas in primâ, qvæ ſcripta erat in ædibus Conſulis ibiq; remanſerat, inveniebatur Mercurii vivi drachma una, in altera, qvæ ſcripta qvoq; fuerat in ædibus Conſulis & ad Pharmacopolium miſſâ, erat Mercurii crudi drachma una, de qva ſchedula conqveritur Doctor, primò, qvod ſignum Mercurii fuerit mutatum & alio additamento variatum, qvàm ipſe conceperat: Deinde qvod ſecundum longitudinem fuerit diſciſſâ charta. Tertia formula ſcripta fuerat in Pharmacopolio poſt obitum pueri, manu propriâ Doctoris, ubi Mercurii crudi Drachma ſemis ſignata fuit. Hinc coram judicio prodiit Conſul Chriſtianus Sthenonis cum Conjuge, & audiente Doctore retulit qvid cum filiolo actum ſit, ægrotante & mortuo. Inter alia narrabant, eo die, qvo puero ebibenda erat potio à Doctore præſcripta, adveniſſe Doctorem qvæſiviſſeq; an puer ebibiſſet qvod mandatum fuerat, ſed matrem re-

ſpondiſſe non, qvia puer nocte prægreſſa qviete dormiverat, nec velle ſe ſomnum interrumpere, monſtraſſe verò Doctori vitrum, qvæ aqvam continebat ebibendam, dixiſſeq; Domine Doctor, an conſultum erit puero exhibere aqvam hanc, in cujus fundo non invenio argentum vivum, qvod narrabas ineſſe debere, qvum etiam puer benè dormiverit hac nocte, jamq; cibum appetit. Cui reſponderat Doctor, tam parva doſi ineſſe Mercurium, ut videri non poſſit, apprehenſoq; vitro hinc inde verſaſſe, & monuiſſe, ſe velle percolare & duo cochlearia percolatæ exhibere puero bibenda, tantumq; aqvæ in vitrea menſura verſaſſe qvantum una vice puer aſſumere deberet, qvod etiam Johannes Herwig Balneator ſcripto teſtabatur.

Contra hanc accuſationem coram judicio noſtro in ſui defenſionem protulit *latinum* ſcriptum Doctor, qvo hiſtoriam morbi complectebatur, & germanica lingva interpretabatur, ut accuſatores id intelligerent; inprimis excepit, non accuratè adeò inſpexiſſe ſe potionem, anteqvam puero eſſet exhibita, nec ſperaſſe miniſtrum Pharmaceuticum adeò mala fide acturum cum illis. Contra qvam inſtantiam, regerebat mater & Balneator,

ator, non poſſe à Doctore negari, qvod vitrum in manu habuerit, concuſſerit, & per linteum percolaverit. Prælecta qvoq; nobis fuit miniſtri Pharmaceutici epiſtola ad Eſaiam Pharmacopolam ſcripta, in qva fatetur ſe pro Mercurio crudo Mercurium ſublimatum ſumpſiſſe, qvia ipſi videbatur ſignum illud, in Recepta poſitum, eſſe Mercurii ſublimati, nec ſciviſſe ſe an internè vel externè debuerit adhiberi.

Ex tali hujus Cauſæ conditione, aliter judicare non potuimus, qvam qvod miniſter Pharmaceuticus ſit prima & primaria cauſa mortis pueri, ſiqvidem fuga culpam confeſſus eſt, & in literis fatetur ſe ſumpſiſſe Mercurium ſublimatum, qvod præſens eſt venenum, loco Mercurii vivi, & ſi ipſi ſcrupulus ullus fuiſſet in formula Medici, debuiſſet illum conſulere ibidem præſentem, qvum de ſigno illo Mercurii dubitaret. Interim tamen aſſerere non poſſumus Medicum omni culpa vacare, ſiqvidem potionem manu apprehenſam ſurſum deorſum verſavit, & per linteum colavit, qvantitatem potus menſura definivit ipſe anteqvam puer biberet, nec animadvertit Mercurium in fundo vitri deeſſe. Hæc noſtra eſt ſententia ex mandato Ser. Reg.

Digitized by Google

Maj. concepta. Actum in Conſiſtorio Academico 30. Septembr. Anno 1651.

Sub Sigillo Facultatis Medicæ.

Jacobus Fabricius D.
Petrus Bullichius D.
Chriſtianus Fabricius D.
Jacobus Svabe D.
Olaus Worm Vice-Decanus.
Simon Paulli D.
Paulus Moth D.
Henricus Fuiten D.

D. PREUSMANNI Defenſio Mercurii Vivi.

QVin Candide, æqve, ac amice Lector, de ſubito & inſperato obitu, Petri, Chriſtiani Steenſen / Conſulis hujus Urbis filioli, inaudiveris, nullus dubitare poſſum, utpote cum eum, non tantum in ore eſſe omnium, ſed & me, hujus inopinati exitus authorem falſiſſimè à vulgo traduci, nullâ non horâ comperiar. Licet autem cordium ſcrutatori, Ter Optimo, Ter Maximo, mea innocentia ſatis ſit perſpecta, te tamen etiam, Lector amice qvi rem hanc, vel ex parte tantum, vel ſiniſtrè forſan cognôſti, eam, pro ut eſt geſta, latere nolui, ſperans, me hinc de atrociſſimo, qvô incuſor crimi-

crimine, apud te excuſatum iri, ſimulq; tuam promeriturum condolentiã. Interim ad Deum coram te provocans, conſcientiam mille teſtem conteſtans, rem, prout tibi eam narrabo, ſeſe habere omnem. Ideoq; Væ Væ! inqvam mihi, ſecus ſi fecero.

Poſtqvam 16. Menſis currentis ſeptembris qvi erat dies Martis, per famulum à parentibus ad filium ſuum, circiter tertiam pomeridianam accerſitus eſſem, qvi jam ſex vel ſeptem decubuerat diebus, cum mater pridiè in conventu nuptiali, ejus, morbiq; mentionem coram me feciſſet, invenio in eo, pulſum freqventem, parvum, debilem; Urinam, qvod eam omnino aſſervarant, inſpicere non licuit, calorem pro natura morbi & ſymptomatum mitiorem, de qvorum, ut animalium, ita vitalium, & naturalium congerie, multa, ut & de macularum eruptione ſeu præſentia, mater narrabat, qvas tamen etiam præ pueri impatientia, eo die videre non eſt datum. Cumq; hinc de febri continua (de qva nullus dubitabat, licet alternis diebus puerum pejus habere dicerent) eâq; malignâ ſuſpicarer, atq; à matre intelligerem, ſe filio, C. C. philoſ. præparatum (credo & lapidem Bezoarticum) & propinaſſe, & in cerevifia, qvam pota-

potabat, ſuſpendiſſe, ab eademq; informarer, puerum omnia reſpuere & reformidare medicamenta, adeoq; admonerer, ut ſi qvid vellem, præſcribere, id ipſum non ſit ingratum, & minimâ etiam doſi exhiberi poſſit; ordinavi eo die Spiritum fuliginis rectificatum, ex aqva Cardui-Benedicti ad gutt. tres vel qvatuor, eâdem ipsâ veſperâ, ut & inſtanti mane porrigendum, qvo ipſo, qvod puer lecto contineri neqvaqvam vellet, eo die nullus, ſeqventi autem copioſus profluxit ſudor, matre id referente, cum tunc circa medium nonæ matutinæ decumbentem viſitarem, adeò ut jam lecti pertæſus, qvo vi, per ſemihorium contentus fuerat, cum brachio geſtaretur, ſudor guttatim adhuc de facie proflueret, qvod impenſe gaudebam, cumq; de maculis, qvas jam ante non videram, certior nunc reddi cuperem, puer ad matris juſſum, in cunis compoſitus, eſt detectus, qvem probè inſpectum, paucis, iiſq; minimis conſperſum puncticulis deprehendi, (qvas ſi ſudore, qvem optimè tulerat, ex parte diſcuſſas qvis dixerit, ei non repugnabo) Unde matrem benè ſperare juſſi. Interim, qvod eadem, lumbricorum pridie meminiſſet, ſeq; puero, non diu ante ſemen ſantonici, vel ejusmod,

qvid

Digitized by Google

qvid, pro iis abigendis, terna exhibuiſſe aſſereret vice, qvamvis ſine fructu, cæpi eorum ſigna in conſiderationem trahere. Itaq; qvod in detecto, ventris diſtentionem & inflationem, hinc fætorem oris, ſomnum inqvietum cum ſaltu, pruritum & frictionem narium, labiorum contrectationem freqventem, faciem pallidam, oculos concavos & tenebroſos, ejus albi in pallidum mutationem, fluxum alvi &c. obſervarem, nil obſtitit, qvin puerum vermibus, tam vivis, qvam mortuis, & in inteſtinis putreſcentibus laborare, indeq; febrim, qvam patiebatur, originem duxiſſe, & crederem & matri affirmarem, hincq; de remedio eos tam enecante, qvam expellente, cogitare incæpi. Nolui autem eo mane, qvicqvam præſcribere, ſed ſudoris effectum me ad veſperam usq; exſpectaturum, cui ſcilicet febris malignitas ſemper aurem vellicaret, dixi, adeoq; pace illorum abii. Reverſo poſt meridiem, de inqvietudine & ſaltu in ſomno, qvoties per momentum eo beatetur, cum iterum mater multa conqvereretur, filiumq; ſuum, & ſudore nihil levatum, & octo jam noctes continuas inſomnes duxiſſe aſſereret, adeoq; linimentum qvoddam ſomniferum in fictili, ex præſcriptione

ſui

ſui Affinis Domini Doctoris Thomæ Bartholini, jam ultra annum aſſervatum oſtenderet, & num eo, etiamnum uti poſſet, inqvireret, annui ego, addens, poſſe interim granis opii aliqvot vigorari; pro vermibus autem eradicandis, ſvadebam, ut è Pharmacopolio noſtro adferri ſibi curaret drach. j. Mercurii vivi & Unc. iiij. aq. graminis, qvæ duo in vitro anguſtioris colli confundi, aliqvoties moveri, & ex hac infuſione depleta, manè & veſperi, cochlear unum, puero exhiberi juſſi, adeoq; pro memoria, in chartam conjeci, tria jam dicta, hac ut vides, ſerie, qvam etiam num Dominus Conſul adſervatam habet, qvod mihi non ingratum.

Opii Thebaici gr. iiij.
Aq. graminis Unc. iiij.
Mercurii vivi Drachm. j.

Sed qvid fit? paulo poſt, an meâ, an matris occaſione non dixerim, mutamus ſententiam, & ut in pharmacopolio præparetur, concludimus. Qvare in receptæ (ut loqvuntur) qvæ utenda conceperamus, redigo formam, hoc modo:

R. Opii Thebaic. Gran. iiij.
D. ad chart. & S.
Opium.

R. Aq.

Digitized by Google

℞. Aq. gramin. Unc. iiij.
Mercurii crudi Drachm. j.
M. ad vitr. anguſtioris colli.

Qvo facto, cum juſſiſſem, ut opium linimento, ipſa qvod habebat, ſomnifero immiſceret, eoq; arterias temporales, & pulſus, circa noctem inſtantem filio inungeret, infuſionem autem retro fornacem ad uſum antea dictum adſervaret, meditabar abitum, ſed à Conſuliſſa ad maritum, in ſuperiori domus parte ſeu tabulato, cum qvodam cive advena, & alio, conſulari ſcilicet hujus urbis, confabulantibus & bibentibus, me inſcio, qvod illi ibi eſſent deductus, una vel altera vice, cum mihi præbiberent, reſpondi, indeq; dictâ illis pace, diſceſſi; Ubi tamen dum deſcenderemus, matri, an clyſter puero conduceret, interroganti? lacteum ſvaſi, qvi autem, ut audio, non venit in uſum, uti nec linimentum illud ſomniferum, cum anteqvam opium adferreretur, puer circa qvintam, ſomno obrutus, totâ illâ nocte, ut & parte ſeqventis, heu ſibi funeſti! ad octavam ſcilicet mediocriter qvievit, qvod mane circa mediam nonæ, cum eò triſtis & confuſus venirem, ob ſummam infirmitatem, qvâ premebatur tunc Clariſſimus alter meus patiens,

tiens, adeoq; circa nonam, animæ curam habiturus, mater referebat. Anteverterat autem tunc, accerſitus crediderim,., Balneator hujus urbis, acceſſum meum, clyſterem puero, qvod præcedenti debuiſſet fieri veſperâ, adplicaturus, ſed cum neq; is inſtrumentis eſſet inſtructus, neq; mater clyſterem haberet paratum, nona autem inſtaret, ſvaſi, ut jam puero de infuſione propinaret, à meridie autem clyſterem injici curaret; annuit mater, infuſum cum alio vitro vacuo adferens, Ego, illâ præſente & adminiſtrante, nullâ diſtrictus ſuſpicione, memor meæ præſcriptionis, pharmacopæoq; fidens, cum balneatore autem & matre neſcio qvid diſſerens, adeoq; qvid vitro contineretur, non obſervans, per lineum duplicatum ipſius nonnihil depleo, cochlear inde unum, ſeſqvi, vel duo propinari, reliqvumq; ad ſervandum in aliud tempus jubeo, eôq;, cum promiſſione, me poſt prandium reverſurum, diſcedo, rectâ officinam noſtram petens, qvod ejus præpoſitus Balthaſar, præcedenti veſpera, cum per famulum meum inde aqvam vitæ anilatam peti curaſſem, ut diſpenſationi Aureæ Alexandrinæ, qvā meditabatur, intereſſe dignerer me ſollicitaſſet. Mater qvamprimum diſceſſiſſem,

filio

filio de infuſione hac depleta, pro ſorbitione qvam petierat vinaria, ſesqvi ut audio cochlearia non propinavit, ſed vi fere ingeſſit, non obtulit, ſed intruſit, qvam miſellus hic, poſtqvam abſumpſiſſet, incœpiſſe puncto poſt dicitur, oculos invertere, ſingultire, vomiturire, vomere, dejicere tandem, os dentesq; comprimere, adeò ut cum mater vi eos diſtrahere, ac Confectione Alchermes, qvæ ad manum tum ei fuit, palatum vellet illinire, non poſſet, demum ſe proſternere, ſpiritum difficillimè trahere, agonizare, mox animam Deo reddere. Famulus per plateas discurrens, me in pharmacopolio, ſimplicia pro Aurea Alexandrina perluſtrantem invenit, ad filium, animam agentem, volare dignerer, ſummopere petens, qvem preſſo licet inſeqverer pede, puerum tamen vivum conſpicere non licuit, ſed jam extinctum, hiante ore in dextro latere cubantem, per famulas ſpontè detectum inſpicio demortuum, nil niſi diſperſas, freqventiores tamen, qvam pridiè & majores obſervo maculas, impensè rubras; qvamqvam alia honeſtiſſima matrona præter has, plagam juguli etiam duos transverſos digitos latam, verſicolorem, maximopere rubram animadvertiſſe, poſtea ſit faſſa. Paren-

tes interim me filium ſuum interemiſſe, veneno〈q〉; ſuſtuliſſe, inter auditu horrendos ejulatus, non ſemel apertè in faciem eructare, mox me excuſare, pharmacopæumq; incuſare non deſierunt, rationem à me coram Deo petentes. Qvibus, attonitus, tragicumq; hunc actum non capiens, commiſeratione tamen plenus, nil niſi placidè reſpondi: Illos ex impatientia me criminis & culpæ, qvâ tamen ita me Deus! caream, incuſare, paratum autem me eſſe, Deo & hominibus, qvovis momento, rationem de mea præſcriptione, qvam hic miſerandus non potuit excipere obitus, reddendi, ultraq; me non obſtringi, cum à me nil niſi præſcriptionem meam obtinuiſſent. Itaq; poſtqvam petiiſſem, ut reliqvum infuſionis probè adſervarent, diſceſſi, recta iterum pharmacopolium & Balthaſarem petens, qvem in limine domus offenſum, alloqvor ita: Balthaſar das Kindt iſt todt / wie gehet das zu: Ad qvod ille exanimatus & pallidus: Ach hat mich dann der Teuffel nach Rotſchildt geführet / ſo werde ich allezeit geplaget / geſtern mit dem Pflaſter auch: & mox: Solten ſie mir auch deßwegen wol etwas thuen können? Cui ego: habt ihr meinen Recept gefolget / ſo ſeydt ihr entſchuldiget. Et iterum: Wo

iſt mei-

iſt meine Præſcriptio? Reſpondentem, ich will darnach ſehen; adeoq; eam, tam in officina qvam in contiguo ei conclavi, pro ſimplicibus ſeu ut dicunt materialibus adſervandis deſtinato qværentem inſeqvor, tandem exhibitam, eminus inſpicio, ut meam ita inculpabilem agnoſco, addoq;: das Recept hat keine Schuldt; ich muß gleichwol Copiam davon nehmen/gebet mir Papier und Black: (Ubinam autem exemplar hoc hæreat, dicere non valeo, cum id nusqvam inveniam, fortè in ipſo pharmacopolio, ejus oblitus id reliqvi, vel in platea perdidi, qvod tamen me minimè movet, cum ipſum originale ad qvod conſtantiſſimè provoco, adeſſe gaudeam) Pergo hinc, weiſet mir den Mercurium, den ihr genommen: Ad qvod ille pyxidem ex officina depromptam, Mercurium vivum continentem, non tamen niſi manibus tremulis & exhibet, & von dieſen habe ich genommen; nonnihil ex ea in operculum effundens, reſpondet: roganti, er mag ja/ wie es ſich gebühret/ gereiniget ſeyn? regerit: freylich/ er iſt durch Saltz und Leder/ nach Manier gereinigt: Inſtanti deniq;: habt ihrs auch dem Jungen machen laſſen? reponit: Nein: ich habe es bey meiner Seeligkeit ſelbſt gemacht: Qvod igitur

Digitized by Google

præſcriptionem viderem legitimam, pharmacopæumq; non erraſſe crederem, abeo, ſubitum tamen hunc & inſperatum obitum, mirari imo demirari non deſinens, magis interim, in iam concepta opinione, magisq; obfirmatus, puerum ſcilicet ex ſuffocatione obiiſſe, qvod imaginarer mihi, matrem invito filio, inter lachrymas & ejulatus obtruſiſſe nonnihil de infuſione, cujus particula ad pulmones delata; tuſſim excitaverit, unde materia mota, reſpirationis organa, præſertim in debili hoc ſubjecto, & qvod mater, filium, viſcidæ pituitæ particulas, digiti articulum æqvantes, rejeciſſe aſſereret, facilè obſtruxerit. Contigit autem hoc 18. Septembris qvi erat dies Jovis, circa dimidium decimæ. Atq; hactenus Lect. Ben. fidelem habes hujus tragediæ enarrationem, in qvâ, qvod ſciam, me nil, ne Jota qvidem, qvod præter rem foret, adjeciſſe, nec qvod ad eam faceret, oppreſſiſſe, Dei conteſtor omni præſentiam, meamq; (ſi majora poſſem, vellem) conſcientiam. Ideoq; ubi, me, præter *Spiritum fuliginis* (egregium ſpirituum animalium excitativum & corroborativum) & *infuſum Mercurii crudi* ſeu vivi (crudi dico, qvod probè notabis, totidemq; & integris ſyllabis in præ-

ſcripti-

ſcriptione mea invenies, ne vel hinc error pharmacopæo obrepere potuiſſet) nil præſcripſiſſe, animadvertiſti, per Deum te, & meritum Chriſti, imo extremum ejus judicium, qvod nemo noſtrum effugiet obſecro, perpende jam, qvisqvis es Chriſtianus, ac judica, qvam indigniſſimè, ego, hujus funeſti caſus, arguar à parentibus, & aliis obtrudar, cauſa, qvam falſiſſimè hujus veneni (ſi ita ſe habet) caput & author; atq; hinc, ſi dignus tibi eâ videar, precare non minus mihi, qvam triſtiſſimis parentibus, patientiam, qva utriq; indigemus, illi de amiſſo filio, ego, de famæ, non tamen niſi apud malevolos, jactura non levi. Neq; etiam te terreat, me Mercurii crudi infuſionem pro vermium expulſione præſcripſiſſe, habeo enim pro me (ut taceam meam non ſemel factam experientiam) magnorum virorum ſuffragia, excellentiumq; Medicorum veſtigia, Qvibus, qvicunq; hæc legis, ſi oculos, vel qvi hæc audis, ſi aures, communicaveris, & ſcrupulum, ſi qvo teneris, ultro mittes, & in meam, manibus deſcendes, & pedibus, ut ſpero, innocentiam. *Matthiolus* Epiſt. 4. ad Stephanum Laureum Cæſareæ Majeſtatis Medicum hæc habet: Cum argentum vivum nullâ aliâ

lethifera facultate (ut Dioſcorides inqvit) interimat, qvam qvod ſuo ingenti pondere inteſtina laceret, nil ſanè verendum videtur, minima qvantitate id poſſe moliri unqvam, præſertim cum ſua gravitate & ſphæricâ formâ facilè è corpore per inferiora labatur. Idcirco mirari non debemus, ſi Braſſavolus, tam clarus ætatis noſtræ Medicus ad necandos interaneorum vermes dari pueris argentum vivum nullo incommodo ſcriptum reliqvit, & eo tam feliciter uſus ſit alter qvidam Clariſſimus Medicus Patavinus, qvamqvam parandi, dandiq; rationem minimè unqvam docere voluit, atq; ego, etiamſi hoc medicamento nunqvam ſim uſus, vidi tamen ſæpè dari illud ſcrupuli vel ſeſqvidrachmæ pondere à Goritienſibus obſtetricibus, ægrè parturientibus mulieribus, nullo prorſus incommodo, ſed felici ſemper eventu. *Vidus Vidius* de curat. membr: lib. 9. cap. 27. Extollunt aliqvi ad vermes, exiguam portiunculam hydrargyri, cum oxymellite ſeu ſyrupo de abſinthio, aut florum perſicorum. *Idem* lib. 2. de curatione generali cap. 2. & libr. 3. cap. 13. Hydrargyrum ad duo grana datum puerulis, qvi vermibus vexantur, plurimum conducit. *Qvercetanus* in conſil. de lue Gallica: Subſtantia

tia hæc metallica (argentum vivum) obſervata eſt, ſummam eſſe antidotum vermibus, omnisq; putrilaginis, qvemadmodum inter ſimplia, hypericum. *M. Majerus* de Hermet: Ab aliqvibus datur (Mercurius) interius cum conſerva roſarum permixtus, pueris contra vermes. *Fallopius* tract. de morb. gallic. cap. 76. ſi bibatur argentum vivum, illud hoc facit, qvod facit unctum. Vidi mulieres, qvæ libras ejus biberent, ut abortum facerent, & ſine noxa. Ego exhibeo in vermibus puerorum, & nullum parit ſymptoma, ſolum necantur vermes. *Platerus* part. 3. Prax. cap. 13. in curatione lumbricorum: Argenti vivi guttam unam vel alteram vel Scrupul. ſem. aliqvi deglutiendum propinant qvod vermes, qvibus maxime adverſum, cito fugat, poteſtq; innoxiè, ut alibi dictum, ſumi. *Johan. Baptiſt.* Montanus part. ſecunda medicin. cap. de pediculis: Poſſumus argento vivo curare non ſolum pediculos, ſed & vermes in inteſtinis. *Fabrit. Hildanus* obſerv. 71. centur. 2. p. m. 255. Hiſce (poſt enumerationem qvorundam remediorum), additum eſt ex hydrargyro præſtantiſſimum remedium, illud enim ad ſesqvi drachmam purum & per corium trajectum hauſit, nec ab

eo, infeſtarunt eam, dira hæc animalia. *Libavius* Tom. 1. Syntagm. lib. 1. cap 13. Argentum vivum datur utiliter non tantum eqvis, ſed & infantibus contra vermes. *Job. Baptiſta Zapata* lib. de ſecretis mirabilibus c. 5. præſentaneum parat remedium ex argento vivo contra vermes, inſignesq; proponit hiſtorias, lumbricis laborantium, Mercurii uſu ſanatorum, qvos infinita alia remedia, tam aloe qvam abſynthium levare non potuerunt. *Cæſalpinus* lib. 3. de metall cap. 11. Sunt qvi argentum vivum infantibus exhibent, magnitudine duorum granorum Mylii, ad vermes necandos, citra ullam moleſtiam. *Sanctor.* in Method. vitandorum errorum lib. 5. c. 11: niſi in lumbricis necandis ad valida præſidia confugiamus, ut ad aloën non lotam, vel ad Mercurii ſcrupul. cum aloës & therebintinæ pauxillo, ad pilulæ perexiguæ formam recepti, nihil fit. *Joh. Vincentius* in Enchirid. dogmat. cap. 23. Mercurium & Mercuriata omnia, lumbricorum, omniumq; corruptionum hoſtes ſunt, & ideo, nonnulli inter qvos etiam Fernelius Mercurium crudum puerulis à gr. vj. usq; ad ſcrup. ſ. imo ſcrup. j. exhibere non verentur. *Burggravius* in Achill. ſuo: Ad interimendas alvi tineas ſeu

lum-

lumbricos, facultate pollet ſpecifica argentum vivum. *Philippus Mullerus* in Myſteriis Medicis: Mercurius & Mercuriales res, hoſtes ſunt lumbricorum & corruptionum, unde ſcrup. j Mercurii crudi vel per ſe, vel cum aqva portulacæ ille propinat ad vermium necationem & expulſionem. *Baricellus* in hort. geniali: Hydrargyrum qvod à multis venenum exiſtimatur, feliciſſimo ſucceſſu contra vermes exhibetur, tantæq; certitudinis illud in Hiſpania reputatur, ut mulieres tenellis pueris, qvi lactis vomitu laborant, ad qvantitatem granorum trium in propria ſubſtantia propinare audeant. Hac autem viâ morbus ceſſare videtur, freqventatis experimentis. Ego qvidem viduam mulierem curavi, qvæ novem dierum ſpatio, vomitibus continuis ex vermibus laboraverat, & ferè triduo non commederat, nec cibum retinere valuerat. Huic cum hydrargyri ſcrup. ij. cum tantillo cydonii mortificati propinaſſem, absq; ulla moleſtia per alvum, centum & plures emiſit vermes, & eadem die liberata eſt, & ſolita exercuit domi & foris negotia, magnâ profectô parentum admiratione, cum prius debilis & emaciata eſſet. Aliis exhibui etiam, & bono ſemper eventu, do-

Digitized by Google

miq; continuo aqvam habeo, in qva hydrargyrum infuſum retineo, illamq; puerulis, pro vermibus libentiſſimè concedo, nec adhuc qvempiam ex illo noxam accepiſſe, expertus ſum. Uſus eſt hoc remedio ad vermes necandos, *Matthiolus*, *Horatius Augenius*, & pleriq; alii celebres viri, qvi omnes hujus auxilii maximè extollunt beneficia. Datur pueris in ſubſtantia ſcrup. j. grandioribus ſcrup. ij. vel drach. j. Corrigitur illud & mortificatur in mortario vitreo cum ſaccharo rubro, idq; tamdiu conteritur, ut in partes inviſibiles disſolvatur. Ne autem in priſtinam formam iterum redeat, olei amygdalarum dulcium guttulas binas addere oportet, & cum ſaccharo roſaceo, violato, vel cydoniato, jejuno ſtomacho langventibus propinatur. *Lazarus Riverius* Prax. Medicâ cap. de lumbricorum curatione p. m. 237. Pro potu ordinario, aqva ex infuſione hydrargyri parata eſt utiliſſima, vel in qvâ hydrargyrum per horam integram in ampulla vitrea ſemiplena agitatum fuerit. Prætereo alia ſcopum meum non ferientia. Qvid enim in morbi gallici curatione Mercurium poſſit, qvid in peſtis præcautione, qvid in pediculorum depulſione ac enecatione; qvid in lactis amiſſi reſtitu-

ſtitutione; qvid in doloris Colici atq; Iliaci ſedatione; qvid in partus difficilis promotione, qvid in ſcabici, herpetis, ac elephantiaſis ſanatione; Qvid in ulcerum putridorum, rebellium ac pravorum exſiccatione, deterſione, ac conſolidatione; Qvid in tumorum durorum reſolutione; Qvid in aliis deniq; affectibus, tam crudus, qvam præparatus, tam exhibitus, qvam foras adplicatus, norunt in arte medica non mediocriter verſati, ut hinc in re clariſſima laborare, in manifeſtiſſima operam, chartam, & horas perdere, non juvet. Nec habeo jam, qvod ulterius addam, niſi hoc: Me de mea præſcriptione, mea inqvam, qvàm ſuperius deſignatam Lector Benevole habes, imprimis Chriſto Jeſu, ſupremo Judici, cui ego, & qvicunq; hæc legis, ſuo ſiſtemur tempore, hinc ſuperioribus & magiſtratui, ſic etiam parentibus, imo omnibus, qvi id petunt, rationem qvovis momento redditurum, conteſtorq; iterum, iterumq; Deum & animam meam, me hic nihil reticuiſſe, ſed rem omnem, ut eſt acta, enarraſſe, in ſilentio interim & ſpe, Deo, cor & interna mea ſcrutanti, fidens, atq; cum patientia, rei veritatem, qvæ non opprimetur, licet ad tempus prematur, & hinc exitum hujus triſtis

caſus

caſus exſpectans: Qvam interim me innocentem hæc injuria mordeat, ſtimulet, confodiat, nullus non, niſi qvi famam & vitam pari paſſu ambulare ignorârit, facilè concludet. Dabam è Muſæo Roëſchildæ 30. Sept. Anni ſalutis M. DC. LI.

Benevoli ac Cordati Lectoris
Addictiſſimus

HENRICUS Preuſmann Med. D.

LOCULUS LIII.

Caſus propoſitus ab Illuſtr. Dn. Chriſtiano Skeel Regni Daniæ Senatore 28. Decemb. 1652.

De Uxoris Margarethæ Lunge diuturno Symptomate, & dolore Lateris.

QVum nata eſſet annos 10. vel 11. primum ſenſit in ſiniſtro latere malum, qvod ſubinde ſe retrorſum diſperſit ſurſum ad ſiniſtram ſcapulam, & ſubinde antrorſum ad ſiniſtram mammam, & ita interdum diſparuit, rediitq; & qvando maximè dolebat latus, aliqvid tenuis pituitæ eructabatur per fauces, adeò

adeò acidæ, qvaſi acetum, copioſæ ſatis, qvam vomitu, ſed ſine moleſtia, rejiciebat, qvia ſua ſponte efferebatur per fauces. Qvando talem cibum iſto tempore aſſumebat, qvem ventriculus ferre non valuit, etiam ſine moleſtia revomebat inconcoctum, qvalis nuper fuerat aſſumtus. Duravit hoc malum per 7. vel 8. annos, & tandem invaluit, ut integra hyeme nullum ſomnum poſſet capere, niſi ſuper lecti margines cubaret in latere affecto, & póſt primum ſomnum tanta anxietas ſuborta & palpitatio cordis, ut ſemimortua jacuerit, duravitq; iſta anxietas per tres menſes, donec D. Fabricius piæ memoriæ, exhiberet ipſi præſcriptum pulverem, qvo bis in hebdomade uſa eſt continuò per ſex hebdomadas, ex qvo tamen primis tribus hebdomadibus nihil ſublevata, ſed tandem profuit, vehementerq; ipſam deniq; alvum commovit, præter bilem viridem qvam evomebat, ſed initio nihil qvaſi expurgavit. Deinde eo uſa eſt ſingulo vere & autumno. Exinde ceſſarunt dolores lateris per ſex annos, qvamdiu bis in anno medicinam hanc ſumpſit, donec eſſet primipara, tum translatum eſt malum omne ex ſiniſtro ad dextrum latus, non ita tamen adſcendebat, ſicut in ſiniſtro,

ſed

Digitized by Google

ſed dolor tantum à dorſi ſpina protendebatur ad coxas. Qvapropter D. Fabricius iterum ipſi exhibuit prædictum purgans & ſudoriferum, qvibus ſublevata, donec qvinq; abhinc menſibus ultimum fœtum eniteretur, tum denuò regreſſus eſt dolor ex dextro in ſiniſtrum latus, & qvoties dolor illam invadit, adeò flatibus divexatur, ut continuò ructus edat & oſcitet, flatus hinc inde murmurant & audiuntur, nonnunqvamq; ſurſum ad fauces propelluntur, qvaſi ſuffocaretur, & modò vomitus invadit moleſtus, modò acidus ſuccus ſine moleſtia ſurſum exit. Malum jam ſedem habet in ſiniſtro coxæ articulo, & ad internas ſiniſtrorum iliorum partes progreditur, magnumq; jam incrementum ſumit, ut nullam reqviem habeat dolore perſeverante, niſi qvotiens calidam avenam imponat. Interdum qvidem diſſipatur, ſed per intervalla redit. Interea dolore perſeverante adeò lotium promovet, ut ſingulis horis mejere cogatur. Qværitur:

An non ardens avena ipſi nocere poſſit?

Urgente dolore maximo lateris ſitim habet conjunctam, & interdum ad dextrum latus devolvitur. Qvoties in dextrum latus decumbit, ſtatim dolet ſiniſtrum. Qvando ſe-

rio

riò dolor lateris illam comprehendit, ſimul & femur & crura & abdomen diſtendit.

Formulæ medicamentorum ipſi præſcriptæ:

R. Pulv. Mechoac.
Jalapp.
Cremor. Tart. ana Scrup. j.
M. & ſ. Purgeer Pulver for en gang.

R. Rhabarb. El.
Agar. Trochiſc. ana Drachm. j.
Fol. Sen. El. Drachm. ij.

Contuſa macerentur in Aq. fol. Card Bened. Unciis qvinq;. ſtent in loco calido per diem & noctem poſt 24. horas ebulliant leniter & colato admiſce
El. Bened. laxat. Drachm. ij.
F. Hauſtus. S. litera A. pro una doſi.

R. Rad. Chinæ integr. Unc. j.
Cichor. Unc. ſem.

Minutiſs. conciſ. coq. in lib. iiij. aq. in duplici vaſe per duas horas. Tandem Cantharo frigerato Colatura detur in fictili.
S. litera B. pro Sudorifero
Qvatuor diebus continuis poſt purgationem uſurpando.

Reſpon-

Reſponſio Medicorum.

ROgati à Nobiliſſimo & Generoſo Domino nos infraſcripti, ut de præſenti chariſſimæ Conjugis ſtatu conſilia noſtra communicaremus, & qvid pro recuperanda illius ſanitate proficuum judicaretur ſignaremus, intellexerimusq; ex caſu propoſito qvod Nobilis uxor bis jam ante, eodem graviſſimo hoc affectu tentata, ex medicamentis à Domino Doct. Fabricio præſcriptis, optimè convaluerit; exiſtimamus eſſe tutiſſimum, iisdem porrò remediis inſiſtere, denuò eodem modo exhibendis. Qvia verò conjunctos ſentit flatus, uterusq; nonnunqvam eſt moleſtus, nos aqvam carminativam & uterinam præſcripſimus, èx qva ſubinde cochlear unum hauriat, & emplaſtrum matricale *alutæ* illitum ſub umbilico geſtet ad aliqvod tempus. Emplaſtrum ſpleneticum pari modo ſuper alutam extendatur, lateriq; ſiniſtro tepidum applicetur & diutius geſtetur, ut ita externa remedia internis ſuppetias ferant, & conjunx veſtræ Generoſitatis citius ſanitati reſtituatur. Deus ex alto benedicat his me-

dica-

Digitized by Google

dicamentis, illamq; priſtinæ ſanitati reddat, qvod ex animo precamur

Veſtræ Generoſitati
addictiſſimi

Hafniæ 29. Septembr.
1652.

Olaus Worm. D. Paulus Moth. D.
Henricus Fuiren D. Thomas Bartholinus D.

R. Aq. Carminat.
Hyſter. ana Unc. iiij.
M.
S. Aqva Hyſterica.

R. Empl. Matrical. Unc. j.
Tacamah. in vino ſol. Dr. iij.
Extendatur in aluta & f. Emplaſtrum pro Matrice.
S. Emplaſtrum Uterinum.

R. Empl. de Ammon. Unc. ij.
Extendatur in aluta & f. Emplaſtrum pro Liene.
Inungatur ol. Cappar. q. ſ.
S. Emplaſtrum Spleneticum.

Digitized by Google

LOCULUS LIV.

Vita Doctoris JACOBI FABRICII Archiatri Regii, ex Programmate Decani Facultatis Med. Roſtoch. 1652.

NAtus eſt Roſtochii 1576. die 28. Auguſti, Patre HENRICO Schmidt/ inter Piſtores Seniore, Centum-Viro & ærarii urbis præfecto, Matre DOROTHEA Wulffes. Præclara pueri indoles in diſciplinam domi tradita Clariſſimo Viro Nathani Chytræo, deinde in Schola Luneburgenſi, mox in patria Academia perficienda. Sedecim annorum dignus præ aliis viſus fuit, qvi mitteretur ad Tychonem Brahe in Huenam inſulam & Domum Uraniburgicam, ubi junctus Chriſtiano Longomontano Mathematico Excellentiſſimo, cum laude præſtitit Tychoni ad qvæ reqviſitus fuerat Confectis apud Tychonem qvatuor annis, luſtratisq; Belgio, & Anglia, in Germaniam Superiorem reverſus Anno 1602. Jenæ Doctoris Medici gradum conſecutus eſt, jam ante & Philoſophiæ Magiſter & Poëta Laureatus. Patriæ redditus anno ſeqvente matrimonio ſibi devinxit Virginem lectiſſimam MARGARETHAM filiam Rudolphi Mölleri Civis Roſtochienſis, ex qva

uxore filios qvatuor ſuſcepit, & qvinq; filias. Filiarum una Elizabetha in uxorem data D. Simoni Paulli Ser. Reg. Daniæ Medico, altera Sophia nupta D. Dan. Sandovio J. U. D. Primo initi conjugii anno adſcitus eſt in Archiatrum aulicum Guſtrovienſem à Sophia Ducis Johannis Vidua, poſtea à filio Johanne Alberto. Anno 1612. etiam Medicinæ ac ſuperiorum Mathematum profeſſio ipſi Roſtochii collata fuit, qva ita deinceps defunctus eſt, ut totam Academiam nominis ſui celebritate illuſtraret. Cum abhinc annis 24. bellico terrore pene exanimatum eſſet Reip. Acad. corpus, inhiante fortunis Academicorum milite, ſolius Fabricii merito illas ſervatas annalibus inſertum legitur. Anno 1637. à CHRISTIANO IV. Daniæ & Norwegiæ Rege honorificè in aulam Regiam evocabatur, qva clementia exceptus qvoq; fuit a FRIDERICO III. Daniæ Rege Succeſſore. Paucis abhinc annis ex maraſmo Senili, aliqvam virium jacturam facere cœpit, donec die 16. Auguſti inter preces & ſuorum lacrymas conſtante mente & compoſito vultu piè placidèq; exſpiraret. P. P. 16. Cal Oct. 1652.

Plura de laudibus Jacobi Fabricii videantur in Programmate Rectoris Roſtoch. D.

VARENII & Oratione Panegyrica Tscherningi Roſtoch. edit. 1653.

Epitaphium Roſtochii erectum vel erigendum.

D. O. M. S.

DOctor JACOBUS FABRICIUS Roſtochienſis, duorum Potentiſs. Daniæ Norvvagiæ, Regum. CHRISTIANI. IV. ac FRIDERICI III. nec. non. Illuſtriſs. Princip. Megapolitan. JOANNIS. ALBERTI. ac SOPHIÆ. Matris. Archiater, patriæ. itidem Acad. per XL. annos. Med. ac Mathem. Publ. Prof. Virtute. ac eruditione ſua. familiæ ſuæ prælucens. poſtqvam annos LXXV. natus. 1652. 14. Aug. Vitam. gloriosè. Hafniæ. finiiſſet. huc. transferri. voluit, ut. eadem. urna. cum. uxore. ſua. MARGARETHA. MYLIA. Liberis. ac. nepotibus. aliqvot. hic. ante. tumulatis. conderetur. cujus. honori. ac. memoriæ. æternæ. hoc; monumentum.

L. M.

Digitized by Google

L. M. Q. ſtatuere. voluerunt. Generi. &. Filiæ.

D. Simon. Paulli. Daniel. Sandovius.
S. R M. Dan. &Norw. J. U. D.
FRIDERICI III. Medicus, Sophia. Fabricia.
ac Prælatus Arhuſienſis.
Elizabetha. Fabricia.

LOCULUS LV.

De Dyſenteria Conſilium Medicæ Facultatis Hafn.

I.

Qvomodo Dyſenteria præcaveri poſſit.

FEbrem ardentem & malignam qvæ modo invaluit, ejusq; præſervationem & curationem Anno 1645. typis excuſam apud Bibliopolas invenietis, plerumq; conſeqvitur Dyſenteria, atq; univerſam hanc regionem occupare videtur. Qvare Sereniſſimus Rex noſter, tenujoris ſortis hominum gratia, qvibus Medicum ſemper conſulere non permittitur, mandavit ut Conſilium breve conſcri-

beretur, ad cujus normam contagioſa hæc lues præcaveri & ſanari poſſit.

1. Imprimis vero qvoniam experimur utrumq; morbum maxima ſui parte originem debere aëris impuritati ex ſicca & fervente hac æſtatis temperie, ea remedia inqvirenda ſunt qvibus aër defœcetur. Cui rei non aliud ſalubrius conſilium proderit, qvam ſi plateæ domusq; inqvinamentis purgentur, iis præſertim qvæ ex infectorum ædibus exportantur. Deinde utiliſſimum erit ſi mane aut interdiu qvoq; ſæpe ſuffiantur ædes, lignis Juniperi vel baccis, aqva Lavendulæ, balſami, roſarum & ſimilibus. In pharmacopoliis etiam præparari poſſunt Rotulæ No. A. cujus ſemi uncia coſtat decem ſolidis.

Matutinis horis prius qvam exeundum eſt vel ægri inviſuntur, conſultum erit aſſumere aliqvid Theriacæ, Diaſcordii, Radicis Angelicæ, Zedoariæ, Citri & aurantiarum corticis, vel rotularum B. qvæ in Pharmacopoliis paratæ proſtant, 6. ſolidis ſemi uncia. Qvas tam prægnantibus qvam pueris concedimus. Qvibus vero Electuarium arridet, ſumant ex ſignato C. (qvod conſtat 5. marcis & 4. ſolidis, ſemi uncia verò 6. ſolidis) qvantitatem nucis juglandis extremitate cultri.

Hau-

Digitized by Google

Hauſtus vini abſinthiaci proderit aſvetis. Naribus qvoq; admoveatur balſamus Angelicæ, Rutæ, oleum ſuccini, & ſimilia.

2. Cibi & potus temperantia ſumma adhibeatur, & qvoad fieri poteſt recentia & facilia concoctu comedantur. Coqvantur omnia, non in aqvis corruptis & fœtidis qvales ſalientes aliqvo tempore jam uſurpavimus, ſed in limpidis atq; puris. Caveantur herbæ calefacientes & aromata. Cereviſiam commendet bonitas aqvæ, ſapor egregius, & media ætas. Crudi fructus, poma, pira, pruna, avellanæ, cucumeres, melones, &c. vitentur.

3. Abſtinendum erit converſatione hoc morbo infectorum qvantum fieri & Chriſtiana charitas permittere poteſt. Non decumbant in lectis vel ſtratis veſtimentorum hac ægritudine laborantium, præſertim procul abſint à locis qvibus exceptæ ſunt immundities ægrorum.

4. Ad majorem præcautionem conſulimus laxam alvum, in qvem finem qvaq; hebdomada vel qvoties opus erit, aſſumant drachmam ſemis pillularum Ruffi, vel, de Ammoniaco, qvæ ex pharmacopœis petuntur.

5. Deniq; ſudorem qvandoq; ſvademus, provocandum ex aſſumpta drachma Theria-

Digitized by Google

cæ Andromechi vel Mithridatii in aqvis Cardo-Benedicti vel Scabioſæ; ut expellatur, ſi qvid nocivi ex aëris impuritate,vel contagioſo conſortio contraxerit corpus.

II.

Qvomodo correpti Dyſenteria ſanandi.

1. DEtentis hoc morbo non ſtatim remedia adhibenda ſunt conſtipantia, qvippe gravioris mali anſam dabit acris materia in inteſtinis retēta,qvæ ſummo dolore ita corrodit viſcera, ut gravia ſymptomata cauſari inde compertum habeamus. Utile igitur erit ſubito aſſumpto medicamento materiam expellere, cui uſui deſtinatus eſt pulvis D. conſtans marca 1. totus ab ætatis firmæ homine aſſumendus in dimidio heminæ aqvæ plantaginis vel ſorbitione ex cereviſia cum ovo confecta.

Qvibus favet oportunitas Clyſtere E. conſtante 28. ſolid. inteſtinorum viſcoſitatem eluere poterunt.

Ex lacte ſibimet parare poteſt qvisq; Clyſterem fructuoſiſſimum. Sumatur lactis recentis dimidium ſextarii, in qvo extingvantur candentes igne ſilices, tribus qvatuorve vicibus,

Digitized by Google

bus. Deinde ovorum vitellos duos aut tres agitando in lacte dilue, & adde Sacchari rubri unc. 2. cum ſevi cervini vel caprini unc. 2. ſeorſim fuſis. Hæc ſimul mixta applicentur ægro qvoties opus fuerit &c. Nam dolorem non modo leniter ſanant, ſed & expurgant. Atq; principio morbi hæc medicamenta uſurpantor.

2. Qvod ſi malignæ alicujus qvalitatis ſignum animadverteris, prout hiſce temporibus plerumq; obſervamus, ſtatim anteqvam tentantur alia remedia, alexiteriorum aliqvid præſcribes, qvalia ſunt, Theriaca Andromachi, Diaſcordium cum Cornu Cervi præparatum, Terra ſigillata, & ejus generis alia.

3. Emundatis inteſtinis tuto dantur conſtipantia, qvorum aliqvod exhibemus in pulvere litera F, cujus drachma valet 4. ſolid, unde adultis datur drachma una ſingulis vicibus bis terve qvotidie repetendis ſi opus fuerit, in adjuncta aqva compoſita litera G. conſtante 6. ſolid.

Pueris datur drachma ſemis in lacte recenti in qvo candentes ſilices exſtincti fuerint, vel in offa ex cereviſia & ovis confecta.

Si forte non arrideat pulvis, uſurpari poterit ejus vice Electuarium H, qvod valet

4. Marc. & 8. ſol. ſemiuncia vero 4. ſolid. unde qvotidie bis terve ſi opus fuerit aſſumitur, ſingulisq; vicibus qvantitas nucis juglandis; abſtinendum deinde à potu pauliſper, aſſumpto medicamento.

Exterius inungantur ilia ungvento I, qvod proſtat 2. Marc. & 8. ſol. ſemiuncia vero 6. ſol. qvo in cochleari calefacto bene perfricentur, & impoſito deinde cataplasmate N, qvod conſtat 1. Marc. & geſſipino vel laneo panno inducto contegatur totus venter.

III.

Qvomodo diverſa ſymptomata præcaveantur.

I. CUm intolerabilis ſitis urgeat, præparatur in Pharmacopoliis Julepus L conſtans 20. ſolid. ſemiuncia vero 2. ſolid. cujus ſumitur paululum cum opus erit. Optimum tamen cenſetur ſibi temperare. Cereviſiæ bonæ, miti, & puræ, indatur fruſtum panis eſcharitis pulvere nucis moſchatæ bene perfrictum. Offa ex cereviſia cum ovis, & amygdalatum cum aqva hordei in qva candentes ſilices exſtinctæ fuerint, paratum, Rob de Ribibus; & ſi abſit febris bibat cum

ſaccha-

Digitized by Google

ſaccharo lac recens in qvo aliqvoties injectæ fuerint ſilices candentes.

2. Tormina præterea vexare ſolent ægros circa umbilicum, qvibus profligandis inſeruit præcedens Clyſter E, nec non ex lacte confectus. Venter qvoq; inungi poteſt ungvento I, ſuperpoſito omento ex recenter mactato agno; qvod inter binas patinas cum oleo roſaceo incaleſcat, & ventri imponatur qvam tolerari poteſt calidiſſimum. Theriaca nucis avellanæ qvantitate inducta duplicatæ chartæ bibulæ & umbilico alligata plurimum prodeſſe ſolet.

Qvod ſi perſeveret doloris vehementia cum vigiliis, concedere poſſumus ægro Laudani opiati M. (conſtat 15. ſol.) grana tria, maxima tamen adhibita cautione.

3. Sæpenumero alvus deſiderio tenetur ſeſe exonerandi, irrito vel parco eventu: cui medemur herbis N infartis linteo ſacculis binis, (conſtant 10. ſolid.) & interſutis ne concidant, qvos ſacculos aqvæ à fabris ad exſtingvenda ferra uſitatæ incoqvimus. Nam ebullitione prima operculo clauſo peracta, alter ſacculus inter orbiculos binos exprimitur, & calidiſſimus, ſi perferri poſſit, inteſtino recto applicatur, cui ſuccedat alter cum prior refri-

refrigeſcere cœperit. Qvin & ſellæ ſubjici poterit parum Maſtichis, thuris, terebinthinæ vel colophoniæ, prunis injiciendum & perforatæ ſellæ ſubdendum. Conſultum qvoq; ducimus inteſtinum rectum ungvento in Pharmacopoliis dicto albo comphorato inungere præſertim ſi calor partem infeſtaverit.

4. Vix ac ne vix retinetur qvandoq; inteſtinum rectum. Tum utimur herbis præſcriptis litera O, qvæ veneunt 12. ſol. clauſo operculo coqvendis in lactis recentis ſextario. Spongia, vel qvadruplicatum linteum decoctione imbuitur & fovetur inteſtinum calidiſſime; deinde tentatur inteſtini in anum reſtitutio. Id ut præſtetur ventri incumbat æger adductis & flexis genubus. Immiſſo inteſtino imponatur emplaſtrum P, (conſt. 20. ſolid.) ne rurſus excidat, qvod emplaſtrum duplici linteo inungi poterit. Etiam tabulæ qvercinæ novæ & ſevo Cervino inunctæ imponitur æger ſi ferre poterit calidiſſimæ.

Diætam ægrorum qvod attinet, qvamvis ſuperius ejus mentio facta fuerit, hic tamen ſingulare aliqvod ſupereſt monendum. Commendant offas hordeatas pultes ex hordeo vel oriza, pulmentum ex avena, ſorbitionem

Digitized by Google

tionem ex cereviſia cum ovis addito pane biscocto, amygdalatum ejus generis qvod deſcripſimus litera Q conſtat 2. Marc. cibisq; inſpergatur pulvis nucis Moſchatæ ubicumq; licuerit. Abſente febre lacticinia permittimus cum ſaccharo & triticeo pane duriuſculo, nec non eſitationem panis biscocti triticei ſeorſim ſvademus. Omnis generis fructus prohibemus. Qvibus Cotonea ſuppetunt exempta volva cum acinis repleant unum cera nova, & coqvant in cineribus, deinde comedant, nam multis profuit. Ubi deſunt cotonea, poma vel pira duriuſcula, vicem ſuppleant, eodem modo præparata.

Potus præbeatur ex cereviſia clara, bene cocta, & mediæ notæ, cui indatur, etiam incoqvatur qvandoq; raſuræ Cornu Cervi paululum, cum fruſto panis eſcharitis pulvere nucis moſchatæ perfricato. Abſtineant muſto ex pomis pyrisq; atq; mulſa hydromelite. Deficientibus viribus non vetamus ægris hauſtum vini rubri vel Rhenani optimi; Qvod ſi nimis forte reputetur, temperabitur aqva tormentillæ. Panis biscoctus in cochleari ſeu Uncia ſemis vini cretici intinctus conceditur abſente calore. Tepida potius qvam frigida bibant, ſitisq; tolerantia perſvadeatur.

Qvies

Qvies utiliſſima erit, qvam adjuvabit ſuppoſita pelvis ne toties ſe levando æger contrahat frigus.

Somnus hic confert, ideo qvantum poteſt & qvando dormiat noctu atq; interdiu, qvippe dolorem mitigat, corroborat corpus, & excretionem copioſam alvi ſiſtit. Excrementa ægrorum ſtatim amoveantur; neq; in communi latrina, ſed ſeparatim, in locis remotis defodiantur & calce viva aſpergantur.

Veſtimenta in qvibus decubuit æger ſæpe mutantor, laventor & aëri remoto à commercio hominum exponuntor.

Atq; hæc breviter pro vulgo dicta ſufficiant; diductiorem vero explicationem apud Medicos inqvirere poteſt cuicumq; volupe erit.

A. Rotulæ ad ſuffumigium.

R. Radic. Angelic.
Benzoin.
Styrac. Calamit. ana unc. ſemis.
Cinamom.
Gariophyll.
Maſtich.
Succini ana Drachm. ij.
cum mucilag. tragac. in aq. roſar. fact.
F. Rotulæ.

B, Ro-

B. Rotulæ ſublingvales.

℞. Spec. liberant.
Diamarg. frigid.
Corall. rubr. præparat. ana Drachm. j.
Terra ſigill. Siles.
C. C. Chym. præparat. ana Drach. ſem.
cum ſaccharo in aq. roſ. ſoluto F. Rotulæ.

C. Electuarium.

℞. Conſerv. roſar. antiq.
fl. borrag.
Cond. rad. ſcorz. Hiſp.
Cort. citr. ana unc. j. ſem.
C. C. Chym. præparat.
Spec. Diamarg. frig.
Diarrhod. abb. ana drachm. j.
cum miva cidon. q. ſ.
F. Electuarium.

D. Pulvis laxativus.

℞. Rhabarb. elect. drachm. j.
Cort. Myrob. citr. ſcrup. j.
Cinamom. ſcrup. ſem.
Ms. f. Pulvis.

E. Clyſter.

℞. Hord. decort.

Furfur.

Furfur. tritic.
fl. roſ. rubr.
Verbaſc. ana M. j.
coqve in aq. q. ſ.
colatur. R. lib. j. ſs.
mel. roſar.
Sacch. rub. ana Unc. j.
vitell. ovor. No. 2.
M. f. Clyſter.

F. Pulvis.

R. C. C. Chym. præparat.
Ter. ſigill. Sil. ana Drachm. iij.
Rad. Torment.
Boli Armen.
Maxill. Luc. Piſc. ana drachm. ſj.
Sem. Acetos.
Plantag.
Macis ana Drachm. j.
Croc. ſcrup. j.
M. f. Pulvis.

G. Aqva.

R. Aq. Plantag.
Torment.
Fol. qverc. ana unc. iiij.
M.

H. Electu-

H. Electuarium.

R. Conſerv. roſar. antiq.
Diacyd. ſimpl. ana unc. iij.
Rad. Torment.
C. C. Chym. præparat.
Ter. ſigill. ana drachm. j. ſ.
Sem. Plantag.
Acetos. ana Drachm. j.
Corall. præp. ſcrup. ij.
cum miva Cid. q. ſ.
F. Electuarium.

I. Linimentum.

R. Ol. Abſinth.
Cydon. ana Unc. j.
Lumbr. Terreſt.
Maſtich. ana unc. ſ.
Nuc. Moſch. expreſſ. Drachm. ij.
Ceræ parum. M. f. Linimentum.

K. Cataplasma.

R. Rad. Torment. pulv.
Micæ panis ana unc. ij.
Coqvantur in aceto in formam pulticulæ.

L. Julep.

R. Decoct. C. C. cum. rad. Scorz. &

Digitized by Google

Torment. lib. j.
Syr. Cydon. unc. j. M.

M. R. Laud. Opiat. gr. iij.

N. Ad Sacculos.

R. Fol. & fl verbasci.
Fol. qverc.
Herb. Potent.
Polygon. ana m. j.
Fl. Chamomill.
Melilot. ana p. j.
Sem. Lini.
Fænugr. ana Drachm. j. ß.
Inciſa & contuſa dentur in charta.

O. Ad Fotum.

R. Rad Alth. c. fol.
Fol. & fl. Verbaſc.
Flor. Melilot.
Chamomill. ana m. j.
Sem. Lini.
Fænugr. ana unc. j.
Inciſa & contuſa dentur in charta.

P. Cataplasma.

R. Far. volat. unc. ij.
Sang. Dracon Bol.

Digitized by Google

Bol. Armen.
Rad. Plantag. maj.
Maſtich. ana Drachm. ij.
Cum albumine ovorum & parum vini rubri
F. Cataplasma.

Q. Emulſio.

℞. Amyg. dulc. excort. unc. j.
Sem. Melon.
Papav. alb. ana unc. ſ.
Aq. Hord. lib. j. ſ.
Torment.
Plantag. ana unc. iiij.
M. f. Emulſio.

LOCULUS LVI.

Vita D. Olai Wormii Med Prof. P. ex Programmate Senatus Acad. Hafnienſis 1654. excerpta.

NAtus eſt Olaus Wormius Arhuſii Cimbrorum 1588. die 13. Maji. Patre Wilhelmo Wormio, Conſule Arhuſienſi, matre Ingera, Olai Georgii, Conſulis Hottersnenſium filia. Primis literarum tyrociniis in Schola patria per 6. Annos poſitis, ad Gymnaſium Luneburgenſe amandatur, mox

Embricæ Clivorum per triennium ſubſtitit inter eruditos, poſtea Marpurgi 1605. Academiæ initiatus ſub M. Rudolpho Goclenio Seniore in Philoſophia haud contemnendos fecit progreſſus. Exacto deinde Gieſſæ biennio, hauſtis Theologiæ fundamentis, Argentoratum ſe contulit 1607. uſus præceptoribus Haffenreutero, Sebizio ſeniore, Spachio, & hoſpite ſuo Saltzmanno, per trimeſtre medicinæ jecit fundamenta, cujus deinde *totius* theoriam integrè Baſileæ in familiaritate Plateri, Bauhini, & Zvingeri per biennium cum didiciſſet, ſub finem anni 1608. per Helvetiam & Alpes Italiam petiit, Patavii per ſemeſtre ægros aſſiduè viſitando, comitem ſe præbebat Aqvapendenti, Rudio, Vigontiæ, Caſſerio. Vere anni ſeqventis, cum Henrico Petræo clariſſimo Chymico qvod reliqvum erat Italiæ perluſtravit. Geneva ſolvens, Marſiliam appulit, & Monſpelii per 4. menſes ſubſtitit Varandæo, Bradilleo & Bellevallio familiaris. Pariſiis Caſaubono, Riolano aliisq; per menſes duos uſus eſt familiariter, ac artem Medicam exercuit. Hinc, ob nefariam necem Henrici IV. à ſicario commiſſam diſcedens, per Belgium, & Patriam, venit Marpurgum. 1611. ubi menſes aliqvot, exercitationes

Digitized by Google

ones chymicas varias manuductore Hartmanno perfecit. Deinde Baſileam regreſſus ſummum in medicina gradum ejusdem anni menſe Decembri promotore D. Felice Platero ſumma cum laude obtinuit. Poſtea in Anglia per annum cum dimidio ubi ſubſtitiſſet, ac praxin Medicam in familia Ingvaldiana & urbe Londinenſi exercuiſſet, domum menſe Julio 1613. reverſus, primo literas humaniores in Academia Hafnienſi per biennium, deinde Græcam lingvam, mox Phyſicam docuit per triennium ad annum 1624 qvum in arte Medica ſurrogaretur D. Caſp. Bartholino, qvam Medicam Profeſſionem inimitabili induſtria ac ſumma cum laude adminiſtravit usq; in hodiernum diem. Anno 1615. duxit uxorem Virginem caſtiſſimam Dorotheam, D. D. Thomæ Finckii Medicinæ Profeſſoris filiam, ex qva 6. filias ſuſcepit, qvarum una Ingeta nupſit M. Joanni Schelderupio Epiſcopo Bergenſi, altera Soſtrata in matrimonium locata M. Erico Olai Tormio, olim Profeſſori Matheſ. jam Præpoſito Templi Mariani. Anno 1630. ad ſecunda vota tranſiit cum Virgine ſvaviſſima Suſanna D. Matthiæ Jani Epiſcopi Lundenſis filia, ex qva tres filios ſuſcepit, duos ſuperſtites D. Wilhelmum Worm,

& Matthiam Worm. Anno 1638. tertiam delegit uxorem Virginem laudatiſſimam Magdalenam, Petri Motzfeldii Civis Hafnienſis filiam, qvæ ſeni vegeto ſeptem liberos eſt enixa, 4. filios, tres filias (& poſthumam.) Qvinqvies interea Magiſtratum Academicum geſſit, donatus præterea 1636. Canonicatu Lundenſi, à Chriſtiano IV. cui ſæpe, uti & Electo Principi Chriſtiano V. aliisq;, à conſiliis Medicis fuit. Anno 1654 die 26. Auguſti præter ſtranguriam, qva per aliqvot hebdomadas conflictátus eſt, acceſſerunt alia ſymptomata lethalia, una cum febre maligna, qvæ corporis univerſi vires ſtatim proſtraverunt, ut, nihil proficientibus medicamentis, tandem pridie Calend. Sept. veſperi placidè obdormiverit, cecideritq; columna Academiæ præſtantiſſima, noſter ille cœli literarii Sol lucidiſſimus. Hafniæ 7. Sept. 1654.

Plura de ſummi Wormii vita & laudibus videantur in Oratione Parentali Thomæ Bartholini Hafniæ edit. 1655.

Opera Olai Wormii edita hæc ſunt.

1. Jubilum Evangelicum, Hafniæ in 4. 1619.
2. Laurea Philoſophica contra fratres Roſæ Crucis, Hafniæ in 4.

3. Bac-

3. Baccalaureus Philoſophiæ cum ſuis reqviſitis & privilegiis. Hafn. in 12.
4. Commentaria in lib. Ariſtot. de Mundo. Roſtoch. in 8. 1625.
5. Faſti Danici. Hafn. in fol. 1626. & 1643.
6. Hiſtoria Norwegica vernacula. Hafn. in 4. 1633.
7. Literatura Runica & de Priſca Danorum Poeſi. Hafn. in 4. 1636. in fol. 1651.
8. Monumentorum Runicorũ Libri ſex. Hafn. in fol 1643. Additamenta ad Monumenta Danica. Hafn. in fol. 1650.
9. Specimen Lexici Runici. Hafn. in fol. 1650.
10. Regum Daniæ ſeries duplex & limitum inter Daniam & Sueciam deſcriptio. Hafn. in fol. 1642.
11. Controverſiarum Medicarum Exercitationes XVIII. Hafn. in 4.
12. Inſtitutionum Medicarum Epitome. Hafn. in 4. 1640.
13. Hiſtoria Rariorum Muſei Wormiani. Lugd. Bat. in fol. 1655.
14. Catalogus Muſæi Wormiani. Hafn. in 16. 1642. 1645. in 4to. 1653. edente G. Segero.

Digitized by Google

LOCULUS LVII.

Vita D. THOMÆ FINCKII Medic. Prof. Decani & Senioris, ex Programm. Rect. Acad. M. SPORMANNI 1656. contracta.

ORtus eſt TH. FINCKIUS in Cimbria meridionali, in oppido Flensburg. Anno 1561. die 6. Jan patre Jacobo Finchio, Avo Jacobo, Senatorii ordinis, matre Anna Thorſchmeden, Thomæ Senatoris filia. In patris, qvi Philippum Melanthonem audiverat, ſinu educatus primo, mox in ædibus Avunculi Reinholdi Thorſchmeden, donec annos natus 16. ſedem ſtudiorum Argentinam eligeret, cui qvinqvennium impendit, & ſub Sturmio, Melch Junio, Beutero, Giphanio, Golio, Daſypodio, Wolcenſteinio, Benzio, Havenreutero Philoſophiæ, matheſeos & Eloqventiæ fundamenta poſuit. De hinc annum fermè Academiis Germaniæ, inprimis Jenenſi, Wittebergenſi, Heidelbergenſi, ac Lipſienſi tribuit. Domum reverſi famæ celebritate motus Henricus Rantzovius Cimbriæ Vicarius Brædenbergam ad ſe vocavit honorificè, & reliqvo deinceps vitæ tempore ejus honoribus maximè favit. Deinde Baſileam

leam conceſſit, ubi cum paſſim Viri docti urgerent, ut qvas Triangulorum Analyſes ſolidas illas ac expeditas delinearat, partimq; ex Albategnii, Regiomontani, Reinholdi, Maurolyci particularibus præceptis, partim privata induſtria in regularum generalitatem redegerat, eas publici juris fàceret, ſemeſtris temporis ſpatio commoratus, Geometriam Rotundi edidit, viris doctis acceptiſſimam, & publicè ſæpe laudatam. Relictis ibidem amicis & præceptoribus, Platero, Eraſto, Zuingero, Stupano, Bauhino, Italiam petiit. In Patavina Academia audivit Paternum, Mercurialem, Capivaccium, Bottonum, Guilandinum, Aqvapendentem, Saxoniam, Piccolomineum, Mercenarium, Jac. Zabarellam, Malerium, &c. Nationis Germanicæ interim & Procurator electus & poſtea Conſiliarius, monumento inibi in Templo D. Sophiæ erecto, & Bibliotheca tum primum inſtituta. In Piſana Academia Cæſalpinum & Bonamicum elegit amicos, à qvibus qvoq; in publicis ſcriptis eſt laudatus. Florentiæ Mariæ Noſocomium aliqvot menſium ſpacio illum detinuit. Italiâ qvadriennio confecto, viſâ univerſâ, Baſileam rediit, ubi à Theodoro Zuingero Medicinæ Doctor, die Bartholomæi

Digitized by Google

An. 1587. renunciabatur. Inde celebriores Germaniæ partes & Academias perluſtravit, totumq; tractum Danubianum, item Poſoniam, Jaminum ac Comorram Hungariæ, & per Moraviam, Bohemiam, Miſniam Marchiamq; ad ſuos domum rediit. Reverſum Illuſtriſſimus Princeps Philippus, Dux Slesvici & Holſatiæ, Gottorpium evocavit medicumq; ſuum conſtituit. An. 1591. delatam in hac Academia Mathematicam Profeſſionem adiit, donec 1602. Eloqventiæ Profeſſioni præficeretur. Non longo poſt tempore oeconomiæ & Communitatis Regiæ bona adminiſtranda ſuſcepit. Et qvanqvam Profeſſio Medica, poſt abitum D. Andreæ Chriſtiani, Cl. Viro D. Petro Severino Archiatro decreta eſſet; tamen cum ille immaturo fato Academiæ eriperetur, & paulo poſt D.ⁿ Andreas Lymvicus Medicus Senior eſſe deſiiſſet, factum eſt ut prius qvam ab illo relictam Medici ſecundi ſtationem adiret, hujus locum A. 1603. conſeqveretur. Interim conjugium, qvod 1590. cum Virgine pudiciſſima Soſtrata Ivaria in Friſia Eidorenſi prægnata contraxerat, filiis tribus & 6. filiabus auxit. Primus natu M. Jacobus Finckius Phyſ. P. & Academ. jam poſt parentem Senior, cum conjuge Marga-

retha

retha Tetens, Avum fecit duorum filiorum, & totidẽ filiarum, proavum verò duorũ filiorum, totidemq; filiarum. Filia natu major Anna qvæ nupſit D. Caſp. Bartholino Prof. P. Sex nepotes unamq; neptim ſeni Finckio genuit, novem pronepotes totidemq; proneptes, duas abneptes. Altera Margaretha, qvam duxit D. Georgius Fuiren, tres nepotes duasq; neptes, pronepotem unum & tres proneptes. Tertia Dorothea conjunx D. Olai Wormii Prof. P. ſex neptes qvinq; pronepotes & ſex proneptes. Qvarta Druda uxor D. Johann. Brochmanni Prof. Theol. duos nepotes, qvatuorq; neptes, & duos pronepotes, qvos ſi numerato mavis, erunt 79. (*Ad hunc vero diem, qvo hæc denuo eduntur Anno 1661. excrevit numerus ad* 107. *DEO ſit laus pro familiæ noſtræ incremento.*) Magiſtratum interea Academicum ſummum qvintum geſſit, & Academiæ negotiis ſpatio 65. annorum vacavit. Regis Chriſtiani IV. valetudinem ſæpe, inprimis in itinere Norwegico curavit. Oeconomi priores ædes & aream dupla acceſſione locupletavit, novo inſuper cœnaculo pro ſtudioſis alumnis extructo. Splendidum illud ædificium, qvod Regentiam vocant, habitationibus alumnorum regiorum deſtinatum ædificavit.

cavit. Oeconomiæ res ita diſpenſavit, ut plus qvam 40. ultra numerum conſvetum, alumni libera menſa alantur. Ædes communitatis incendio conflagratas, reſtauravit ad iſtam qvam nunc in platea ſeptentrionali viſuntur magnificentiam. Medicinæ & Philoſophiæ ſtudioſis 3000. Imperiales legavit, præter alia in pauperes erogata. Annum agens 96 laborum & annorum ſatur, viribus qvotidie magis magisq; debilitatis, 10. Aprilis proximè elapſi febricula corripiebatur, qvæ accedentibus graviſſimis ex Calculo, aliisq; pectoris doloribus, ſenio confectum corpuſculum lancinarunt, ut decimo qvarto à decubitu die, 24. ejuſdem Aprilis, animam creatori placidiſſimè redderet. Hafniæ d. 2. Maj. 1656.

Opera Th. Finckii hæc ſunt:

Geometriæ Rotundi libri XIV. Baſileæ *in* 4. 1583.

Horoſcopographia, ſive de inveniendo ſtellarum ſitu Aſtrologia. Slesvici 1591. in Qvarto.

Tabulæ multiplicationis & diviſionis, ſeorſum etiam danicæ monetæ accommodatæ. Hafniæ 1604.

Tres

Tres Tabulæ qvotidianæ numerandi neceſſitati accommodatæ. Hafniæ 1615.

Ephemerides variæ. Hafniæ in 4.

Theſes Logicæ, Hafniæ 1594. Aliæ Philoſophicæ 1594.

De Conſtitutione Philoſophiæ Mathematicæ. Hafniæ 1591.

De Hypotheſibus Aſtronomicis, dimenſionis mundi, ac primi motus Circulis. Hafniæ 1592.

De Ortu & Occaſu ſiderum, de Diebus, & Noctibus, de Menſibus & Annis. Hafniæ 1595. 1601. 1602.

Diſp. Med. de Peſte, Hafniæ 1603. De Hydrope 1611.

De Medicinæ conſtitutione Diſputationes XVI. Hafniæ in 4.

Hafniæ in Sacello Rochæ Templi B. Virginis.

D. O. M. S.

THOMAS FINCKIUS FLENSB. PHILOS: ET MEDICINÆ DOCTOR. ILLUSTRISS. HOLSAT. DUCIS

Digitized by Google

DUCIS PHILIPPI. MEDICUS, QVONDAM. AULICUS. ACADEM. POSTEA HAFNIENS. MATHEMAT. ET ELOQVENTIÆ PER XIII. MEDICINÆ VERO LIII. PROF. PUBLIC. FACULTAT DECAN. ET SENIOR. CANONIC. ROSCHILDENS. REGIÆ STUD. OECONOM. LIV. ANN. PRÆFECTUS DUM VIXIT PATER AVUS. ABAV. ATAV. LXXIX. LIB. VIDUITAT. XLII. ÆTAT. XCVI. VI. KAL. MAJI. ANN. M. DC. LVI. PLACIDE. DEFUNCTUS EX DORMITORIO SUO GLORIOSAM RESURRECTIONEM EXPECTAT.

LOCULUS LVIII.

THOMÆ BARTHOLINI Hiſtoria Medica de Variolis, Anno 1656. Hafniæ Epidemiis.

ÆState Anni currentis 1656. inconſtante, calore pluviisq; & ventis auſtra-

auſtralibus mixta, aêre prioris peſtilentiæ reliqviis adhuc inqvinato multisq; puerperis exitioſo, Variolæ, noſtris Smaapocker dictæ, ex ſangvinis putridi ebullitione ingenti numero & fœditate non puerorum tantum corpuſcula deturparunt, ſed adultiores utriusq; ſexus, etiam qvi antea immunitatem ſibi polliciti fuerant, & puerperas infecerunt, cum febre maligna & petechiis, qvibus infiniti vel primo invaſionis die, vel qvarto, vel in declinatione variolarum in libitinæ cenſum adſcripti ſunt. Symptomata, qvia peſſimi erant Variolæ moris, & malignæ, varia viſebantur, in naturalibus functionibus vomitus & nauſea, in vitalibus cordis palpitatio, lipothymiæ, in animalibus, delirium, qvo multi cum cruſta univerſam faciem ſibi deturparunt, reſpiratio difficilis, tuſſis: in excrementis, urina cruenta & dyſenteria, lacrymæ oculorum, qvi Variolis tam ſtrenuè expugnabantur, ut viſus ſit humor cryſtallinus exinde expreſſus; in ſimplici corporis affectu, facies corpusq; primo rubens, mox puſtulis variis inviſum & deforme. Qvarto die vel ſumpto ſudorifero cardiaco ex lapide Bezoartico, Cornu Cervi, Unicornu Gronlandico &c. vel ſponte ſua & robore naturæ erumpentibus,

bus, mitigata febre & ſymptomatibus ceſſantibus ſanitas ſperabatur, niſi negligentia frigidi aëris ad interiora recurrerent, & vel alvi fluxu vel ſuffocatione ſtrangularent. Ingruente vero Autumno numerus ægrorum qvidem æqvabat æſtatem, ſed malignitas remiſit & innoxiè plurimi decubuerunt. Ad illuſtrandam Hiſtoriæ brevitatem, multa inter artis noſtræ Proceres controverſa de Variolarum cauſa & curatione, pari brevitate expendam.

Qvæſtio 1. an deformis hic morbus antiqvis fuerit notus?

Non auſim dubitare, qvia febrem malignam habuerunt perſpectam, qvæ per papulas has criſi qvadam finitur. Præterea nemo ex antiqvis eſt, qvi originem nobis & principium variolarum conſignarit, ſiqvidem perpetuo fluxu apud omnes graſſabantur. Adhæc ſangvinis ebullitio à putredine & maligna qvalitate inter mortales viguit ſemper, qvanqvam varia ſubinde ſit & diverſa pro cœli ſoliq; & naturæ varietate. Accedunt veterum indicia, qvibus perſvademur ante Arabum tempora Græcis Latinisq; nota fuiſſe hæc Exanthemata. *Hippocrates* ea agnovit in

Digitized by Google

in Sileni Hiſtoria L. 1. Epid. ægrot. 2. & in eo qvi Attico uſus eſt l. 4. Epid. n. 113. & in Tymonactis puero duorum menſium l 7. Epid. n. 93. & paſſim alibi. *Aëtius* qvoq; ex Herodoto accuratè videtur deſcripſiſſe inter alia puſtularum genera Tetr. 2. Serm. 1. c. 129. in febribus malignis faciem præcipuè infeſtantia varis ſimilia, cum vigiliis & pruritu, qvæ bona ſuccedant alvo ſuppreſſa, mala verò ſint fluente alvo, ut de Variolis noſtris ſermonem eſſe liqvido conſtet, etiam ex curatione ibidem tradita. Manifeſta eſt *Galeni* obſervatio l. 5. Meth. Med. c. 12. in peſtilenti illa conſtitutione, iis, qvi evaſuri erant, puſtulas, exanthemata vocant, nigras toto corpore confertim multas aparuiſſe, ulceroſas qvidem plurimis, omnibus certè ſiccas. Variolas noſtras ulceroſas vidiſſe & morbillos ſiccos, nemo dubitare poteſt, ſiqvidem & cauſa eadem & curatio. Cauſam affert reliqvias ſangvinis qvi in febre putruerat, qvas veluti cinerem qvenpiam natura ad cutim truſit. Curationem ſupra ob exſiccationem lacte Tabiæ aggreſſus, jam verò in exanthematibus ipſis abſtinuit à medicamentis, cum ſua ſponte ſiderent, memor oraculi *Hippocratis* 1. Aph. 20. *Celſum* Medicorum Tullium,

 ſi con-

ſi conſulamus, tam vivis coloribus variolas depinxit l. 5. c. ult. n. 14. ut ovum ovo ſimilius non ſit.

Qvæſtio 2. An externas tantum partes occupet?

Primarium ſubjectum eſt cutis externæq; partes, ſed non adæqvatum. Si ebullitio Sangvinis intra mediocritatis terminos ſubſiſtat validaq; ſit expellens Natura, ſolæ partes externæ ſufficiunt: At ſi malignæ materiæ copia exſuperet, vincatq; imbelle robur naturæ, qvia ad ambitum corporis univerſa protrudi neqvit, interna viſcera occupat, & modo pulmones illisq; vicinas partes ulceribus fædat, unde difficilis reſpiratio, tuſſis, ſuffocatio, modo inteſtina exulcerat, eroditq; vaſa meſenterii, unde dyſenteria & diarrhæa lethalis, modo renes infeſtat, unde urina cruenta, modo deniq; in capite convulſiones, deliria, cæcitates &c. excitat. Non ſolius cutis eſſe vitium, ſed omnium interiorum, inde deprehendit *Fernelius* l. 2. de morb. Peſt. c. 12. qvod qvidam ab interitu diſſecti fuerint, qvibus jecur, lien, pulmones, omniaq; interiora haud ſecus atq; cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent. Obſervavit idem

Paræus

Paræus l. 19. c. 1. in pleriſq; hujus morbi malignitate mortuis & diſſectis, eam in principibus partibus invehi corruptionis impreſſionem, qvæ hydropis, phtiſeos, raucitatis, aſthmatis, dyſenteriæ ulceratis inteſtinis, ac tandem mortis conſecutionem attulerit, prout puſtulæ per hæc vel illa viſcera pari rabie debacchantur, qva per corporis ſuperficiem furere cernuntur. In duarum puellarum diſſectione id viderat c. 2. cum Richardo Huberto, & in corpore cujusdam Landgravii junioris *Horſtius* Pater Epiſt. Med. Sect. 11. Periculum ejus rei facturus *Bontius* apud *Florentium* addit. ad c. 4. Pavii de Peſte, opera Chirurgi Danielis Weiſſens, cadaver cujusdam, qvi exanthematibus peſtis laborarat, diſſecuit, invenitq; ab oſſibus ipſis initium ea ſumere, incipereq; à latiori baſi, pyramidis inſtar aſſurgentia, ac tandem in ſumma cute in conum deſinentia. Idem de variolis eſto judicium. Hinc enim ichor multus viridis in cavitate thoracis puerorum variolis defunctorum obſervatus, qvod in Hiſtoriis meis Anatomicis Rarioribus notavi, & pulmones tumidi nigri inflammatiq; cum vitioſo ſangvine in Principe Auriaco Wilhelmo inventi.

Quæſtio 3. Cur faciem copioſius infeſtent?

Hoc diſcrimine à Morbillis aliisq; Exanthematibus qvibusdam ſeparantur variolæ, ſed ejus ratio difficilis. Triplicem affert *Mercurialis* doctiſſimus l. 1. de morb. puer. c. 2. meo judicio non ſatis aptam. Primo inqvit, in genis oſſi ferè ſine carne cutis adhæret. Certè major carneæ molis congeries in facie cernitur qvam occipite, in qvo tamen variolæ parciores ebulliunt qvam in facie. Et iſta ratio de curatione ulcerum validior, qvam de eorundem copioſa generatione, cujus cauſam qværimus. Altera ratio à facultate naturali in facie infirmâ, valdè eſt infirma. Robuſtam eſſe in facie, vividus color teſtatur & ſangvinis ubertas roſeo tingens genas colore. Hi autem variolis citius copioſiusq; tentantur, qvam pallidi, qvam macie confecti & exſucci. Tertia ratio minus habet ponderis. Putreſcere humores facilius in facie propter oſſa, qvæ ex ſententia Empedoclis calida ſunt, à vero abhorret. Nam & oſſa frigida ſunt, ſi ad reliqvas partes comparentur, & propter iſtud frigus, facilius oſſa & denſarent cutem & putredinem impedirent,

& fer-

& ferventes humores in aqvam reſolverent, qvod in Chymicis operationibus familiare. Veriores me judice cauſæ dantur aliæ. Nempe cutis in facie teneritudo, qvam facilè perrumpunt ichores, unde in labiis & præputio freqventius apparent. Deinde humorum ferventium levitas culpanda, qvi ad ſupremas partes naturali principio feruntur, qvemadmodnm in aliarum febrium declinatione ulcuſcula & ferventes puſtulæ circa os efflóreſcunt, & in animi affectibus citiſſimè cutis faciei rubet. Forſan ſingulari proprietate variolarum maligna qvalitas faciei præ aliis eſt infeſta, ſicut narcotica cerebro, lepus marinus pulmonibus, cantharides veſicæ. Deniq; mortalium ſuperbientium & ſuis credentium coloribus, pœnam in facie extare voluit Deus, ut formoſus vitaret infamiam, deformis ut ſciret redimendum eſſe virtutibus qvicqvid deeſſet corpori, qvod monuit *Seneca* 1. Nat. Qvæſt. 17.

Qvæſtio 4. Qvæ ſit cauſa Variolarum?

Verbo dicam; corruptio peculiaris maſſæ ſangvineæ, qvæ ab externa cauſa, nempe vel aëre maligno, vel cibis pravis, vel contagio propellitur, qvemadmodum muſtum e-

 bullit

bullit & cereviſia recens fermento depuratur. Serram autem controverſiarum ducunt eruditi; unde corruptionis iſtius in ſangvine origo ſumenda. *Arabes* & pleriq; illorum veſtigiis inſiſtentes, labem iſtam in primo ortu ex menſtrui ſangvinis vitio contractam exiſtimarunt, qvæ in corporibus noſtris deliteſcat, donec ab externis cauſis impulſa erumpat, hinc enim omnes homines variolis tentati, & qvi ſemel illis laborarunt, poſtea immunes eſſe. Sed falſa nituntur ſuppoſitione. Sangvis enim maternus ex ſe malignus non eſt, nec pro certo conſtat, an ſangvine illo fœtus in utero nutriatur, qvum recentiorum obſervationes & ſententiæ dubitare nos cogant. Qvicqvid autem ſit de iſta hypotheſi, qvia cibi qvicunq; in utero ſugendi matris vel robur vel vitium referunt, partes embryonis effigiatas cernimus anteqvam matris ſangvine indigeant. Præterea ex menſium inqvinamento variolæ mulieribus imminerent, qvotiens ſuppreſſus eſſet ordinatus fluxus. Et difficile intellectu eſt, qvomodo reliqviæ iſtæ materni ſangvinis tamdiu interdum in corpore deliteſcant, qvod interea aliis morbis graviſſimis ſæpius fuit expurgatum. Nec omnes invadit lues, ſed plurimos ſemel, alios

bis

Digitized by Google

bis terve, nunqvam ſingulos, eosq; contagio vel cauſa externa deceptos. Scrupuſum movent fratres loco diſſiti, qvorum uno variolis affecto, alter ſub alio Soſe vivens eodem tempore inficitur, qvod non ſemel aliàs & nunc obſervatum. Sed ad maternum ſangvinem recurrere nulla cogimur neceſſitate, qvum hujus ſympathiæ alia reddi poſſit ratio, neq; enim omnibus, neq; in aliis affectibus ſuccedit experimentum. *Mercurialis* l. 1. de Morb. Puer. c. 2. hæreditati paternæ in filios hujus labis diſpoſitionem tranſcribit, qvi & ipſe falſa hypotheſi decipitur, nempe Arabum tempore cepiſſe primum inter mortales, & primo infecto poſteros eſſe inqvinatos. Elabi verò non poteſt, ſi ad alios morbos relegetur, peſtem, febres, ſcabiem &c. qvæ ad nepotes raro propagantur. Et difficile foret iſtam diſpoſitionem exuere, etiam qvi decies variolis eſſent deturpati. *Fernelius* Galliæ ornamentum l. 2. de Abd. rer. cauſ. c. 12. ex communi qvadam maligna cauſa toti aëri conſperſa originem aſſignat, validiſſimis argumentis. 1. Qvod non fervidiore ſolum cœlo, ſed & hyeme interdum graſſentur. 2. Qvod annos complures ſileant, & certis annorum intervallis ſæviant in plebem. 3. Qvia nul-

nullum putredinis indicium cernitur in urinis. 4. Qvia morbi horrenda Symptomata comparent. Adde contagium qvo inficiuntur alii, & curationem per Alexipharmaca hoc anno inter noſtros uſitatam, ut Fernelii partes cordatius ſeqvaris.

Qvæſtio 5. An Venæ ſectio conveniat?

Inter generoſa remedia in morbo hoc magno primum merito locum occupat. Primi enim principesq; mittendi ſangvinis ſcopi ſunt, morbi magnitudo, & laborantis robur, teſte *Hippocrate & Galeno* l. de Cur. rat. per Sang. miſſ. c. 9. Idem remedii genus ſvadet Sangvinis ebullitio, fervor & copia, ut de febre perpetuo conjuncta nihil dicam. Cæterum ne decipiamur & noſtro & ægrorum malo, diſtingvenda ſunt hujus morbi tempora. Vena ſecanda primo ſtatim invaſionis die, qvando ſuſpicio variolarum fuerit, ſi corpus plethoricum ſit ferendo, & alia non impediant, ita enim & febris mitigatur, & copiâ Sangvinis imminutâ, levatur Natura, ut in expellendis variolis fortior exſurgat. Apparentibus autem qvarto die exanthematibus, qvieſcunt ab opere Medicorum manus, qvia turbanda in motu critico non eſt Natura, ſed ex præcepto *Hippocratis*, qvæ judicantur,

Digitized by Google

cantur, movenda non ſunt, verùm ſinenda, præterea metus eſt ne maligna materia à circumferentia ad centrum ſeu ex cute ad interiores partes revocetur, qvod damno ſuo plurimi experti ſunt; ſive intempeſtiva Venæ ſectione, ſive occurſu frigidioris aëris. Sunt tamen qvi etiam erumpentibus variolis venam ſecent, qvando febris intenditur, anxietas, ſpirandi difficultas, angina, pleuritis, lotium craſſum & rubrum aliaq; Symptomata apparent, ut detracta humorum portione, reliqva facilius ſuperentur. Certè ſi imperfectè prodeant exanthemata, naturæ laboranti ſuccurrendum, partim parca venæ apertione, ſi copia ſangvinis oneret, qvod multorum felix eventus comprobavit, partim ſudoriferis, qvæ, ubi malignitatis ſuſpicio, tutius ad extrema corporis eliminant ichores. Nec metus eſt, ne materia ad ambitum corporis modo protruſa, revocetur, ſi qvidem extra vaſa, qvaſi Ecchymoſi, inter cutem cuticulamq; continetur, & levi ventilatione Sangvis minuitur in repletis vaſis. Habemus præeuntem *Galenum*. Cur Simon ille apud *Hippocratem* l. 6. Epid. Sect. 2. latas puſtulas habens vomitu non juvaretur, hanc cauſam reddit *Galenus* in Commento, qvod ſuccis ad

cutem vergentibus, ut iterum ad interiora corporis revellantur, via valdè ſit longinqva. Nec verebatur in carbunculis, aliisq; cruſtoſis ulceribus ab inciſa vena curationem auſpicari l. 14. Meth. Med. c. 10. De adultioribus robuſtioribusq; minus dubitatur, at qvia infantes puerosq; tenerioris ætatis ſæpius variolæ occupant, an iſti venæ ſectionem ferant, dictu eſt difficile & periculoſum. Noſtris moribus receptum eſt, manum ibi de tabula, ne ſcilicet tenella puerulorum corpuſcula diſſolvantur, viresq; debilitentur. Sed credo hanc religionem & αἱμοφόβον pueris natura ſangvineis & acuto morbo vexatis ſæpe fuiſſe exitii cauſam. *Galenus* qvidem paſſim l. 9. Meth. c. 17. alibiq; averſatur iſtam ſectionem, ſed de exili evacuatione conſentit, qvomodo etiam explicandus eſt textus *l.* de Cur. rat. per Sang. miſſ. c. 13. ubi parcimoniam illam ad 14. ætatis annum extendit. *Fernelius* qvinto ſextove anno ſecuit. Abenzoar filio ſuo ſangvinem minuit tertium annum agenti? *Monspelienſes* tertio qvartove anno aliqvid audent. *Pariſienſes* verò neq; tenerrimæ & uberibus admotæ ætati parcunt, qvorum patrocinium in me non ſuſcipiam.

Id cer-

Id certum eſt, naturam ſæpe in variolis puerorum hæmorrhagiâ narium Medico monſtrare viam, qvam ſeqveretur, niſi plus vulgi eſſet dandum opinioni, qvam rationi. Vident hic ſubinde Medici meliora probantq;, ſed aliorum in gratiam conſveta ſeqvuntur. Aureum dictum eſt *Galeni* l. c. Non numero ſolummodo animum advertendum, ſed & corporis habitui.

Qvæſtio 6. An lentium uſus conferat?

Qvia ſuſpecta eſt in variolis per medicamenta alvi laxatio, dubiiq; clyſteres, duo potiſſimum ſecurè agenda, ut Natura ad expulſionem adjuvetur, ſi ſegnior ſit, & internæ partes roborentur. Sylvam Medicamentorum alii contexuere. Arabes eorumq; princeps *Abenſina*, lentes in ſuis compoſitionibus laudant. Diſplicet id remedii genus *Amato Luſitano*, *Cardano*, I. B. *Sylvatico*, Contr. 92. *Sennerto* l. 4. Inſt. part. 1. c. 3. Vim verò habent conſtipandi, ſi detracto antea cortice decoqvantur accuratè, primaq; aqva inter coqvendum effundatur, nam primum decoctum ventrem ſolvit, teſte *Dioſcoride* l. 2. c. 129. *Galeno* l. 8. ſimpl. Med. Fac. *Iſaaco* l. Diæt. Partic. medulla enim ſtipat alvum, cortex

tex laxat, ut notat in Commentariis *Petrus Hiſpanus*, & ante illum *Celſus* l. 5. c. ult. n. 14. Mirum videtur nonnullis, qvomodo adſtringendi potentiâ ad expellendas variolas commendentur. Nolumus tot annorum experientias felices in dubium vocare. Igitur ratio inveſtiganda. Alii in materia craſſa, qvæ ſegniter ad cutem propellitur, prohibent, alii ob craſſitiem miſcent hordeum, caricas, acetum &c. qvod & Arabes fecere. Specifica qvalitate variolas expellere qvibusdam perſvaſum. Nonnulli iſto inhiberi remedio ebullitionem humorum, alii adſtrictione roborari internas partes putant, qvæ roboratæ à ſe noxia ad cutem propellant. Ultimæ conjecturæ tanto accedo promptius, qvod ſciam uſitatos nobis pulveres ſiccos ex lapide Bezoardico, oculis cancri, Cornu Cervi, *Bolo* Armena, Unicornu Grönlandico, Unicornu foſſili, ſtiptica vi & ſudores pellere & putredinem inhibendo malignitati reſiſtere. Qvanqvam veterum diligentiam æſtimemus & remedia defendamus, tamen multa habent lentes incommoda à *Dioſcoride* l. c. notata, qvæ experti fuere Ægyptii elephantiaci, qvorum pueri Lenticula ab incunabulis nutriti, referente *Athenæo* l. 4. Libentius idcirco miſſo lente,

lente, ſudorifera jam laudata ſubſtituimus, qvorum in variolis apud nos graſſantibus ſingulari utilitate probata eſt virtus. Imbibunt illa ſuperfluos in ſangvine ichores conſtrictisq; vaſis reliqvos vi exprimunt, & alvi fluxum inhibent, hic prorſus fugiendum.

Qvæſtio 7. An ſuppuratæ variolæ perforandæ?

Arabes ſvadent, & alii imitantur, ut materia puſtulis maturis contenta evacuetur, ſi ſponte ſua perrumpere nolit, ne diuturna mora & ulceris profunditatem inducat & ſubjectis partibus nocumentum. Omnibus abſcesſibus commune, hiſce puſtulis denegare nulla poſſumus ratione, præſertim ſi à materiæ malignitate immineat dilatæ moræ periculum. *Mercurialis* tamen l. 1. de Morb. Puer. c. 2. pro re ſupervacanea & moleſta traducit, moleſta qvidem, qvia ægri eo tempore maximè crucientur, ſupervacanea, qvia humor jam deferbuit qvando albæ puſtulæ apparent, & damnum intulit qvod potuit. Sed neutro dubio movemur. Ea propter enim, niſi ſponte rumpantur, puſtulas aperimus, ut ægri leventur, à levi verò punctura non excruciantur, qvia Epidermis ſine ullo ſenſu dilace-

laceratur. Qvanqvam deferbuerint, mora tamen qvacunq; etiam frigidus ichor nocet, & moleſtia illa deformitateq; liberantur citius. Qvod imprimis de magnis puſtulis & conglomeratis accipiendum. Duæ aliæ cautiones in aperiendis variolis advertendæ. Primò, ne nimium amplietur foramen, ſed exiguis potius foraminulis materiæ exitus procuretur. Ex amplo hiatu metus eſt, ne aëri frigido exulcerata caro ſeu ἑλκῶδες, ut vocat *Celſus*, exponatur, ſimplex vero parvumq; foramen facilè fruſtrata operatione coaleſcit. Deinde perforatio fiat non ungvibus, non forfice, ſed acu eaq; aurea ſubtili, ſeu crinali qvæ olim ex auro, teſte *Heſychio*, & adhuc Chirurgis nonnullis uſitata. Aurum laudatur, non tantum qvia ad expulſionem morbillorum confert, authore *Gesnero* in Epiſt. ſed qvod glutinandi roborandiq; vi polleat, ægrosq; delectet.

Qvæſtio 8. Qvibus ſtragulis involvendi ægri?

Ad provocandas variolas morbilloſq; ſolent infantes pannis rubris involvi, vel pannus lecto inſterni, nonnunqvam eodem pan-

no fri-

Digitized by Google

no fricationes fiunt. Vulgo id uſitatum, & magnos Medicinæ Proceres habet faventes, qvia ad exanthemata elicienda croceum pannum extollunt. Nempe ſimilitudine coloris ducuntur humores, ſangvisq; ruber ſeqvitur externos colores affines, qvemadmodum flamma flammam elicit, & aduſtam manum ignis ſanat. Eodem conſilio ſtragulam coccineam imbecilli ventriculo imponimus, ut ex vicinis partibus provocetur ſangvis calorq;. Ita *Marcellus Empiricus* magdalia jubet induci phenicio, atq; imponi ſtomacho. Epithemata cordis qvoq; hujusmodi panno illinuntur, & in extremo partium marcore cutem rubro panno fricamus non pœnitendo eventu, ut advocatus coloris ſplendore ad extima ſangvis ſolitum nutritionis munus repetat, qvod artificium in facie imitantur mulierculæ ut purpureo tingantur genæ rubore. Oculos mori arboris ad hæmorrhoides provocandas *Marcellus* commendat, ſi prius in coccum galaticum mittantur, & in phœnicio lino conchyliatæ purpuræ colligantur. Filum purpureum miræ eſt efficaciæ in Angina, ſi eo viperæ ſtrangulentur, ſive qvod impreſſa ſit à viperis virtus, ſive qvod color fili ſangvinem, qvi fauces occupat inflammatq;, vel educat

cat vel diſſipet. Nulla alia ratio proſtat ſufficiens, cur veſtes rubri oculos noſtros offendant, & animalia nonnulla in furorem adigant. Magna ibi lucis mixtura, qvæ affines in oculo ſpiritus lædit turbatq;, ut ſi exceſſerit, evocentur hi & cœcitatem inducant.

LOCULUS LIX.

De Napello Cenſura Medicorum.

EX clementiſſimo mandato Ser. Reg. Majeſt. ex arce Hafnienſi die 17 Januarii 1657. Facultas Medica jubetur ſubjectiſſimam Cenſuram ſcripto conſignare, de qvalitate radicis cujusdam, qvam vulgari dialecto Munckeroed / ſeu radicem Monachorum appellamus, ad cauſæ cujusdam obſcuræ elucidationem, nempe mulieris pagani qvæ dicitur marito ſuo hanc radicem in cibo exhibuiſſe, unde creditur idem maritus è medio ſublatus. Qvandoqvidem vero radix ipſa nobis monſtrata non fuit nec in judicio exhibita, ut ſubjectiſſimè ad mandatum Regium reſpondeamus, ſi radix eſt herbæ, Danica lingva Muncke dictæ, & latina Napellus, exiſtima-

mamus ex omnium Medicorum ſententia eſſe radicem venenatam, & ſi internè exhibeatur, præſertim magna doſi, poſſe hominem enecare. Ad rei controverſæ illuſtrationem brevis hæc eſt noſtra ſententia, qvam Facultis qvoq; Medicæ ſigillo confirmavimus. Hafniæ XVII. Januarii Anno 1657.

Th. Bartholinus Decan.	Simon Paulli D.
Chriſtianus Fabricius.	Paul Moth D.
Jacobus Svabe Med. D.	Henricus Fuiren.
Eraſmius Bartholinus.	Chriſtian. Oſtenfeld.

L. S.

LOCULUS LX.

Luſtratio Cadaveris Fabri Illuſtriſſimi Gyldenlöwii, per Chirurgos.

SIqvidem ex mandato Prætoris Urbani Claudii Ivari Corvini ſcripto conſignato, jubemur infraſcripti Chirurgi luſtrare & examinare cadaver Fabri Illuſtriſſimi Domini Generalis Majoris Gyldenlöwii, qvi non ita pridem veſperi gladio eſt vulneratus,

& in præſentia Clariſſimorum & Excellentiſſimorum Virorum D. Thomæ Bartholini, D. Eraſmi Bartholini, M. Jani Dolmeri, & aliorum, cadaver defuncti accuratè luſtravimus, & aperuimus. Ubi primò invenimus exiguam puncturam ſupra claviculam in dextro latere prope collum, & aperto corpore nihil prorſus ex interioribus eſſe læſum, qvanqvam & cor & pulmones extraxerimus, ſed cor valdè tenue & exile, nec pulmones ea magnitudine aut robore naturali in ſiniſtro latere, ſecus ac in dextro. Præterea puncturam habuit ſub ſiniſtra ſcapula poſtica verſus alas brachii, ſed non penetravit. Alioqvi reperimus magnam qvantitatem materiæ ſemicoctæ in pericardio, & ſiniſtram pectoris cavitatem ea materia fuiſſe repletam, unde profluxerit iſta materia, certò ſcire non poſſumus, neq; dicere poſſumus hominem hunc ex duabus hiſce puncturis mortuum. Ita actum revera, fatemur manuum ſubſcriptione, Hafniæ 18. Novembr. 1657.

Wilhelmus le Eſchoven.
Martinus Sixen Chirurgi.

Cen-

Digitized by Google

Cenſura Medicorum.

EX clementiſſimo Reg. Maj. mandato, qvo neceſſitas nobis imponitur judicandi de Chirurgorum luſtratione in cadavere fabri ferrarei Generalis Locotenentis Gyldenlöwii, qvi in urbe hac creditur occiſus, noſtramq; ſententiam ſcriptam extradendi ſexdecim illis judicibus, qvi juramento tenentur reum declarare: Nos ad ſubjectiſſimum obſeqvium parati hodie convenimus, & non ex Chirurgorum ſolum ſcripta narratione, nobis exhibita, ſed & ex ipſorum præſentium reſponſione ad noſtra interrogata, omnibusq; circumſtantiis perſpeximus, duas iſtas puncturas lethales neutiqvam fuiſſe, ſed qvod collecta in pericardio & ſiniſtro pectore materia, potuerit ex aliis pulmonis internis affectionibus & morbis originem ſuam traxiſſe, ſine ulla externa cauſa, ſive punctura, cæſura, aliisq; infelicibus caſibus. Id qvod ſubjectiſſima fide ſignavimus, & ſigillo Facultatis Medicæ munivimus. Haſn. 8. Mart 1658.

Th. Bartholinus Dec. Simon Paulli D
Chriſtianus Fabricius D. Paulus Moth D.
Jacobus Svabe Med. D. Chriſtianus Oſtenfeld D.

L. S.

LOCULUS LXI.

Vita Doct. HENRICI FUIREN Medici Hafnienſis, ex Programmate Pro-Rectoris Hafn. D. Oſtenfeld. 1659. Et ejusdem Fuirenii Legata.

NAſcitur Hafniæ 1614. die 28. Maji, parentibus Georgio Fuiren Medicinæ D. & Margaretha Fincke. Creſcente ætate primum in parentis, poſtea in D. Caſp. Bartholini ædibus artium liberalium haurit fundamenta. Anno 1628. 9. Junii civitate Academica donatur. Poſt ſemiannum, & Patre & Avo orbatus. Anno 1629. Soram ſe confert, binosq; menſes in familia D. Burſeri Medici & Botanici transegit. Anno 1633. jactis ſtudiorum Philoſophicorum, Mathematicorũ & Medicorum fundamentis, Lugdunenſes in Batavia Muſas ſalutat, ubi Joannem Walæum inter primos ſummum in Medicina manuductorem, habuit, Falcoburgium & O. Heurnium, in Anatomicis, Ad. Vorſtium in Botanicis, præceptores coluit. Franeqveræ trimeſtre ſpatium conſumſit. Exacto Lugduni Batavorum qvadriennio, iter in Galliam cum Fratre Thoma Fuirenio ſuſcepit. Lutetiæ cœptum Anatomicum ſtudium continuat & reliqvis

liqvis civitatibus viſis, qvum annum cum dimidio in Gallia transegiſſet, Anno 1639. Monspeſſulo prius viſo, & ſalutatis Ranchino & Bellevallio, Liguſticum mare tranſit, moxq; Genuam venit. Per Liburnum, Piſas, Florentiam, Bononiam, Patavium tandem 9. Junii ingreditur. Sex annos continuos ibi commoratus, non contentus publicis Clariſſimi Veslingii diſſectionibus Anatomicis, privatis etiam in ædibus, & in valetudinario Patavino manum operi adhibuit, viam monſtrante Jo. Leoniceno. Tempore æſtivo, non ſolum Veslingium in horto Academico docentem audivit, ſed ejus comes Alpes, plantarum amore, non ſemel viſitavit. In ægris inviſendis Jo. Dom. Sala Coryphæus ipſi per biennium fuit. Interea Nationis Germanicæ Artiſtarum Conſiliarius fuit. Romam, Neapolin reliqvasq; Italiæ civitates interea qvoq; inviſit. An. 1645. per Mediolanum Helvetiæq; civitates Baſileam 28. Junii cum fratre Theodoro ingreditur. Ubi poſt 4. menſium moram, non ſolum Laurea Apollinari eum, cum conſobrino Thoma Bartholino decorarunt promotore Jo. Caſp. Bauhino, ſed inter Collegas facultatis Medicæ Baſileenſis numerarunt. Deniq; per Galliam, Bel-

gium, Holſatiam 1646. 30. Septembr. paternos, qvos tredecim annorum mora non viderat, ſalutat Penates. Luctatus deinde eſt per aliqvot annos cum infirmiore valetudine, ex pectoris anguſtia, qvæ tandem vivendi finem attulit 8. Januarii, qvo animā Servatori tradidit, qvæ annos 44. menſes 7. dies 10. erat in terreno corpore peregrinata. P. P. Hafniæ XIX. Kal Febr. 1659.

Plura de Vita B. M. D. Fuirenii & *laudibus* condignis legi poſſunt in Oratione, qvam illius memoriæ & meritis conſecravit *Thomas Bartholinus* edit. Hafniæ 1660.

Idem B. M. Doct. Fuirenius Deo, patriæ & amicis devotus addictusq;, Templis, *pau*peribus & Academiæ noſtræ ſeqventia legavit, juxta Teſtamenti tabulas in Conſiſtorio Academico aſſervatas.

1. Templo S. Nicolai, 500. Imperiales.
2. Templo S. S. Trinitatis, 500. Imperiales.
3. Pauperibus familiis & ægrotis decumbentibus, 500. Imperiales.
4. Scholaribus egenis in Schola Triviali B. Virginis, 500. Imperiales.
5. Studioſis egeſtate preſſis in Academia, 500 Imperiales.

6. Viduis

6. Viduis Paſtorum Diœceſeos Selandicæ, 500. Imperiales.
7. Egenis claſſiariis & remigibus, qvi in Regis & Regni ſervitio membris mutilantur, 500. Imperiales.
8. Univerſitati Hafnienſi Bibliothecam Medicam in Palatio ſupra Templo S. S. Trinitatis collocandam, Cujus Bibliothecæ catalogum edidit *Thomas Fuiren* frater Hafniæ 1660. qvi ex ſua qvoq; Bibliotheca ſupplevit qvæ deſiderari videbantur, ut ita in univerſum Bibliotheca hæc jam conſtet voluminibus Medicis 1025. publico uſui dedicatis.
9. Sub-Bibliothecario Publico, 300. Imperiales.
10. Domui Anatomicæ Muſæum Rariorum rerum Naturalium, qvarum catalogum idem laudatus *Thomas Fuiren* publici juris faciet.
11. Facultati Medicæ 500. Imperiales, qvorum uſura ſemiſſis ligno, candelis, atramento, & chartæ in Conſiliis Medicorum, & reliqvum Muſæo rariorum locupletando impenditur.

LOCULUS LXII.

JOANNIS RHODII de artis Medicæ exercitatione, Conſilia tria, Amicis intimæ tantum admiſſionis hactenus communicata.

I.

Artis Exercitatio viâ maximè compendiariâ.

SEnnerti compendium Inſtitutionum diligenter perlegendum. Iteratæ lectioni addantur Inſtitutiones cum qvæſtionibus, qvarum ſolutiones Præceptis attexendæ.

Anatome Veslingii cum figuris ſufficit, ſi diligens accedat ſectionis inſpectio.

In Re Herbaria Matthioli Compendio, qvod à Camerario concinnatum Francofurti proſtat, freqvens ſtirpium inſpectio accedat.

Methodi medendi exercitationem præbet Claudinus de Ingreſſu ad infirmos, qvi lectitandus.

Materiam Medicam breviter explicat Fernelius Meth. Med. l. 5. & 6. cui præter Morellum addenda Renodæi Pharmacopæa, & Varandei formulæ.

Aqva-

Aqvapendentis Chirurgia omnibus numeris ſatisfacit.

Omnium loco ſit Praxis Danielis Sennerti, qvâ omnium Veterum & Recentiorum doctrinam eſt complexus, cui Bruelius & Jonſtonius ad memoriam ſuccenturiabitur.

Septalii animadverſiones cum Analectis Jo. Rhodii, & Laurentii Scholezii Aphoriſmis Medicis familiariter habeantur.

Foreſti Obſervationes, Mercurialis & Claudini Conſilia ſæpius conſulantur.

Periti Doctoris in medendo ductum ſeqvatur maturè Artis filius, qvem laborioſæ lectioni anteponat, nam legendi ſemper occaſio erit, audiendi non ſemper Plin. l. 2. ep. 3. Viva vox etiam alit plenius Fabii monitu. Qvis enim præceptorum multifidam varietatem ſe verè ſperet indagare poſſe citra exercitationis conſtantiam, ut prudenter in præceptionibus Hippocrates. Proinde Galenus de compos. med. ſec. loc. l. 6. c. 16. non eſt idem nec ſimile à viva voce diſcere & ex libro legere. Itaq; Tullius optimè: Accedat etiam ad conſiderationem etiam alieni exempli uſus & exercitatio, ſine qva nec Medici nec Imperatores nec Oratores, qvamvis artis præcepta perceperint, qvicqvam magna lau-

de dignum conſeqvi poſſunt: Vix enim dici poteſt qvantò libentius imitemur eos qvibus favemus. Qvint. Inſtit. Orat. lib. 2. c. 2. Conſvetudo enim & exercitatio facilitatem maximè parit. Fab. 10. 7.

II.

Univerſæ Artis Ideam ubi qvis ex Cnutio perceperit,

Sennerti Inſtitutiones tertiæ editionis Germanicæ, omiſſis qvæſtionibus accuratè perlegat.

Iteratâ lectione libri deciſionum momenta ad artis præcepta referat.

Ne ea memoria excidant, dum ſe ad exercitationem accingit, qvotidie unum alterumve ordine repetat ex Epit. Inſtit. caput, qvam Author ipſe Wittebergæ confecit.

Interea dum inſtitutionibus occupatur, imprimis officinalium ſtirpium cognitionem à Botanico hauriat, qvam Dodonæi lectione firmet, reliqvæ materiæ medicæ à perito qvodam Pharmacopola, notitiam petat.

Anatomes ſimul ſedulam præbeat inſpectionem, ſolo Bartholini Syſtemate contentus, ac Veslingii accuratiſſimis Iconibus ador-

Digitized by Google

adornato, maximè in Collegio Chirurgico qvod Pariſiis familiarius.

Neq; operationes Chirurgicas intermittat, præcipuè in publicis valetudinariis, qvarum occaſio præceps. Utriusq; verò ſtudium omninò continuandum.

Jactis hiſce fundamentis diligentiſſimè perlegat Cæſarem Claudinum de Ingreſſu ad Infirmos, cujus editio poſt Bononienſem emendatior Baſileæ prodiit.

Jamq; Morellum adjungat de Remediorum Formulis, qvas tamen malim à Medico Scholæ Montispelienſis Alumno accipiat.

Antidotariorum loco unum ſuffecerit Renodæi cum Qvercetani Francofurti editum.

Nec de Remediorum farragine communi plurimorum errore multum ſit ſollicitus, niſi ea fuerint peculiari magnorum Virorum experimento commendata. Simplicem Indicem ſatis exqviſitum Elencho ſuo præmiſit Dominus Jo. Prevotius, cujusq; verò in certis affectibus peculiaris efficacia lectione ac præcipuè uſu obſervabitur.

Sic itaq; inſtructus accedat ad Sennerti Praxin, eamq; ſolam verſet, dumq; repetit, in pauca contrahat, is enim unus omnium vicem ſupplet.

Hinc

Hinc poſtqvam ſe viſitationibus ægrorum, cum perito Medico addixerit, adjungat Altimarum & Maſſariam, qvi Græcorum doctrinam complexi, Capivaccium Methodo inſignem, Saxoniam ſignorum diſcrimine accuratum, itemq; Matthæum de Gradibus, qvi Arabum ſecreta perſecutus eſt. Imo ſi tempori parcendum, is cum Altimaro abunde ſatisfaciet.

Hippocratis Aphoriſmi cum notis Hollerii.

Ex Galeno ſint familiares. Ars Medicinalis. Ars Curativa ad Glarconem. Libri de cauſis ac differentiis morborum & ſymptomatum. De Methodo medendi. Commentarius in Hipp. aphor. De locis Affectis & Epidemia Hipp.

Reliqva ejus dogmata percipiet ex Andreæ Lacunæ compendio, cujus editio commodiſſima in 12. Lugduni Gallorum Tom. 4.

Conſultationibus freqvens adſit, Caſus propoſitos ipſe ſecum repetat è Conſiliis Mercurialis, Claudini & Joh. Baptiſtæ Montani, qvibus per otium addiderit Fernelii & Fonſecæ.

Accedant Obſervationes Foreſti, ſepoſitis ſcholiis, Plateri & Amati Luſitani.

Inter Chirurgos unum ſibi familiarem habeat

Hier.

Digitized by Google

Hier. Fabr. ab Aqvapendente, cui jungatur Fallopius Doctor fidiſſimus, & hic inſpectio ipſa plurimi facienda.

Inter Artis Exercitia notentur Cauſarum ſigna rariora, Eventus parum obvii, & Remedia uſu probata, eaq; omnia recepto Medicis ordine, in Ephemerides redigantur.

Mercatus de recto præſidiorum uſu & Septalii animadverſiones nunqvam è manibus deponantur, qvorum ille Baſileæ Coloniæ nomine in Octavo, hic Patavii omnium emendatiſſimè evulgatus.

Ad oblectationem & Cultum confert Plinii lectio, Agricola de Metallis, Rondeletius, de Piſcibus, & reliqvi in Bibliotheca ſelecta nominati.

Chymia tandem ad Pharmaciæ complementum dirigatur.

Viri Doctrinæ & Experientiæ famâ ſpectati ſuper omnia ſtudioſè colendi, Etenim legendi ſemper occaſio, ſed audiendi non ſemper.

Nolo tamen librorum neglectu deſidiæ nomen contrahi; Nam ſtudendum ſemper & ubiq; monente Fabio x. 7. ſed pauci iiq; optimi, qvos non legendos ſed lectitandos ſubjicio, Bibliothecam familiarem Medico neceſſa-

Digitized by Google

neceſſariam conſtituunt qvibus fas eſt ſine diverticuli damno ſtudioſius innutriri.

III.

Manuductio ad Medicinam paulo accuratior.

Perceptis bonarum literarum omnisq; Philoſophiæ inſtitutis, præſertim Naturalis ad rectam Medicinæ cognitionem;

Introductionis loco erit Juſti Cnutii compendium, qvod Patavii publicavit, perſpicuâ enim brevitate univerſam propemodum artem repræſentat.

Hoc excipient Danielis Sennerti Inſtitutiones Medicæ omnium exactiſſimæ. Philoſopho ſatis faciles, qvibus memoriæ ſubſidio adjungenda earundem Synopſis Decumano Statu Lutetiæ vulgata, itemq; Compendium ab Authore ipſo concinnatum.

Labor hic ad minimum annuus erit. Interea præmiſſa Spigelii Iſagoge ſtirpium notitiæ, vulgarium præcipuè perito ac diligenti Magiſtro vacandum, admotis Iconibus Antverpiæ editis à Plantino & qvæ Tabernæmontani nomine Francofurti extant. Corporis etiam humani artificioſæ Sectioni Ty-

ni Tyro adſit, ſola Bartholini Iſagoge contentus, cui figuras Caſſerii & Veslingii commode adhibebit.

Poſtqvam hac ratione artis præcepta imbiberit animus, Controverſiis Valleſii & Jo. Baptiſt. Silvatici ſemeſtre dandum, eo ordine qvo ſeſe Inſtitutionum offert materia. Nec abs re fuerit ad pleniorem cognitionem horis pomeridianis una Fernelii Phyſiologiam diligenter legiſſe, continuato ſuis temporibus Anatomiæ & Botanices ſtudio.

Tantundem Laurentio de Criſibus, Capivaccii Methodo medendi & Claudino de Ingreſſu ad infirmos rectè impenditur, non omiſſis Anatomicis & Botanicis, qvorum cura ob diffuſam varietatem in multos annos extenditur. In Botanicis uſui erit Matthiolus cum notis Bauhini pariterq; Dodonæi, brevitate ac ordine gratus, qvibus Bauhini Pinax optimè adjungitur.

Exacto ita in Germania vel Batavia biennio commodum erit Montiſpeſſuli animum admovere diſputationibus modeſtis non altercationibus, moderatore Viro perito ac fido: ne in ludo tempus ludant. Conſulendi hic pro re nata Argenterius, Augenius,

nius, Epiphanii Theoremata, Cardani & Rorarii Contradictiones. Fuchſii & Jouberti Paradoxa. Maximèq; Mercatus, Valleſius & Silvaticus. Adeundæ qvoq; Laurentii Qvæſtiones Anatomicæ.

Præparandus interim Practicorum Lectioni animus diligenti materiæ medicæ inſpectione apud Pharmacopæum horis ſubciſivis, cujus qvalitas ex viſitationibus in memoriam revocanda. Verum ſimul Compoſitionum, qvas vocant formulas, ratio ad Eruditorum conſvetudinem, præeunte politiore Medico diverſis exemplis velut in uſum ducenda. Ubi privatâ operâ Renodæi Antidotarium curſim evolvendum, Petri etiam Morelli ac Varandæi formulæ ſemper adhibendæ. Nec omittenda Heurnii Methodus ad praxin, ſed præcipuè *Jo.* Prevotii libellus de Compoſitione Medicamentorum, qvem Fridericus Monavius nuper edidit, plurimum qvidem confert, verum adhuc extremam a meis ſcriniis manum deſiderat, Chymicis item laboribus ſi qva opportunitas affulſerit, nunc aptiſſima ſed prudenter adhibenda, nec tamen à lectione qvam ab ipſa exercitatione expectandum. Iatrochymia Bornetti, Begvinus

gvinus cum notis Hartmanni ſub nomine Glúckradii ſufficiet initio, cætera Magiſtri diligentia præſtabit.

Tempus eſt Aſclepiades Patavii in morborum cognitionem incumbat. Vaſta hæc variisq; intricata difficultatibus, nec temporis exigui, facillimam tamen præbet Sennerti Praxis, ex qva Studioſus Lector hauriet qvæcunq; tot gentium Scriptores immenſis voluminibus comprehendunt, annui certè laboris pretium feret.

Inſpiciendi per hoc tempus ægri, Primorum Practicorum lectiones ſtudiosè atq; attentè auſcultandæ, ex qvibus potiſſimum cautiones & obſervationes literis mandentur non omiſſis remediis peculiare dote laudatis. Sed imprimis adeundæ conſultationes, qvibus nihil utilius, qvarum rationem freqventi uſu addiſcere licebit, easq; in Commentaria referas conſulo.

Qvintum annum Medicinæ Candidatus ægrotantium viſitationibus integrum Celebri Præceptore optimè dicabit, qvem ſolum ſi docentem audiverit, non malè ſibi conſulit. Lectioni vix otium erit. Sennerto nihilominus tamen ut res ferat atq; occaſio, Capivaccium in Pathologia & me-

Digitized by Google

dendi methodo. Saxoniam in ſignis morborum expendendum cenſeo. Septalii Animadverſiones non modo lectitandæ ſed tam alienis tam propriis obſervationibus ſenſim augendæ. Symbolum huc conferunt Practici, maximeq; poſt Valleſium, Augerium, Ferrarium & Heurnium in meth. med. &c. Poſt Sebizium in Aphorismis, Rondeletius. Qviq; Medicorum errores privatim indicarunt, inter qvos agmen ducunt Cardanus, Polydorus, Seraphinus, Sanctorius, Mercatus item de Indicationibus & Recto præſidiorum uſu, ſummâ curâ pervolvendus. Galenus de Morborum ac Symptomatum cauſis ac differentiis, de locis affectis, ejusdemq; methodus med. ex Epitome Lacunæ legatur, qvanqvam me Judice dulcius ex ipſo fonte bibuntur aqvæ.

Naturæ effectus & eventus rariores inter ipſas operas notentur, imo ſuo qvisq; ordine ægri, qvotqvot occurrunt diligenter in Hiſtoriam reponendi, præmiſſis rebus naturalibus & non naturalibus anteqvam præternaturales enumerentur, annotatis exqviſitè omnibus remediis. Qvæ verò longis experimentis fidem promeruerunt,

tum

tum ſimplicia tum compoſita, ſuis qvoq; vitiis ſubſignentur, ut præſente uſu prompta ſint. Inter Hippocr. Interpretes digni ſunt qvi integrè legantur, Valleſius in Epidemia, & Petrus Salius in libros de morbis. Hieronymi Mercurialis Conſilia, juxtaq; Claudini familiariter habenda, cætera per occaſionem evolvantur. Foreſti obſervationes omiſſis ſcholiis, Plateri præterea percurrendæ, Hippocr. Aphoriſmi cum notis Hollerii legantur. Prognoſtica cum Jacotio. Duretus in Coaca. Qvicqvid ob raritatem memoria dignum, ad Sennerti Praxin reducendum, ſi ab eo forſitan omiſſum. Nec aliis opus locis communibus magno temporis ſcriptionisq; compendio. Exotica in adverſariis notentur ordine alphabetico.

Enchiridii univerſalis loco erit Fernelius. Praxis etiam qvæ parum verè Fernelii putatur, incerti nomine Genevæ edita.

Chirurgorum operationes haud minori ſtudio obſervandæ, qvotiescunq; occaſio tulerit, Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente reliqvorum Scriptorum vicem gerit, cui Fallopius identidem jungendus.

Sextum ſi exigere licebit, eodem paſſu, an-

Digitized by Google

num, Collegii judicio impetrata medendi facultate, ſibi aliisq; ſatisfecerit, qvi hanc ſtudiorum rationem fuerit ſecutus, etenim liberior jam per omne Scriptorum genus vagabitur, ſecurius iis tamen tertio hujus curriculi anno adhuc immorabitur, qvos peculiari ſyllabo familiares conſtitui; è qvorum numero ſeligantur Matthæus de Gradibus, Hollerii Praxis cum notis Dureti, Rondeletii & Plateri Praxis, Mercurialis de morbis Oculorum & Puerorum. Rodericus à Caſtro de morbis Mulierum, Conſilia Cratonis & Solenandri, Amati Luſitani Obſervationes, Foreſtus.

Poſtqvam Studiis annum Sextum dedit, ſic provectior Hippocratem & Galenum velut Anteſignanos habeat, qvibus cæteri Græc. & Latin. antiqviores Aldi atq; Stephani curâ editi ſaltuatim ſuccenturientur. Horum autem lectio propter ſummam rerum varietatem parum utilis futura, niſi, qvod pridem monui ſinguli ſuo loco ad exactam varietatem referantur, ordo namq; diſciplinarum anima.

Ad obſervationem facient Rerum Naturalium Scriptores, qvorum meliores in Bibliotheca repoſui. Brevem hanc magis uſui

qvam

Digitized by Google

qvam pompæ dedi, Plutarchi Conſilio, qvi de Puerorum Educatione ὄργανον, inqvit, τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων.

LOCULUS LXIII.
De Ozænæ Cura, Judicium Medicorum.

EX exſcripto Protocolli Conſiſtorialis ad diem 3. Auguſt. 1659. amicè rogamur à Magnifico Acad. Rectore & cæteris Profeſſoribus Ampliſſimis, Honoratiſſimis Collegis noſtris, ut in Collegio noſtro comparere jubeamus Torbernum Petræum, ut & Virum Clariſſimum & Excellentiſſimum D. Jacobum Swabe, deniq; Godofredum Chirurgum, qvo inveſtigari poſſit, penes qvem culpa ſit, ſive penes Doctorem ſive ægrotum Torbernum, qvod ſanitatem ſuam hic æger non recuperarit. Hinc 6. Auguſti die in ædibus Decani convenimus, convocatisq; & citatis ſupra nominatis, diligenter & ægrotum inſpeximus, & Chirurgi narrationem audivimus, & D. Swabii reſponſum, & in judicio exhibitam medicamentorum conſignationem perluſtravimus, deprehendimusq;

Digitized by Google

affectum narium Torberni Petræi, Ozenam nempe, tam eſſe antiqvam & mali moris, ut tam facilè curari non poſſit iſtis medicamentis, qvæ nobis exhibuit D Svabius, aſſeveravitq; à ſe eſſe exhibita, qvanqvam ea judicemus huic affectui eſſe utilia & percommoda, nec dubitemus de feliciori curationis ſucceſſu, ſi ſtatim in morbi initio fuiſſet vocatus Medicus. Qvocirca qvantum nos judicare poſſumus, culpandi non tam eſt Medicus, aut æger, qvam affectus contumacia & malignus mos, ſiqvidem multa oſſicula tractu temporis ex naſo prodierunt, & qvanqvam naſus (qvi compreſſus eſt) externa facie videatur ſanus, ex naribus tamen continuè tantum pus effluit, ut qvotidie inde aliqvot ſtrophiola inqvinentur, qvæ nobis monſtrata fuere. Hæc noſtra ſententia eſt, brevibus conſignata ex amico rogatu Magnifici Dn. Rectoris & Dominorum Profeſſorum. Hafniæ 6. Auguſti clɔ Iɔc LIX.

Thomas Bartholinus Decanus.
Chriſtianus Oſtenfeld.
Erasmus Bartholinus.

LOCU-

Digitized by Google

LOCULUS LXIV.

Operationes qvædam Chymicæ rariores D. ASSVERI PAYNGK, Medici Hafnienſis.

D. D. THOMÆ BARTHOLINO Medico Profeſſ. Reg. & Decano, fautori & amico.

SAtisfacturus tuæ petitioni mitto Catalogum à te diu multumq; expetitum, qvi Chymica qvædam tam communiora qvam rariora à meipſo elaborata continet. Communiora voco, qvæ apud alios authores deſcripta leguntur: rariora verò qvæ non omnibus obvia, ſed mihi tanqvam ſecreta (nolo dicere propria inventa) ſunt. Multa in hoc catalogo ex oblivione, plura propter brevitatem, non pauca eaq; rariſſima alias ob cauſas omiſſa ſunt. Rogo tamen Vir eximie & Doctorum doctiſſime, ne ægre feras qvod me hucusq; in hac amica tua petitione ad implenda tardum & difficilem præbuerim. Nam ſolitudinem & qvietem ſemper amavi, & his contraria, ut ſunt magnum nomen & gratia Magnatum, nunqvam ambivi, ſed tenui mea ſorte contentus vixi. Licet igitur hæc tua petitio, amice Optime Intime, meo propoſito

non parum adverſetur, tamen ullo jure eam tibi negare neq; poſſum neq; volo, qvi omnes literatos innumeris tibi meritis devinxiſti & indies magis magisq; devincis, dum nihil poſſides, qvod non erudito orbi communicas, neq; ſumptibus neq; viribus parcis, ut te totum in donum & bonum literatorum diffundere qveas. Vale igitur, Vir omni laude & honore digniſſime, & diu ſoſpes ac ſuperſtes in Patriæ & Academiæ noſtræ, imo, omnium eruditorum decus & ornamentum vive vigeq;. Hafniæ 29. Julii 1660.

T. E.

qvi colit, amat & æſtimat

ASSVERUS PAYNGK.

Chymica communiora à me propriis manibus elaborata.

M*Agiſt*. Terræ ſigillat. Commun. Bolus Armenæ. Hyacinth. Saphyri. Granat. Chriſtallor. Vitri. Silicis. Lap. Aqvilæ. Lazuli. Calaminar. Tartari Vitrioli ſolare. Lunare. Martis. Saturni. Jovis. Lunæ. Marcaſitæ aureæ. Succini. Ceræ. Perlarum. Corallior. diverſar. herbar. radic. flor. &c. Alumin.

Spiritus ſal & oleum Terræ ſigill. Com. Bol.

Bol. Armen. Aq. fontan. Pluvial. Nivis. Glacici. Roris. Pruinæ. Mannæ. Vini. Aceti. Tartar. Therebinth. Saponis. Mellis. Sacchar. Cort. ovor. Arſenici. Sulphur. Carbon. Petræ. Fuliginis.

Tinctura. Smirid. Granat. Rubini. Martis. Veneris. Saturni. Jovis. Mercur. Lunæ. Auri. Sulphur. Tartar. Succin. Corallior.

Magiſt, Solubil Margarit. Corall.

Sal liqvor & Eſſent. Hyacinth. Rubini. Saphyr. Granat.

Sal. Corall. Perlar. Ludi. Chriſtall. Auri. Lunæ. Martis. Vener. Mercur. Saturn. Jovis. Alumin. Armoniac. fixum. Vitriol. rub. & alb. Diverſar. herbar. eſſentiale. è ſucco Betulæ. Mirabile Glauberi.

Spiritus Corallior. Calc. vivæ. Veneris. Saturni ardens, non ardens. Antimon. Sal. com. volatilis, coralliatus, dulcis, vitriolatus, nitratus, concentratus. Sal. Gem. Nitri volatil. fixior, concentrat. Salis Armoniaci urinoſus, acidus. Vitrioli Vener. Martis, volatil. dulc. coagulatus. Vini alcaliſatus, Tartariſat. Cum Sal. urin. volat. Aceti Veneris, radicati. Camphoræ.

Flores Corall. Perlar. Auri. Lunæ. Martis. Jovis Saturn. Vener. Antimonii fixi, non fixi.

fixi. Salis com. Nitri. Vitriol. Sulphur. ſimpl. Coralliati, Myrrhati, Benzoinati.

Eſſentia Perlar. Corall. Cryſtall. Moſchi. Ambræ &c.

Oleum deſtillat. Sulphur. per campanam, & per cucurbit. Perlar. Talci diverſis modis. Saturni. Jovis. Mercur. Antimon. Vitriol. Ceræ. Ol. Olivar. ſimpl. Philoſophor. Ol. Palmarum. Succini rubrum & alb. Camph.

Liqvor Ludi. Chriſtall. Silic. Tartar. *Sulphur*. Antimon. Sal. Armon. Arſenic. Nitri. Mercur. Martis. Veneris. Saturni. Jovis. Auri. Argenti. &c.

Variæ Calcinationes Auri. Lunæ. Jovis. Vener. Mart. Corn. animal. & oſſ. cum & ſine igne.

Aurum potabile per Spiritum Vini Sale urinæ exaltat. Spiritum Salis com. volat. *Saturni*, Sacchari. Olea aromatica.

Solutio Auri per ſalia qvædam. Aq. Reg. Spiritum Vitrioli nitratum. Sp. Salis vitriolat.

Aurum fulminans. Diaphoreticum.

Luna potabil. S. Cloſſæi. &c.

Solutio Lunæ per Aq. fort. Acet. Nitrat. Vitriolat. &c.

Criſtalli Lunæ. *Excreſcent.* Lunares. *Cornu* Lunæ.

Vitrio-

Vitriolum Lunæ. Martis. Veneris.

Crocus Martis per reverberat. fuſionem, cementat. immerſion. illinitionem.

Solutio Croci Martis reverberati.

Sulphur Martis, Veneris, carbonum excrementor. &c.

Cinabaris officinarum. *Mercurius* præcipitatus per Ol. Vitriol. Tartari, tinctur. Smiridis. *Mercurius* præcipit. Solaris. *Mercurius* Vitæ. *Mercurius* Sublimat. *Mercurius* dulcis. *Bezoardicum* Solare. Lunare. *Coagulatio* Mercurii per Vitriolum, Saturn. Stann. Sal fixum. ſulphurat. *Coloritio* Mercurii aurea.

Vitrum Antimonii nigrum, rubrum, alb. ſolare. *Vitrum* Saturni nigrum, flavum. *Vitrum* Veneris &c.

Crocus Metallorum diverſ. mod. præparat *Antimon.* diaphoretic. *Ceruſſa* Antimon. *Regulus* Antimon. ſimpl. Martial. Solar. Lunar. Jovial. *Tinctur.* Antimon. *Sulphur aurat.* diaphoret. Antimon.

Extractum Marcaſitæ aureæ.

Arcanum duplicatum. *Lapis* Prunellæ. *Aq. fort.* Regia. *Variæ Aq.* Gradatoriæ. *Aqva* Aluminis. Vitrioli. *Phlegma* Alumin. Vitrioli acidum. *Extractum* Alumin. *Sublimatum* Salis armoniaci. *Colchotar* Vitrioli. *Tartarus* Vitrio-

triolat. *Sulphur* Vitrioli narcot. *Arſenicum* ſublimat. *Arſenicum* fixum. *Lac* Sulphur. *Balſam* Sulphur. *Acetum* deſtill. *Liqvor* deſtill Mannæ. *Cryſtall.* Tartari. *Cryſtalli* Tartar. Chalybæati. *Cremor* Tartari. *Succus* Betulæ deſtill. *Acetum* Sacchari.

Aqvæ deſtill. Spiritus Olea & Salia fixa ac volatilia ex diverſis Herbis, Seminib. Lignis. Aromatib. Reſinis. Gummatis. Fructib. Flor. Radicib. Corticib. Viſcis. Piſcib. Carne. Cornib. Oſſib. Pilis. Cerebro, Ungulis, Sangvin. Excrementis, Pingvedine animalium. *Item* ex Carne, Sangvine, Cerebro, Corde, Hepate, Pulmone, Oſſibus, Crinibus, Urina & Stercore humano. *Oleum & Sublimatum* pingvedinis hom. Et alia multa.

Chymica rariora à me propriis manibus elaborata.

Spiritus acid. Oleum, Sal fixum & volatile, terra alba, flava, rubra & foliata ex Aëre, Glacie, Nive, Rore, Pruina, Pluviis & terra communi & alia.

Sal & Liqvor ignis.

Magiſt. & tinctura Axungiæ Solis.

Tinctura & Sal Corallior. & Granato-

rum

rum cum menſtruo amiciſſimo & blandiſſimo omni qvaſi ſapore carente.

Sal ex qvibusdam gemmis ſine calcinatione.

Salia Perlarum & Coralliorum ſolubilia & gratiſſima.

Solutio perlarum & coralliorum cum menſtruo blandiſſimo.

Rara præparatio Magnetis, Hæmatit. Talci, Perlar. Corallior. Gemmar. &c.

Oleum & Calx Talci ſine igne & aliis modis.

Calcinatio Auri, Argenti, Martis, Jovis, Saturni, Veneris ſine igne.

Solutio auri per Spiritum & Ol. Mercurii.

Aurum potabile album, flavum, rubrum.

Luna potabilis rara.

Luna ad ignem candelæ fuſilis.

Sulphur Veneris ſingular.

Vitriolum Veneris & Martis rarum.

Crocus Veneris & Martis rarus.

Eſſentia Gemmarum, Margaritarum, Coralliorum &c. rara.

Cinabaris Mercurii alba argenteam laminam ad ignem ſubito penetrans.

Tinctura nitri ſingularis.

Spiritus & Oleum Mercurii.

Flores Nitri ſingular.

Pana-

Digitized by Google

Panacea aurea Antimonii.

Salis communis converſio in terram inſipidam.

Salium fixorum acrimoniam tollere & in terram dulcem convertere.

Sal armoniacum ſingul.

Tinctura, *Eſſentia & Sal* Salis communis.

Liqvor Vitrioli & Aluminis ſing.

Ol. Vitrioli & Sulphuris per deſcenſum.

Oleum & Spiritus Tartari rarus.

Modus extrahendi ſulphur combuſtibile è variis rebus ſingularis

Coagulatio Mercurii rara.

Modus deſtillandi Aqvas, Spiritus & Eſſentias ſingular.

Calcinatio Corn. & Oſſ. integror. ſine igne.

Menſtruum rarum ex vegetabilibus, *mi*neralibus, animalibus.

Et alia non pauca.

Præ-

Prætermiſſa, ſuis locis Loculisq; inſerenda.

LOCUL. I. p. 8. D. *Nicolaus Hammerus* Coronenſis, Medicus, hic Græcæ Lingvæ Profeſſor, in Scaniam ad ſuos profectus, in puteum collapſus, miſerabiliter interiit. Ex matricula vet. Acad. Hafn. ad Annum 1585. diem 16. Maji.

Ibid. *Janus Schelderup* Med. Doct. & Epiſc. Bergenſis, edidit librum De Imaginibus & eorum abuſu, ſicut refert *Claudius Lyſchander* de Script. Danic. in Bibl. Hafnienſi M. S.

LOCUL. II. p. 18. *Petrus Capitaneus* ſcripſit qvoq; de Potentiis animæ 1550 6. Mart. eodem *Lyſchandro* narrante.

LOCUL. III. p. 50. *Paſchalis Gallus* in Bibliotheca Medica: *Chriſtiernus Morſianus* Danus, fertur aliqva de Plantis ſcripſiſſe, qvæ vide an ſint edita.

Sine dubio de Herbario Danico inaudivit, qvod ſcripſit *Henricus Smidt* noſtras 1546. edit. Hafniæ 1577. in 4to. & Roſtochii 1598. in 8vo cujus forſan author creditus eſt *Morſianus*, qvia Epiſtolam operi illi præfixit.

Con-

Conſcripſit qvoq; idem *Morſianus* Arithmeticam Practicam, ediditq; Baſileæ 1536. Hæc prodiit una cum Arithmetica *Jac. Fabÿ* Stabulenſis, notante *Ger. Jo. Voſſio* lib. de ſcient. Math. Chronol. Math. part alt. c. 52. par. 10.

LOCUL. V. p. 58. *Job. Pratenſis* præterea qvoq; in lucem miſit.

Prognoſticon Aſtrologicum ſuper Revolutiones Planetarum Syſygias ad Annum 1566. Hafniæ 1566.

De Ortu, Progreſſu ſubjectis & Partibus artis Medicæ, Hafniæ 1572.

LOCUL. IX. p. 86. Epitaphium *Jac. Bordingi* Hafn. in ſummo Templo, recitat *Nathan Chytræus* in Delic. Itin. Europ. p. 580.

Pag. 87. *Jac. Bordingii* qvoq; extat Oratio in Obitum CHRISTIANI III. Hafn. 1559.

LOCUL. XII. p. 129. *Job. Rhodius*. Not ad Scribon. Com. 128 de Ammoniaco monet, ex hoc fundo fluxiſſe laudatiſſimas P. Severini pilulas, qvibus jam ſucceſſerunt Francofurtenſes, Angelicæ.

LOCUL. XIX. p. 175. *Gell. Saſcerides* in Acad. qvoq; propoſuit Diſputat. De Elementis Hafn. in 4to. 1604. De Humoibus Corporis Hum. 1605. De Part. ſimilarib. 1606.

LOCU-

Digitized by Google

LOCUL. XXVII. Inſerendum hic Edictum Divi CHRISTIANI IV. de Medicis, Pharmacopæis & Chirurgis, imprimis de Medicorum præmiis & mulctis Empiricorum.

Nos CHRISTIANUS IV. Dei Gratia Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum, Gothorumq; Rex, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorſt, notum omnibus facimus, ſiqvidem magna ἀταξία inter Medicos, Chirurgos, Empiricos & Pharmacopæos qvotidie hic obſervata, nobis clementer occaſionem dedit ſeqventi edicto noſtro cum bono Deo illam præcavendi; igitur qvia clementer primò reſcivimus, qvomodo Pharmacopæi in prædicta noſtra urbe Hafnienſi, qvamvis à nobis clementiſſimo privilegio ſint ornati, officinas ſuas ſæpe ſæpius malè inſtruant illis rebus qvas alioqvi ad ægrotorum neceſſitatem debebant in promptu habere, interdum qvoq; ſpecies illorum adeò vetuſtæ ſint ut parum ad ægrotorum commoda promovenda facere poſſint, & præter hæc merces ſuas, qvas habent, ſupra omnem æqvitatem, æſtiment, & taxent: Volumus hiſce clementiſſi-

me noſtræ Univerſitatis Facultati Medicæ, reliqvisq; Medicis approbatis medicam praxin hic exercentibus ſævere injunctum & imperatum, ut qvotannis bis, nempe circa feſtum Paſchatos & Pentecoſtes ſine intermiſſione hujus urbis Pharmacopolia omnia viſitent & perluſtrent, inutile ſtatim explodant, ordinentq; ut Pharmacopolæ probas legitimasq; merces & medicamenta ſibi procurent, totq; ſpeciebus ſibi provideant, qvot reqviri poſſet in officina benè conſtituta, pro neceſſitate, & adhæc ipſis certum pretium conſtituant ſeu taxam, in hoc Regno imprimendam & divendendam, qvam Pharmacopæi ſeqvi teneantur, & juxta illius dræſcriptum merces ſuas divendant & diſtrahant, ita tamen ut in illa Taxa conſiderentur periculum & impenſæ in advehendis in hoc Regnum mercibus ex locis peregrinis. Præterea ad præcavendos alios abuſus, volumus & mandamus clementer, ut qvæcunq; compoſita hic in Pharmacopoliis parantur, inpoſterum ſemper præparentur in in præſentia unius vel duorum Medicorum Practicorum, qvi curam habeant, ut idoneæ probæq; ſpecies in nominato compoſito adhibeantur. Habeant qvoq; Pharmacopœi in propria cuſtodia omnia venena & ſimilia medica-

dicamenta periculoſa, nec ulli permittant illa accedere, aut ignotis divendere, niſi per hominem ſufficientem & hic habitantem ſignificatum prius fuerit, in qvem finem emantur. Deinde qvod aqvas deſtillatas attinet, illas qvantum poſſibile in vitreis vaſis deſtillent. Et deniq; Medicis approbatis ſint obœdientes, nec præparent aut præparare curent ullam formulam, ſeu Receptam, niſi à Medico approbato ſcriptam aut approbatam, & idcircò omnes hujusmodi Receptas cuſtodiant, ut unusqvisq; rationem geſtorum reddat, ſi error inveniatur. Et qvandoqvidem clementisſimè comperimus, varios empiricos audere ægris medicamenta interna exhibere, id inpoſterum clementiſſimè abrogatum volumus, niſi potiones vulnerarias pro caſu, ictu & vulnere qvis exhibeat, & in hoc caſu qvoq;, ſicut in aliis externis periculoſis, Medicus conſulendus, niſi ipſe Chirurgus teneri velit culpâ & damno, ſi qvod ſuccedat; idcirco promotis & approbatis Medicis ſolis concedatur medicamenta interna adhibere, & exhibere. Reliqvi, ſive ſint Barbitonſores, Pharmacopœi, Chymici, Ocularii, Herniarum ſectores, circumforanei, prorſus inde manum abſtineant, & unusqvisq; illorum ſuam curet artem, & in

Digitized by Google

ea ſe exerceat. Et qvicunq; ſingulare ſecretum vel receptam poſſidet, qvod omnibus non vult innoteſcere, illam qvoq; in officina pharmaceutica tradere poteſt, certo pretio divendendam, & ſub juramento teneatur pharmacopola nulli receptam iſtam vel ingredientia revelare, nec ſine authoris permiſſione illam componere. Pari pacto ſiqvidem compertum eſt Medicos interdum operam ſuam pauperibus indigentibus denegare, multos qvoq; ægros vereri Medicos ad ſe vocare, qvia neſciunt ipſis ſatisfacere; idcircò eisdem Medicis clementiſſime injungimus & mandamus, ut ipſi excepto tempore peſtilenti & dyſenterico, obſtricti ſint ægrotos inviſere, & pro labore ipſis ab unoqvoq; ægro pro vice prima ſolvatur medius Imperialis Thalerus, deinde pro qvalibet viſitatione ſine remedii præſcriptione, qvarta ejusdem pars, & qvando & viſitant ſimulq; remedium præſcribunt, qvarta pars cum dimidia, qvando non inviſunt, ſed ſolam formulam præſcribunt, octava Imperialis pars. Medicis qvoq; qvi peregrè extra urbem inviſunt patientes, pro qvalibet leuca recti itineris ſolvantur tres Thaleri Imperialis partes, & currus prætereà procuretur, & pro qvolibet die qvem apud

ægros

Digitized by Google

ægros conſumunt, duo Imperiales. Graſſante peſtilentia & dyſenteria contagioſa, qvia obligati non ſunt ægros inviſere, niſi exorari poſſint, certam curam & remedia in Pharmacopoliis præſcribant & ordinent, in hujusmodi morbis proficua, & cum commodo ægrotorum adhibenda: Erga pauperiores tamen, qvi ita, ut dictum, ſolvendo non ſunt, ita ſe gerant, qvemadmodum officii illorum ratio & juramentum exigit. Idcircò jubemus & mandamus prædictis Medicis, uti & Chirurgis, Pharmacopolis & cæteris ante nominatis in urbe noſtra Hafnienſi, ut juxta hæc ſe conforment, qvicunq; inventus fuerit transgreſſor, ſingulis vicibus mulctetur 100. Imperialibus, & Pharmacopolæ, Chirurgi, & reliqvi hujus generis præter hæc excidant privilegio aperiendi officinam, donec ulterius impetraverint clementiſſimum noſtrum permiſſum, & adhæc illi ſicut Medici teneantur culpâ ex hujusmodi illorum errore ortâ, nullo modo hoc intermittentes. Datum in arce noſtrâ Hafnienſi die 10. Januar. A. 1619.

Sub Sigillo Noſtro.

L. S.

CHRISTIANUS.

Digitized by Google

INDEX LOCULORUM CISTÆ MEDICÆ HAFNIENSIS.

NOmina & Opera Medicorum Hafnienſium ad Annum 1660. Pag. 1. 639.
II. Prophylacticum Conſiliam antipeſtilentiale P. Capitanei. p. 12.
III. Conſilium de Peſtilentia Chriſt. Morſiani, p. 21.
Ejusdem Epiſtola & Opera, p, 45. 50. 639.
IV. Hadriani Junÿ Vita & Opera, p, 53.
V. Jo. Pratenſis Vita & Opera, p, 58. 640.
VI. Collegÿ Chirurgici Hafn. ſtatuta, p, 61.
VII. Joh. Franciſci Vita & Opera, p, 68. 74
VIII. De D. Cornelio Hamsfort, p, 77.
IX. Jacobi Bordingi Vita & Opera, p, 80. 82, 86, 640.
X. De Elixire peſtilentiali, & medicamentis tribus Tychonis Brahe, p, 87, 96.
XI. De Chymicis quibusdam remediis And. Kragÿ, p, 109. Ejusdem Vita & Opera p. 112, 113.
XII. Petri Severini Vita, p. 114, 117.

Ejus-

Ejusdem conjux, p, 121. *Ejusdem Epiſtola*, p, 123, 125. *Remedia*, p, 127, 129, 640. *Opera*, p, 130, ſeqq.
XIII. *Andreæ Lymvici Vita*, p, 133, 137.
XIV. *Jac. Haſebardi Vita*, p, 141. *Ejusdem Electuarium Diacoron*, p. 145.
XV. *Andreæ Chriſtierni Vita*, p. 146, 148.
XVI. *Diſpenſationum Theriacalium approbationes Medicæ*, p. 149.
XVII. *Caſp. Bartholini de Rusmate Turcarum*, p, 156: *Ejusdem Epiſt. de miraculis Chymicis*, p, 159. *Ejusdem Remedia ſecretiora*. p, 161.
XVIII. *De laudibus Medicinæ, in promotione Chr. Bordingij*, p, 165.
XIX. *Gellii Saſcerides Vita & Opera*, p, 171, 640.
XX. *Conſilium Fac. Med. de Peſte*, p, 175.
XXI. *Fundatio Stipendij Medici Finckiani*, p, 197.
XXII. *Caſp: Bartholini de Aëre corrigendo peſtilenti Conſilium*, p. 204.
XXIII. *An lac in mammis ſit conceptionis* indi-

indicium, Haſebardi quæſtio, p. 238.
Reſponſio Olai Wormii, p. 245.
XXIV. Caſp: Bartholini de ſtudio Medico incboando, & abſolvendo Conſilium breve, p. 257.
XXV. Georgij Fuiren Vita, p. 272. *Ejusdem plantarum indigenarum in itinere Nidroſienſi, Blekingenſi, Gothico & Scanico obſervatarum index,* p. 278.
XXVI. Caſp: Bartholini Vita, p. 294.
Ejusdem opera, p. 305.
XXVII. De Pharmacopœis viſitandis edictum Chriſtiani IV. *p. 309. De eadem viſitatione H. Arniſæi Epiſtola,* p. 311.
Juramentum Apothecarij, ejusq; miniſtri, p. 315. Edictum Chriſtiani IV. *de Medicorum præmiis & mulctis Empiricorum,* p. 641.
XXVIII. *De macula prope umbilicum & oſsiculis infantis ex utero prodeuntibus, an homicidij ſigna eſſe poſsint, Medicorum Reſponſum,* p. 319.
XXIX. *Frid. Severinij formula Medicamentorum in curatione Doroth. Bartholinæ,* p. 341.

XXX.

XXX. *De Cura Chirurgi Krögeri Medicorum Cenſura, p, 347. Ejusdem medicamentorum deſignatio,* p, 349.
XXXI. *Henrici Cuſteri Epiſtolæ, de Remediis ad dolorem dentium, p, 352. De Scorbuto Hypochondriaco, p, 354. pro eodem medicamenta, p, 356. Deſcriptio aqvæ apoplecticæ,* p, 361.
XXXII. *Conſilium de Eryſipelate,* p, 362.
XXXIII. *De abortu Margarethæ Johanneæ Medicorum judicium, p, 374. Arniſæi Epiſtola, de lactis & rugarum ſignis in prægnantibus.* p, 375.
XXXIV. *Medicamenta in officinis uſitata Henn. Arniſæi,* p, 384.
XXXV. *Cenſura Univerſitatis, an Ingeburga Petræa peperiſſe judicanda, qvia in mammis lac inventum.* p. 390.
XXXVI. *An aliqvis necem ſibi concire posſit ex vini aduſti potu qvanqvam flamma ex faucibus nulla compareat, Judicium Univerſitatis.* p, 392.
XXXVII. *Monocerotis Grönlandici examen. p, 393. Olai Wormi Corollarium,* an

an os illud quod vulgò pro cornu Monocerotis venditatur, verum ſit Unicornu. p, 394.

XXXVIII. *De ſuperfœtatione.* p, 389.

XXXIX. *De cura uxoris gravidæ controverſia inter Tychonem Brahe, & Tancred. Lælium.* p, 399.

XL. *Curationes* XXV. *rariores Tancredi Lælii* p. 409. ſeq.

XLI. *De morbis inter nautas Regios graſſantibus Medicorum Conſilium.* p, 439.

XLII. *De Pſora Scorbutica in pædotrophia Hafnienſi.* p, 442.

XLIII. *Curæ febris petechialis Defenſio Georg. Krugkii.* p. 444.

XLIV. *De affectu Sereniſſ. Reg. Majeſt. CHRISTIANI IV. Conſultatio.* p, 458.

XLV. *Catalogus plantarum indigenarum Viridarii Hafnienſis, præfecto Otthone Sperling.* p, 462.

XLVI. *Olai* Wormij *Caſus Medicus, An ſexagenario Scorbutico, cachectico, nullâ plethorâ laboranti, ſi forti Apoplexiâ corripiatur, vena ſit ſecanda?* p, 473.

XLVII.

XLVII. *De Febris maligna curatione Fac. Med. Conſilium,* p, 478.
XLVIII. *De Scorbuto Facult. Med. Conſilium,* p. 494.
XLIX. *De Abortu 13. hebdomadarum Medicorum Reſponſum,* p, 520. *De lactante femina Medicorum Reſponſio,* p, 522.
L. *Apertio cadaveris linguâ bubulâ extincti,* p, 524.
LI. *De formula medicamenti ex Jalappa, Medicorum Judicium,* p, 525.
Ejusdem Judicii Defenſio, p, 530.
LII. *De filio Conſulis Roëſchildenſis Mercurio ſublimato mortuo, Cenſura Med. Fac.* p, 534. *Henrici Preusmanni Defenſio Mercurii vivi contra vermes,* p, 538.
LIII. *De diuturno Margaretha Lunge Symptomate & dolore lateris, Caſus,* p, 556.
De eodem Reſponſio Medicorum, p, 560.
LIV. *Jacobi Fabricij Archiatri Vita,* p, 562.
LV. *De Dyſenteria Conſil: Fac: Med:* p, 565.
LVI. *Olai Wormij Vita,* p, 579.
Ejusdem Opera, p, 582.

LVII.

LVII. *Thomæ Finckij Senioris Vita ejusq; Opera,* p, 584.
LVIII. *Thomæ Bartholini de Variolis Anno 1656. Hafniæ Epidemiis Hiſtoria Medica, cum quæſtionibus,* p, 590.
LIX. *De Napello Cenſura Med:* p, 608.
LX. *Luſtratio cadaveris Fabri Gyldenlövi-ani,* p, 609. *Medicorum Cenſura,* p, 611.
LXI. *Henrici Fuirenij Vita,* p, 612. *Ejusq; Legata,* p, 614.
LXII. *Jo. Rhodij De Artis Medicæ exercitatione Conſilia Tria,* p, 616.
LXIII. *De Ozænæ cura Judic: Med:* p, 629.
LXIV. *Aſſueri Payngk Operationes quædam Chymicæ rariores,* p, 632.

Errata Typographica graviora.

P. 122. l. ult. lege anno 1610.

P. 475. l. 10. l. Carpenſis.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI
DOMUS ANATOMICA
Hafnienſis
breviſſime deſcripta.



Fuimus Troes.

HAFNIÆ,
Literis HENRICI GÖDIANI,
Reg. & Acad. Typogr.
Sumptibus P. Hauboldi cIↄ Iↄ cLxII.

Digitized by Google

POSTE-

RITA-

TI.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI Anatomicæ Domus Hafnienſis Deſcriptio brevis.

PEriſſima eſt *Galeni* noſtri ſententia lib. 2. Us. Part. c. 3: Qvicunque vult operum naturæ eſſe contemplator, non oportet eum anatomicis libris credere, ſed propriis oculis, aut ad nos accedere, aut cum aliqvo eorum, qui nobiſcum verſati ſunt, verſari, aut ipſum per ſe diligenter exercitari, anatomes manu obeundis. Singula ut felicius aſſeqverentur etiam in Academia Hafnienſi Regia juvenes medicinæ addiſcendæ gratia huc confluentes, quum privatæ corporum humanorum diſſectiones olim à Clariſſimo Medico Profeſſore D. *Andrea Chriſtierni* tentatæ malè ceſſiſſent, de publico loco, velut in Æſculapii templo, ædificando etiam in Borea noſtro,

ſerias cogitationes cepit immortalis memoriæ Rex *Chriſtianus IV*, qui A. C. cIↄIↄcXLIV, procurante Illuſtri Cancellario Regio & Academiæ Conſervatore *Chriſtiano Thomæo*, Collegium vetus in parte areæ meridionali ſitum hiſce exercitiis deſtinavit, & ſumptibus Communitatis Regiæ in hunc uſum aptari clementiſſime juſſit. In hujus domus inferiori contignatione pro uſibus Anatomicis occurrit primo atrium in media ædificii parte, quod quatuor januis in diverſa loca patet.

Per primam à dextris deducimur ad Præparatorium, in quo cadaverum fiunt præparationes à Profectore ejusque Aſſiſtente in menſa oblonga verſatili. Ibidem fornax eſt, ne intenſo hyemis frigore urantur diſſecantium manus, præterea conclave parvum, cum capſula & menſa, ut Diſſector ſua inſtrumenta recondat, ſeque in loco hoc abdito *recolligat* ornetque ante demonſtrationem publicam.

Secunda huic vicina janua ad culinam ſpectat, in qua cadavera lavantur ante diſſectionem, & finitis demonſtrationibus carne oſſa denudantur, ut in ſceleton compingantur. In quem finem caminus vaſtus pro foco neceſſario eſt exſtructus, & cupreum ahenum capax in angulo poſitum, in quo oſſa coqvuntur.

Digitized by Google

tur. Ex hac culina in Præparatorium quoque per januam aliam patet ingreſſus, per quam cadavera importantur, ut opus non ſit atrium pertranſire.

Tertia janua à ſiniſtris ad ipſum Theatrum Anatomicum aperitur, cui hi verſus à D. *Mich. Kirſtenio* inſcripti:

Hic aut oſſa vides, aut corpora ſecta Viator,
Hic ars Naturæ ſolvit & unit opus.

Anatomicum Theatrum, ſeu potius Amphitheatrum, pro loci conditione, quadratum, ſpatioſum & præaltum, commodius quam ſplendidum, quaternis in circuitu ſcamnis ligneis paulatim ab infimo ad ſupremum adſcendentibus cinctum. Infima ſubſellia Profeſſores, Medicinæ Doctores, & hoſpites honoratiores excipiunt. In ſupremis loculamenta diſpoſita pro ſceletis reponendis. In ſingulis ſubſelliis ſua ſunt ſedilia, quæ cardinum beneficio & demitti poſſunt pro requie ſpectatorum delaſſatorum vel debilium, & ſuſpendi pro illis qui ſtare malunt. In medio caveæ menſa eſt pro cadaveribus demonſtrandis, qvæ ad omnes angulos verti poteſt & circumrotari, ut omnibus ſpectatoribus minutiſſima quævis in corpore occurrentia mon-

Digitized by Google

ſtrentur. Menſam in cavea ab infimis ſubſelliis diſtingvunt cancelli,ne irruentis ſubinde turbæ moleſtias Diſſector aut Aſſiſtens in demonſtrando ſentiat.

Per quartam januam in atrio adſcenditur per cochleam ad conclave ſuperius, cujus clathri in theatrum deſuper ſpectant, ex quo Sereniſſimus Rex DN. FRIDERICUS III, Dominus noſter ſacratiſſimus, demonſtrationes noſtras non ſemel clementi oculo inſpexit. Huic vicina ibidem ſunt ſubſellia alia pro aulicis, aliisque quibus e remoto hoc loco viſus inſervit.

In hoc Theatro primus ſecuit & demonſtravit Anatomica Vir Celeberrimus D. *Simon Paulli*, qui hæc ſtudia maſculo animo hic primus publicè introduxit, & ſtrenuè urſit ab ipſis Theatri incunabulis ad annum cIↄ Iↄc XLVIII, qvum ad Prælaturam Arhuſienſem, moxque ad aulam Regiam quoque evocaretur, navatæ in Academia operæ condignum præmium relaturus.

Interea variis ſceletis nitidè conſtructis Theatrum ornavit, 1. Viri, in quo id ſingulare occurrit, quod radius cum cubito ſiniſtro olim ruptus, jam per callum coaluerit, in quo adhuc globulus bombardæ deliteſcit. 2. Femi-

Feminæ. Notandum, hujus Viri nomen fuiſſe Adam, mulieris Ingera, quod in Evam mutavit laudatus D. Sim. Paulli, interque utriusque ſceleton arborem artificioſe confectam cum ſerpente in Theatro conſtituit. 3. Cercopithecii, 4. Simiæ. 5. Cygni. 6. Anſeris. 7. Martis. 8. Echini. 9. Galli gallinacei. 10. Gallinæ. Singulis his donariis epigrammata acuta ſubjecta leguntur, quorum author fuit Vir Clariſſimus D. *Michael Kirſtenius*, Poëta non infimi ſpiritus, qui olim laudato D. Simoni Paulli in Theatro noſtro in diſſectionibus operas mutuas tradidit, jam cum laude in urbe Hamburgenſi Matheſin & Medicinam exercens.

Ejusdem D. Simonis Paulli Programmata, quibus ad Anatomes publicas ſpectatores invitabantur, in gratiam Lectorum curioſorum hic addam:

Præſtantiſſimis Medicinæ ac Anatomiæ, omnibus que liberalium artium Studioſis, in Regia hac Hafnienſi Academia,

SIMON PAULLI,
D. Med. & P.P.
S. P. D.

CUm non ſolùm Deorum voces,ſed etiam quæ vocant hominum *omina*, Pythagoreos obſervaſſe accepimus; ac adſeverare par eſt, vel conſuetudinem hanc in ſuam recepiſſe Rempub. vel eandem Romanorum Majores olim imitatos eſſe,ubi in templum cenſura auſpicabatur, atque de cœlo nuntium erat: dum, *Varrone teſte*, præconi ſic imperabatur, ut viros vocaret: Quod bonum, fortunatum, felixque, ſalutareque ſiet populo Romano Quiritium, Reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magiſtratuique noſtro: Omnesque Quirites,pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſive altero dari rationem vellet,*Præco vocarit inlicium &c.* Quidni etiam hodiè, novum annum auſpicantes, Nos, in memoriam poſteritatis, *dum Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino* CHRISTIANO *QVARTO*, D. G. D*A*-N*ICÆ*, *NORWEGICÆ*, *WANDA*-*LORVM*, GOTHORVMQVE REGE, *&c. &c. Pio*, Felici, *Regum, Principumq́; exemplo nato; Cancellario ac Soſpitatore Academiæ Haffnienſis ſummo*, D*n*. CHRISTIANO THO-M*ÆO*, *Domino de Stougard &c. Rectoribus*

Magni-

Magnificis OLAO WORMIO *&* JACOBO FINCKIO, Templum Minervæ, vetus illud Collegium, Baccalaureorum exercitiis antidhac dicatum, jam anatomicis exercitiis accommodatum eſt, ſimilia concepta verba, bono omine præfamur, & præconis loco, ſolemni hoc programmate, attemperatè viros inlicium, hunc in modum, MORE MAIORUM, vocamus: QVOD BONUM, FORTUNATUM, FELIXQVE, SALUTAREQVE SIET POPULO HAFNIENSI DANORUM, REIQVE PUBLICÆ POPULI HAFNIENSIS DANORUM, MIHIQVE, COLLEGISQVE MEIS, FIDEI, MAGISTRATUIQVE NOSTRO, OMNIBUSQVE IN DANIA CIVIBUS, NOBILIBUS, OPTIMATIBUS, INGENUIS, PRIVATISQVE, SUAM IPSORUM VEL ALIORUM CURARE VALETUDINEM VOLENTIBUS, notum facio: cum Academiæ omnium liberalium artium ſeminaria & mercatus ſint, ac permultæ earum, in multis Europæ partibus, eheu! ferreo hoc ſeculo peſſum eant, Martis,

Quem prope ſangvineo ſequitur Bellona flagello,

fatiſcentes truculentia & cladibus, clementiſſime S. R. M. placuiſſe, ut præ cæteris, maximè Medicinæ (cujus *calamitas* vel Galeno ſuperſtite, *fuit multifaria*) ſtudentium, hic quo-

Digitized by Google

que loci deinceps haberetur ratio. Nam cum ob temporum difficultatem, haud facilé emergere illi poſſint, quibus domi res anguſta obſtat, ſint vel feliciſſimo ingenio; nonnulli etiam eorum paſſim habitantes haud ſatis auſpicato, eandem ob cauſam, honoribus ſuis velificari; multi etiam Barbitonſorum, Chirurgiam profitentium, multos ægros, multis mactâſſe infortuniis obſervati ſint, ſæpè non alia anatomiæ ſcientia arteve inſtructi, quam ea, quæ more Empiricorum, ex magnis vulneribus, maximo ægrorum incommodo, addiſcitur: Proin cum Scribonius Largus in Epiſtola ad C. Jul. Calliſtum ſuum, rectiſſimè, *ſcientiam ſanandi, non nocendi Medicinam appellet; magnumque, ac ſupra hominis naturam eſſe ducat, poſſe aliquem tueri, & recuperare ſuam & uniuscujusque bonam valetudinem*, dic quæſo citra livorem, invidiamque citra, quisquis es, quæ averruncandis recenſitis incommodis omnium optima ſit, aut inveniri poſſit ratio, præſertim cum eodem teſte, *Medicina non fortuna, neque perſonis homines æſtimet, verum æqualiter omnibus implorantibus auxilia ſua, ſuccurſuram ſe polliceatur, nullique unquam nocituram profiteatur*, id eſt, ut verbulo interpreter, tam pacis quam belli tempore, cives omnium ordinum, ſummates,

infi-

infimates, medioxumos, ſemper ſervare, mancos vero ac mutilos reddere, nunquam debeat. Atque ut hoc declinemus providè, illud contra decorè obtineamus, ad hanc viam nobis luculenter, ſolam dico, & quidem præfiſcine, prælucere Anatomen: quam certè in Medicinæ artium omnium nobiliſſimæ decus & ornamentum, non in obſcuro, deformi viſu ac memoriâ, loco aliqvo, aut blattariis veterum balneis, aut fumidæ culinæ denique perſimili, ſed auguſtô & ornatô exerceri, expediebat. Ejuſmodi autem cum *DEI T. O. M. gratiâ; ac S. R. M. clementiâ, Illuſtriſſimi Dn. Cancellarii, Patrumque Conſcriptorum Regiæ hujus Haffnienſis Academiæ curâ*, apertus ſit; in quo Anatome, Divina illa ars, tam commodè coli poteſt, quam in magno illo Pacis Templo, Romæ olim, Philoſophis ac Medicis, Romanis inſuper Proceribus ſpectantibus, (ſi Galeni fidei nihil derogatur) culta eſt; Quotusquisque jam erit ſtudentium deinceps, quibus ſtudia cordi ſunt, qui ſi advena, hic in Regia hac Haffnienſi, tanquam Athenienſium Lyceo aliquo conſidere potius non geſtiat, quam ad locorum longinqua, præcipiti & magno itinere ſæpius, quam fructuoſo contendere malit; ſi verò indigena, qui non ille quoque citra patri-

patrimonii, annorum, temporiſque pretioſiſſimi theſauri, jacturam, longè facilius & in Philoſophiæ, & Medicinæ arcana, ac factitatum hactenus, ſeſe penitrare poterit? Quid, Deo volente porrò fiet, ubi eboris nitore, utriusque ſexus ſceletis, exuviis avium, ferarum, aliiſque rarioribus, in Theatra inferri ſolitis, ex *Grönlandiâ*, *Islandiâ*, *Norvvagiâ*, Regionibus S. R. M. Noſtræ parentibus, huc transportatis, & in eundem illatis, exornabitur, anne noſtrûm omnium præſagit animus? Verùm de utilitate Theatrorum hic quidem loci, iteratò ampliter dicendum eſſet; ſed cum id ſtudere in Syntagmate meo volui, præſtat accerſitô Hippocratis, unius mihi inſtar omnium, teſtimonio, compendifacere in præſens hunc laborem; Qui non meo ſolius arbitratu, ſed omnium, quantum ſunt Medicorum enucleatiſſimis ſuffragiis, verè ſcripſiſſe videri poteſt, dum hunc in modum; *Qui Medicinæ ſcientiam* (inquit) *ſibi verè comparare volet, is horum omnium compos eſſe debet. 1. ut Naturam nactus ſit. 2. doctrinam. 3. Locum Studiis aptum. 4. Inſtitutionem à puero. 5. Induſtriam, & 6. Tempus &c, Quibus certè omnibus ad artem medicam collatis, ejusque verâ cognitione percepta, hoc modo urbes obeundo, non ſolum verbo, ſed etiam opere Medici exiſti-*

exiſtimationem tueri oportet. Si ergo locus tantùm valeat, ut noſter Hippocrates ei, & inſtitutionem à puero, & induſtriam, & tempus poſthabeat, cum aliàs univerſus ſapientum chorus ſciſcat, incaſſùm quidem recidere omnes, naturâ non congruente, ſtudiorum ſuſceptos conatus; induſtria tamen ac pervicaci opera, laboreque improbo, tempore interveniente, vim Naturæ inferri, imò vel reluctantem, expugnari ultimò eandem poſſe; jam abeant citò, citò, aut procul faceſſant hinc opus eſt, omnes, omnes illi qui obtrectant nobis nec locum quidquam, aut perparum ſtudiis commodare arbitrantur. Accedant contra, quibus expolire ingenuum pectus animus eſt, ut diſcant Anatomiâ doctrice,

Virus ab infectis, abſcindere partibus ægri,
Mitiaq́; affectis, imponere pharmaca, membris.

Cœterum cum ne milites ſtipendia facere queant, ubi nomen militiæ non dederint, quorundam etiam delectus habeatur, dum recenſetur exercitus: delectusne ergo auditorum ſpectatorumque rei anatomicæ habebitur? Certè ſi Philoſophorum ſummus, Ariſtoteles, juvenem audiendis civilis ſcientiæ præceptis, ideò aptum eſſe perneget, quod affectibus animi ſerviat ac obtemperet: Qui ergo inve-

ſtes

ſtes pueri (priſcûm more loquor) aut admodum adoleſcentes, in Theatrum Anatomicum intromitti, vel poſſunt vel debent? Sciunto quoque ætate provectiores, auctoritate & L. L. Magiſtratus Academici, ſeverè cautum eſſe, ut nemo ſtudioſorum privilegiis gaudere ullo modo poſſit, niſi in omnibus Academiis receptæ conſvetudini prius pareat, ſeu ſe in album ſtudioſorum, à Magnifico p. t. Rectore, recipiendum curet, ſecus ſi quis ſaxit, eum ceu refractarium haberi, & exercitiis his, admirandis noſtri Creatoris operibus plenis, omni ſtudentium ordini, non gratiſſimis ſolùm, ſed quoque utiliſſimis, imò ſummè neceſſariis, exeſſe debere. Agite ergo Ornatissimi Juvenes, parete Magiſtratui, parete L. L: qvum ipſius Magiſtratus L. L. parere teneatur. & ego, Deo fortunante, ac cœptis noſtris annuente, dabo operam, ut quam primum, *in* ſequentibus ſeptimanis, nactus occaſionem fuero, vos in Anatomicis publicitus exercendi, præclarè, de vobis omnibus & ſingulis, mereri queam. Interim dum τὰ δέοντα curabuntur, vos valete & plaudite, ac D. T. O. M. devotiſſimo cultu ac pectore, pro *Sereniſſimo, Potentiſſimo Rege ac Dn. Dn. Noſtro Clementiſſimo*, proque Regnorum horum incolumitate, ſub

hnjus

Digitized by Google

hujus anni auſpicio, vota nuncupate, ac mecum alta voce, clamate; VIVAT PATRIÆ HIC PATER, VIVAT; VIVAT *Sereniſſ. ac Illuſtriſſ. Electus Princeps*; VIVAT *Reverendiſſimus ac Illuſtriſſ. illius frater ArchiEpiſcopus Bremenſis*; VIVANT *utriusq; Illuſtriſſ. conjuges*; VIVANT *omnes & ſinguli Regio ſtemmate oriundi Liberi*; *nec unquam florentiſſimus REGNORVM HORVM ORDO ILLVSTRISSIMVS interrumpatur.* Sic alma Pax, ſic Sancta Juſtitia, ſic ingenuæ artes præmiis ac honoribus ſuffultæ, in his Regnis Septentrioni ſubjectis, porrò ætatem florebunt. Quod faxit æternum benedicta TRIAS, in quo, bono omine, deſino; Iterumque vos, JUVENES ORNATISSIMI, bene feliciterque valere, ac impoſterum *Octobri & Februario* menſibus, ubi vita & valetudo ſuffecerint, quotannis ad ſimilia exercitia, frequentes vos comparere, ac FAVERE LINGVIS jubeo. P.P. in Regiâ Haffnienſi, Anno 1644. Ipſis Kal. Janvarii.

Σὺν Θεῷ.

Omnibus, hoc Programma, Lecturis, cum debita obſervantiæ & Humanitatis oblatione,

SIMON PAULLI.D.Med. Anatom. ac Botanic. in Regia Hafnienſi Academia, P.P.

S. P. D.

Opti-

O*Ptima quidem* (eſt) *aqua*, *& aurum*, *(velut ignis noctu ardens,) coruſcat eximiè inter ſuperbificas divitias*, *at ſi miranda narrare cupis anime mi*, *ne jam Sole contempleris aliud ſplendidius aſtrum, lucens interdiu per vacuum ætherem*: *neque* Homine, animal *præſtantius*, *dicemus*. *Unde celeberrimus hymnus contexitur, doctorum ingeniis, ut decantent*, non *Saturni filium*, ſed D. T. O. M. Patrem omnipotentem, cœli, terræ noſtrique omnium verum & unicum creatorem. Etenim, cur paucis mutatis, grandiloqua hæc, ferventis, immenſi, profundoque ore ruentis Pindari, verba, hoc loco non imitarer, ut futilis vulgi, nihil rectum putantis, niſi quod ipſum facit, gerris ea opponam, mala mente maloque animo flagitium, & penè piandum facinus eſſe opinantis, hominem ex furca detractum, aut alio quovis ſupplicio affectum, anatomico more, ad Dei ſolius gloriam, populique ſalutem, apicem ac legem ſupremam omnium, eviſcerare? Sed quis virorum, quibus Prometheus cor finxit ex meliore luto, non meritò temnit & ridet, vulgi rabida & querquera febri, perpetim quaſi laborantis, veſanas has voculas? quod ipſum, ſi in ſe retrocederet, cogitaretque ultimam diem homini eſſe expe-

ctan-

ctandam, prius quam beatus dici poſſit, utiqu ſuæ immodeſtiæ, & effræni lingvæ, id facilè temperaret. Sed valeat hoc, ex fæce plebis infimæ, peſſimum genus. Cui interim ſucce-dit aliud, non melioris notæ, quod ſibi pulchrè videtur ſobrium, nitidum & elegans, (quod, ut cum Plauto loquar, *amant omnes mulieres, & næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant*) ac proin abominatur, tabo & cruore pictas Anatomicorum manus, ſed non diutius averſatur tamen, quam (ſed honos præfandus eſt) cum tabe, pure, vix oſſibus hærens, iliaque ducens lue illa diffluat penitus, cujus meminiſſe horret; & ad cujus nomen merito expuitur, dum ſors illi calvo & edentulo, in Laconicum ituro, ut ſudet viroſum, olidumque ſudorem,

Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

At hoc quoque genus vulgi, ſi ſe reſpiceret ac ſeipſum noviſſet, ſapere poſſet. Quid enim homo? putris eſca putidorum vermium. Aut ſi illius ortum ſpectemus, an in hoc falſum fuiſſe, verè alias veridicum Hippocratem noſtrum dicemus? dum in epiſtolis ſuis nos docet: *Totum hominem ab ortu morbum eſſe. Talem autem ex materno cruore, ſanie permiſto promicuiſſe.* Næ ergo ille elegans & pulcher, qui hac ſorte eximere ſe ſolum, & ſe omnibus uni-

 cè

cè præponere, extra ſortis ſuæ conditionem diſcupit? Verum quæ ſortis noſtræ conditio, ſeu omnium mortalium? certè per totum terrarum orbem, Aſiam, Africam, Europam, Americam, communis & eadem eſt. *Nihil enim eſt* (inquit Plutarchus de amore prolis) *ita imperfectum, inops, nudum, informe, ſpurcum, ut homo à partu ſtatim conſpectus, cui ſoli ferè, ne exitum quidem in lucem mundum, Natura conceſſit: qui ſangvine inquinatur taboque oppletus, & occiſo magis quam nato ſimilis, à nemine tangi, tolli, ſuaviari & amplexu foveri poteſt, niſi natura inſitum gerente amorem, &c.* Eja, ergo, quæſo te quisquis ex vulgo es, temnens tuam ſortem, jam buccis inflatis, humeris adductis, *pectoroſa cervicis repandæ oſtentatione* (ut Plinii illa de vitânda ebrietate huc transferam) ſuſpenſo gradu anſatus incedens, circumſpice te, ut in tricubitali ſpeculo, in tonſtrina aliqua, ad medium forum te contemplere medio meridie, quam ſi Dîs placet, nitidus, quam pulcher venereus ſis Nepotulus; aſt, noli quæſo oblivifci originis tuæ interim, & nunquam tu deteſtaberis Anatomicorum, imo tuæ ipſius valetudinis, vitæque cauſa, cruentatas manus; Atque utinam tu modo obſtetricis recordari, manusque & ulnas poſſes reſpicere tuæ, quibus te

ſcitum

ſcitum ſcilicet, novum mundi, ſive advenam, ſive incolam, miſerum, ceteris artubus repere impotentem, vagire validum, tollere te, ac totum te ſpurcum, in vanno quavis obvia lavare juſſa eſt, ut poſt dein nutricum curatura adoleſceres? anne reſipiſceres tandem Pamphile? Hujus ergo noſtræ ſortis originem, ſemper cum ſpectârint ſapientes, ſpectârintque mortem ſolam fateri *quantula ſint hominum corpuſcula*, tantò magis in admirationem noſtrî omnium, & ducti & rapti ſunt, quantò adverterunt, noſtram ad cœli ſoliſque nitorem comparatam ſtructuram, viliſſimam quidem eſſe, ſed non minus, quam illam, admirationis quoque pleniſſimam. Hos inter cum familiam ducat Galenus Medicorum poſt Hippocratem facilè Princeps, proin facere aliter non poſſum, quin ipſum ex 3. *de V. P.* 6. *p.* 495. mihi, hunc in modum loquentem, hoc loco introducam: Ego (inquit) *Conditoris noſtri verum hymnum compono, exiſtimoque in eo eſſe veram pietatem, non taurorum* ἑκατόμβας *ei plurimas ſacrificari, & caſias, aliaq; ſexcenta odoramenta ac ungventa ſuffumigari: ſed ſi noverim ipſe primus, deinde & aliis expoſuerim, quæ nam ſit ipſius ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas? Quod enim cultu convenienti exornare omnia, nihilq; ſuis beneficiis privatum eſſe*

voluerit, id perfectiſſimæ bonitatis ſpecimen eſſe ſtatuo: & hac quidem ratione, ejus bonitas, hymnis nobis eſt celebranda. Hoc autem omne inveniſſe, quo pacto omnia potiſſimum adornarentur, ſummæ ſapientiæ eſt: effeciſſe vero omnia quæ voluit, virtutis eſt invictæ & inſuperabilis. Ne igitur mireris ſolem, lunam & univerſalem aliorum aſtrorum ſeriem, probe adornatam eſſe, neve te attonitum, magnitudo eorum, vel pulchritudo, uel motus perpetuus, vel circuitionum certus ordo, reddat, adeo ut ſi inferiora hæc comparaveris, parva tibi videantur eſſe & omni ornatu carere. Etenim ſapientiam & providentiam, hic quoque invenies. Conſidera enim materiam ex qua quodque factum eſt, & ne temerè tibi perſuadeas, ex ſangvine menſtruo & ſemine, immortale animal poſſe conſtari, aut impatibile, aut ſemper mobile; aut ſplendidum & pulchrum æque ac ſol eſt. Atque hactenus Galenus, ſuo more ſeu ethnico, de ſorte noſtra eſt philoſophatus, quæ interim maxumam partem veriſſima ſunt. Hinc Majores noſtri, nullis laboribus ſuperſedere, aut ſtudio parcere voluerunt ulli, non ſolum ut Macrocoſmum, ſed & Microcoſmum, Hominem ſcilic. ſagaciter ſcrutarentur. Hinc Democritum, hinc ſexcentos alios imitari, cultros anatomicos expedire, ſtringere, acuere, corpora eviſcerare & deartuare cœperunt;

Digitized by Google

perunt: & hoc ipſo ſtudio, olim, vel ipſos Reges ſeſe oblectaſſe, pridem alio loco à me probatum eſt. Quod, cum & *Sereniſſimo Principi ac Dn. Dn. CHRISTIANO IV. Daniæ & Norvagiæ Regi Potentiſſimo, Dn. ac Regi noſtro Clementiſſimo*, humillime commendatum ſit, ac interveniente illius ſingulari juſſu, nolit comperendinandum id eſſe diutius, ſed velit quam fieri poſſit, ociſſimè ſpecimen edam ſtudii & profeſſionis meæ, proin conceſſa mihi publicitus auctoritate, ad diem tertium Martii, ſeu proximum Lunæ diem; primo loco ad ſolemnem hunc actum, *Te* abſentem tanquam præſentem, *Illuſtris, Fortiſſimeque Heroum* Dn. *CHRISTIANE THOMÆE, Dn. de* Stougard/ *&c. Eques Aurate S. R. Majeſtatis Cancellarie Magne, Senator hujus Regni primarie, Academiæ noſtræ Patrone & Conſervator à Deo & Rege Maxime, benigniſſime, Mæcenas ſumme,*

O & præſidium & dulce decus meum;

Vosque Cæteros Illuſtres, Nobiliſſimosque omnium ordinum Heroas, rei literariæ ſtudiisque cupientes, qua par eſt obſervantia, cultuque invito; Vosque rogatos volo, ut vos ſolemnem hunc actum, ubi per Regni negotia graviſſima, quibus, ceu Atlas cœlo, merito vos ſuccollatis, licuerit,

cuerit, præſentia veſtra decorare velitis, meque, *quem ſæpenumero veſtra laude cohoneſtaſtis, in dubiis non quidem vitæ periculis* (liceat mihi Cic. illa huc transferre) *ſed exiſtimationis, veſtra Illuſtri virtute conſervetis.* Eundem quoque favorem & benevolentiam cum à Te, *Rector Magnifice, Vir admodum Reverende, Clariſſime Dn. D.* *NICOLAE PAULI SCANDORPHI*, *Dn. Collega & amice colende*; *totoque eruditiſſimo Profeſſorio Ordine*, certo mihi polliceri habeam, amice à vobis omnibus & ſingulis contendo, detis hoc veſtro collegæ, publica ſtudia, commodaque anxie vobiſcum provehere diſcupienti, ut veſtra frequentia, cæteris in inclutæ Regia hac Hafnienſi Academia, *legitime promotis Doctoribus, Artiumque liberalium Magiſtris, aliisque viris literatis*; Inclutæque Reipubl. Hafnienſis, Regni totius Daniæ, & Metropoleos & Emporii celeberrimi, *Ampliſſimis Dn. Dn. COSS. Senatoribus, Civibus honoratioribus, Chirurgis, aliisque liberalibus artibus adductis, &c.* quaſi prælucere, conteſtarique velitis, quam honorificum ſit, non ſolum Anatomica ſtudia, in Academias & Reſpublicas introducere, ſed quoque caſte ſtudioſeque in iis excolere. Vos enim facere, veſtra benivola propenſaque in ſtudia anatomica, voluntate poteſtis, ut quæ,

vos,

vos, relictis patriis finibus, longo poſt tempore peregrinationibus dediti, apud celeberrimos totius *Europæ* populos, *Germanos*, *Italos*, *Hiſpanos*, *Gallos*, *Belgas*,

& penitus toto diviſos orbe *Britannos*, florentia obſervaſtis; primitus, intermiſſo uno itemq; altero anno, huc transportata ſtudia, eis mox, & creſcendi, & efflorefcendi, hoc quoque in Regno ingens detur copia. Veſtro enim jucundiſſimo adſpectu, & ad anatomen publicam inſtituendam ornatiſſimo conceſſu, obtinebitis perfacile, ut obbruteſcentis & malevoli Vulgi inſolentia retundatur penitus. Veſtra item præſentia facere poteſtis, ut *vulgus*, quod alias *mobile* Senecæ Tragico dicitur, longe ocyus, quam Meduſæ oſtentato capite, ſileat, obſtupeſcat, obrigeſcat. Vereor enim alias, ne, ob anatomicæ artis à me primo, in Regio hoc Athenæo, Publico Anatomes Profeſſore, introducendam Enchireſin, (primordiis illius quaſi in cunis adhuc jacentibus, vanæ verecundiæ faſciis molliter involutis) mihi novo exemplo, more in aliis Regionibus & Academiis recepto, ad anatomicas regulas, *nudum juvenculæ novæ nuptæ*, *illegitimis nuptiis* (malum) *temeratæ*, *cadaver* diſſecturo, idem uſu veniat *in Dania* quod Ptolomæo Lagi F. *in Æ-*

gypto accidiſſe, auctore Luciano, accepimus: Illo enim, in Theatro res novas in Ægyptum adductas, camelum videlicet Bractianam totam nigram, & hominem bicolorem, cujus altera excellenter candida erat, corpori æqualiter permiſta, oſtentante; ad cameli conſpectum multi Ægytiorum in Theatro congregatorum, deterriti ſunt, ac propemodum exilientes profugerunt; ad hominis autem obtutum alii riſerunt, alii ut monſtrum averſati ſunt. Denique *Ornatiſſimos ac Præſtantiſſimos omnium facultatum Dn. STVDIOSOS* libertate & privilegiis Regiæ hujus Academiæ gaudentes, aut gaudere paratos, (cæteros enim qui nomina ſua apud *p. t. Rectorem Magnificum*, vel nunquam profeſſi ſunt, vel quibus nunquam profiteri animus aut voluntas eſt, invitarem, ſerio mihi auctoritate publica & legibus, quibus parere habeo, interdictum eſt) omnes & ſingulos, præſertim autem *Theologiæ & Medicinæ ſtudiis addictos*, nec non *Chirurgiæ* inclutæ hujus Reipubl. Magiſtrorum *diſcipulos primarios, non tyrones aut alios impuberes adoleſcentulos*, publicitus ad hunc actum invito ſerioque hortor, ut ſi non animo ſolum contemplari, quam admirabile ſit nomen Domini in univerſa terra, cœlos, lunam, ſtellasque forſan

erecto

Digitized by Google

erecto vultu ſuſpicientes, ſed quoque prono & demiſſo, cernui, propriis non ſolum oculis videre, ſed ſuis ipſorum manibus quaſi palpare geſtiant, quam mirabiliter facti in occulto, & in inferioribus terræ, ex informi maſſa, manu Dei formati ſint, non ad aliud, quam ad Theatrum noſtrum Anatomicum abeant, ac turmatim ad id confluant, dum paulo ante indicto die, nempe *tertio Martii* & aliis proximè eum inſequentibus, ab hora prima pomeridiana uſque in tertiam, Deo adjuvante & auſpice Deo, pari dexteritate & fide rimari ſcrutarique, more Anatomicis ſolemni, cadaveris humani admirandam compagem, ordiar & abſolvam, quam qua ab hinc decennium & quod excurrit, *in celeberrima Roſtochienſi Academia*, digniſſima ut ſervetur rebus ſecundis, antidhac, frugi, bonæ mentis, bonæque ſpei adoleſcentes, anatomicam artem docere, pro virili deſudavi. Cæteros corruptis, ſeculi vitio, moribus, ſciolos altumque ſapientes, dum ſibimetipſis *Saperdæ videntur*, *cum ſint* *σάπεροι*, ut in proverbio dicitur, non moror, quippe notum: *Omnibus placere, impoſſibile eſſe*; cum, ut Theognidis translata verba habent:

— — — neq; Jupiter ipſe
Sive pluat ſeu non, unicuiq; placet.

Digitized by Google

Tandem cum in omnibus Academiis, jam ab Heroicis uſque temporibus, recepta hæc conſuetudo ſit, ut anatomicarum adminiſtrationum ſpectatores, non citra teſſeram hoſpitalem plumbeam vel chartaceam, ab Anatomico petendam & redimendam, atque ita non citra delectum, intromittantur in Theatra anatomica (merito enim pueri ac profanum vulgus ab his ſacris & myſteriis procul arceantur) omnes ſciunto, qui eam rediment, *auctoritate & conſilio Reverendi Conſiſtorii*, R*egiæ hujus Academiæ*, *pridem* decretum eſſe, ut ſinguli unico unciali ſeu ſex Marckis Danicis, eam redimere teneantur. Quibus ergo anatomica hæc exercitia, caſtimoniæ plena, cordi ſunt, quibusque animus eſt, admiranda corporis noſtri ſtructura, animum oculosque paſcere, ac concinna ejus elegantia ſeſe oblectare, *ii*, ſingulis diebus ab affixo hoc programmate, *inter horam duodecimam & ſecundam pomeridianas*, ad me inviſant, rogantur: his enim horis domi meæ eos opperiri, iisque vacare paratus ſum, ut nomina apud me ſua profiteantur, ac ordine, teſſera hac accepta,

in Cata-

Digitized by Google





in Catalogum interea redigi poſſint, ne tum demum teſſeris petendis aut diſtribuendis, negotium faceſſant, ubi in Theatrum intromittendi ſunt. Ergo nunc

Vos ite actutum, atq; opere magno edicite
Per urbem, ut omnes qui arcana aſtumq; accolunt
Cives, ominibus fauſtis, auguſtam adhibeant
Faventiam, ore obſcœna dicta ſegregent.

P.P. in Regia Hafnienſi Academia, juſſu & ex decreto p. t. Magnific. Dn. Rectoris Anno cIↄIↄc XLV. 28. Februarii.

Σὺν Θεῷ.

Omnibus & ſingulis hoc Programma lecturis,

Bene vivere, Bene agere.

REgiam illam artem, Medicinam dico, graphice hoc noſtro ſeculo depicturus, haud convenientiori habitu, eam vel induet, vel loco locabit,

bit, quam, ſi minime picta, aut undulata ſed pura veſte indutam, collocet in Regio throno, ad quem multis gradibus adſcenditur, ſtipatam Æſculapio, Flora Dea, denique Democrito. Ut enim recte apud Comicum in Moſtellaria dicitur:

aurum turpe mulieri,
Pulchra mulier, nuda erit, quam purpurata, pulchrior.

utique Medicinæ ceu honeſtiſſimæ Matronæ, tot per ſecula quæ incanuit dudum, non purpura, non anchuſa & ceruſſa ceruſſata facies convenit, quippe quæ naturali ſua pulchritudine qua prædita, omnibus, quantum ſunt mortalium, animisque non occupatis, ſatis ſuperque ſe commendare potis eſt. Etenim huic comparatæ ad alias ignobiliores artes, idem quod Phrynæ uſu venit; *Quæ olim*, teſte Galeno, *cum in convivio qvodam talis ludus celebraretur, ut per vices inter convivas, quidquid lubebat, imperare liceret, illaque cæteras mulieres, tum anchuſa, tum ceruſſa, tum etiam fuco pictas cerneret, juſſit aquam adferri, eamque manibus hauſtam, ſibi fœminam quamque ad faciem admovere, mox linteo protinus detergere: quod cum ab illis omnibus, & à Phryne ante alias actum eſſet, cernere erat, faciem cæteris quidem fœminis, continuo maculis repletam,* ut

ut larvam videre diceres, Phrynes, vero formoſiorem redditam, quippe quæ non fucata erat, ſed ſuapte natura formoſa, nullaque arte ad formam egebat. Quis ergo alio jam, quam, quo dixi habitu Regiam illam artem indueret? ideo in throno multorum graduum collocandam, ut non putetur planam ad illam colendam, unicuique pateſcere viam. Non, non certe, qui hanc ſeqvuntur, rectam inſtant viam, cum citra Philoſophiæ præcepta (quorum multi quaſi gradus ſunt) haud ſatis ſolertes ſe in Medicina dare poſſint: *aſt*, teſte Galeno, *Philoſophiam omnium diſciplinarum inutiliſſimam*, nonnulli proh dolor! putant, & *tale quiddam, quale eſt milium perforare.* Hinc Medicinæ in Throno reſidentis, quaſi latus claudens appingendus Æſculapius, ut bacillo ſuo nodoſo & dracone animante vigilantiſſimo inſtructus, ſevere ſummæ difficultatis eos admoneat, qui nolunt ſeveris in Medicina legibus proficere. *Medicus* enim, teſte Hippoc. *non niſi quæ periculo ſunt proxima intuetur, &, quæ ſunt ingrata, contrectat, ac ex aliorum calamitatibus ſibi dolorem conciliat.* Summa, eo res redit: artium omnium difficillima Medicina eſt. Non ergo mirum perpaucos ſolum, non perterre fieri laboribus & ſtudiis, neceſſario unicuique Medicinæ daturo

Digitized by Google

ruro operam, exantlandis. Quem enim fugit, rei herbariæ amplitudo? & quis non teſtari poteſt, ingentes eſſe labores, quibus defunguntur, in eviſcerandis viſceribus Anatomici? cujus ſtudii, veluti Præſes Democritus, illius vero, Flora Dea eſt. Cujuscunque ergo tempora, Medicina artium omnium Regina, inſtar Æſculapii lauru redimiet, eum, ſi non abundare præceptis, inſtitutisque Philoſophiæ poſſit, certe non mediocriter tamen, eis inſtructum eſſe addecet, naturæ ſagaciſſimum, vigilantiſſimum, laboris toleranttiſſimum; vel ut hybernis menſibus, eviſceret cadavera, vel ut vernis, dum alii ſerta puellasq; poſcunt, abeat ad prata & locorum devia, viſurus, jam ut,

Mollia luteola pingat vaccinia caltha, (*æſtu,*
vel mox experturus,ut *rapido feſſis meſſoribus*
Allia ſerpillumq; herbas contundat olentes.

Hæ ergo partes cum in Regia hac Academia mihi demandatæ ſint, ut alternis vicibus, ſtudioſos in utroque hoc ſtudio exerceam condigne; ac pronuper (vix enim abierunt ſeptem ſeptimanæ) anatomicis exercitiis ſaltim defunctus ſim, adeo ut cultris anatomicis abjectis, jam totus in eo eſſem, ut ſive rutrum, ſive ſarculum botanicum ad pluteos hucusqee

ſuſpen-

ſuſpenſum prenderem ac arriperem, Med. Pharmac. denique Chirurg. Studioſos, Botanica ruri docturus: Ecce ex inſperato Ipſe *Sereniſſimus Clementiſſimusque Princeps ac Dn. Dn.* CHRISTIANVS IV. *Regnorum Daniæ Norvagiæ, &c. Rex Potentiſſimus, Dominus noſter Clementiſſimus,* vult & jubet, anatomica capeſſere, cui virtute & animo, Cyro, minime minori Regi, merito, ego fide & candore, nemini, illius ſubditorum & civium, cedens, demiſſiſſime ſubjectiſſimeque parere habeo; qui certe tanta erga illos clementia, ut dormiturus citra ullum apparitorum, in cujusvis civium gremium, caput reclinare poſſet, ſi vellet. Si vero Chryſanthæ perpetuæ ac æternæ laudi eſt, quod ipſus Cyrus apud Xenophontem teſtetur, *ſe noviſſe qualem ſe geſſerit,* laudetque in illo obſervantiam debitam, *quod ubi pedem referre juſſerit, ac compellato nominatim ipſo, tametſi gladium ſuſtulerat, percuſſurus hoſtem, ſtatim tamen illi paruerit, eoque omiſſo quod facturus erat, id fecerit, quod imperâbatur;* Utique nullus dubito, dum Parario, *Viro Illuſtri Generoſiſſ. maximequè Strenuo Dn. Dn. Oveno Geddin Archithalaſſo ac* Senatore *hujus Regni, &c. primario,* intercedente, hæc Clem. S. R. M. voluntas, per literas mecum communicata ſit, quin

Ser.

S. R. M. & meam humillimam obſervantiam quoque reſpiciat clementiſſime (*Obedientia* enim Scriptura inquit, *melior quam victima & auſcultare, magis, quam offerre adipem arietis.*) dum accinctus ad Floræ Deæ ſacra peragenda, aciem ſtudentium quaſi inſtructurus, receptui clamem, pedemque ipſius referam, ipſosque ad Theatrum noſtrum Anatomicum, non ad prata neu ſylvas ducam. *Si quoque Cyrus Chryſantham, ut bellicis in rebus ſtrenuum & prudentem, & ad parendum, & ad imperandum idoneum, in præſentia quidem honore tribunatus adfecerit, & idem Cyrus, cum Deus aliquid aliud boni largiretur, ne tunc quidem ſe ejus oblivisci velle receperit*: Utique certe ſpe & fiducia inſigni & ego erigor, & mei, ob Zælum, publica ſtudia provehendi, &, mearum fortunarum porro, clementiſſime rationem habitum iri. Cæterum cum, Horatio teſte,

Paullum ſepultæ diſtet inertiæ,
celata virtus,

meum non erit, ſolum diſcipulos rei herbariæ, aut quorum omnium paulò ante memini, ad Theatrum deducere, ut illis ſolis, beneficio ſcalpelli anatomici, ſubminiſtrato ad proximum Mercurii diem, in rem eam, hominis quadrati & lacertoſi corpore, myſteria naturæ

pan-

Digitized by Google

pandam & recludam: ſed *Illuſtres quoque Heroas*; *ſed Magnificum p. t. Rectorem*; *ſed cæteros Celeberrimos in Regia hac Academia Profeſſores, Dominos Collegas ac Amicos meos honoratiſſimos, aliosque ligitimè promotos Doctores, artium liberalium Magiſtros, itemque Viros alios literatos, Regios miniſtros Civesque primarios, Chirurgos, Ornatiſſimos omnium Ordinum Dominos Studioſos*, ad publicum, ſolennemque hunc actum inſtituendum, invitem opus eſt. Hos ergo omnes & ſingulos, vigore publicæ Auctoritatis ſemel à Magnifico p. t. Rectore mihi conceſſæ, publicitus & ſolenniter ad dictum diem invito. Interea Dominos Studioſos, aliosque, qui citra teſſeram anatomicam, admitti in aliis inclutis Academiis nunquam aſſolent, rogo, imo obteſtor, illam horis ante meridianis domi meæ petant: Quos frequentes in Theatro noſtro Anatomico, ad proximi diei Mercurii horam primam pomeridianam, comparere, valere, ac ſalvere jubeo. P. P. in Regia Hafnienſi Anno 1645. 27. Aprilis, Dominica Jubilate.

SIMON PAULLI D.
Med. Anat. ac Botanic. P. P.

VIro huic Excellentiſſimo proximè ſucceſſit *Thomas Bartholinus*, Profeſſor antehac Regius, qui Theatrum Anatomicum variis ſectionibus, demonſtrationibus, lectionibus, &c. pro virili quoque illuſtravit ab anno cIↃ IↃC XLVIII. ad annum cIↃ IↃC LXI, quo vacationem laborum Academicorum Sereniſſima Regia Majeſtas clementer conceſſit. Dum ſectionibns vacavit Aſſiſtentes habuit juvenes magnæ diligentiæ & ingenii, quos Anatomicarum diſſectionum peritos non tam invenit quam fecit, præſertim *Michaelem Lyſerum*, qui Cultrum Anatomicum ad ſectionum noſtrarum ductum conſcripſit, ediditque Hafniæ cIↃ IↃC LIV. inſigni orbis applauſu, deinde *Henricum à Mönichen*, cujus ſpectata in Anatomicis peritia Italis poſtea innotuit, patriæque placuit, mox *Martinum Bogdanum*, qui binis Apologiis Vaſa Lymphatica ſuo authori aſſeruit & vindicavit Hafniæ cIↃ IↃC LIII. & *Georgium Segerum*, qui de Corde Triumphum edidit Hafniæ repertis Lymphaticis cIↃ IↃC LIII, Baſileæ deinde recuſum, & aliquot diſſertationes de Lympha Bartholiniana ingenioſas procuravit Hafniæ cIↃ IↃCLVI, clariſſimos Medicinæ poſteaDoctores, denique *Jacobum*

cobum

cobum Henricum Paulli Sim. fil. eodem jam titulo dignum.

Primis annis quoque ſpectatoribus Teſſera hic ſubjecta



diſtribuebatur, ut promiſcuum vulgus arceretur, cæterum ſequentibus annorum ſectionibus demonſtrationibusque publicis, ſine teſſera, quivis more Patavino admittebatur, idque certas ob cauſas, noſtris amicis haud ignotas.

Paradigmata quædam Programmatum, quibus ſpectatores ad demonſtrationes publicas convocavi, ut deſiderio curioſorum ſatisfiat, hic ſubjungam:

Ad Anatomen cadaveris virilis.

Quod felix fauſtumque ſit, & mortalibus ſalutare, Favente Summo Numine, jubente Clementiſſimo Rege, Annuente Perilluſtri Cancellario, Conſentiente denique Magnifico Dn. Rectore & Facul-

tate Medica THOMAS BARTHOLINVS D. & P.P. *Cadaveris Virilis diſſectionem craſtina luce, die Ann. hor.* 1. *pomeridiana auſpicaturus ſequentibusque diebus, ſi* DEus, *ſi valetudo conceſſerit, continuaturus omnium ordinum Auditores, ſpectatores, auditum ut veniant & ſpectatum, quibus volupe, qui ſe mortales ſciunt & cognoſcere amant, qui illuſtre Anatomes ſtudium, qui ſe ſuamque corporis Majeſtatem amant, ſuſpiciunt, in Theatrum Anatomicum ſummo quo poteſt officio & pari humanitate* INVITAT, CONVOCAT.

Ad Anatomen Fœminæ:

THOMAS BARTHOLINVS D. & Anat. P. Reg. *ſuperiorum indultu & facilitate craſtino die Ann. hor.* 1. *pomeridiana nudum ſequioris cadaver ſexus caſtis oculis, manibus pudicis viſurus, contrectaturus, arvum genitale nativamque puerorum mulctram ſancte & religioſe oſtenſurus, omnes quibus per ætatem licet, qui eodem animo & oculis Floralia hæc ſpectare, bona Catonis venia, nudumque Veneris corpuſculum & pulchellulum cum verecundia intueri audent ſciuntque, & ortus ſui incunabula ſine laſcivia & ſine velo venerari, qua poteſt modeſtia, ſed ſpectati animi fiducia, prolixo officio, caſta mente & manu, ut adſint, rogat.*

Ad Anatomen Fœtus:

THOMAS BARTHOL. D. & P.P. *DEO fortunante*

Digitized by Google

nante & volente Magnifico Reg. Maj. Cancellario, conſenſu Magn. Acad. Rectoris & Senatus Academici, craſtino die Ann. Fœtus *humani Anatomen neceſſaria brevitate auſpicaturus omnes Rei Anatomicæ* Fautores *cultoresque quibus volupe diſſimilitudinem nuper natorum ab adultis curioſius noviſſe in Theatrum Anatomicum hora à meridie prima quanto poteſt opere & officio* I N V I T A T, CONVOCAT.

Interea dum in variis hominum animaliumque corporibus exta diligenter conſuluit, primus Lactea Thoracis vaſa in Homine invenit, demonſtravit, & publico ſcripto illuſtravit, magno Regi ſuo *FRIDERICO TERTIO*, cujus ſub benignis auſpiciis hæc lacteorum nouorum ubertas fluxit, dedicata & conſecrata. De quibus ita luſit:

Lactea per tremulum reptantia viſcera pectus
Cor Dominum auſpiciis aſſeruere ſuis.
Sic montes Tibi lacte fluant, qvum ſceptra Trionũ
Aurea, reddideris, Rex Friderice, *Tibi.*

T. B.

Alia ibidem felicitas affulſit, qvum Vaſa Lymphatica primus in hoc Theatro detegeret, primo in animalibus brutis, deinde quoque in Homine, nunquam nota ante aut viſa, quibus

Digitized by Google

eruditum orbem partim ad applauſus, partim ad concertationes & ſtudia diverſa excitavit, novoque invento magnum arti Medicæ lumen attulit. In rei memoriam hoc monumentum erexit ſummi ingenij ſummæq; eruditionis Collega & Affinis D. D. *Oſtenſeldius*:

PRINCIPI. AC. RESTAURATORI. SUO. INCLYTO.
GENTIS. DANORUM. GLORIÆ.
ORBIS. AC. LITERARUM. DECORI.
MAGNOQVE. MEDICINÆ. INCREMENTO.
THOMÆ BARTHOLINO
QVOD. INFELICIBUS. TOT. SECULORUM.
AC. DOCTARUM. MENTIUM. ERRORIBUS.
OSTENSIS. EXPURGATIS. PROFLIGATIS.
VICTAQVE. INVIDI. MALITIA. SECULI.
IMPERANTE. REGUM. OPTIMO.
FRIDERICO TERTIO
ANNO. SECULI. DECIMI. SEPTIMI. LII.
VASA LYMPHATICA
PERENNES. ILLOS. LYMPHÆ. VITALIS. LATICES.
SECULISQVE. OMNIBUS. IGNOTA. AC. INVISA.
LIMPIDISSIMI. RORIS. FLUENTA. ET. ALVEOS.
QVA. PER. PARTES. HUMANI. CORPORIS. UNIVERSAS.
SINUSQVE. AC. RECESSUS. INTIMOS. DECURRIT.
COELO. CONGENER. VERUMQVE. AC. FAMILIARE.
NECTAR. INGENIUM. CORPORIS. NUTRIMENTUM.
ALIMENTI. PARS. COELESTISSIMA.
ET. QVINTUM. QVASI. ELEMENTUM.
PRIMUS. INVENERIT. OSTENDERIT.
CLARISSIMI. GLORIAM. INVENTI.
LAUROS.
ADOREAS.
ARAS.
ÆTERNITATEM.

L. M. Q.

Digitized by Google

L. M. Q.
DECERNIT. OFFERT.
ANATOMIA.
PER
CHRISTIANUM OSTENFELD
MED. D. ET P. P.
IN. REG. ACAD. HAFNIENSI.

De novo iſto invento hoc extat alterius epigramma:

Stellas Tycho novas, Monachus qvoq; fulmina Cimber,
Barthlinus claras repperit alter aquas.
Hæc tria ſufficiunt doctorum elementa Virorum,
Ignis, lympha, polus, cætera terra tegat.

Abſit tamen omen, ut ſicut ille exilium ſibi elegit vagis ſuis ſtellis, iſte, quem *Munſterus* l. 3. Coſm. aliique à *Pontano* l. 8. Hiſt. dan. p. 507 citati, Cimbrum pulveris pyrij inventorem ſcribunt, fulmina poſterorum & diras reportavit, hic cum lymphaticis ſuis vaſis vel lympham bibat, vel ob ſeculi perverſi pravitatem lymphaticus fiat. Deus malum omne averruncet, qvia hactenus cum Epaminunda apud *Nepotem*, de Republica ſua nihil præter gloriam cepit. Et quanquam ipſi nihil mortales debere velint illiusve induſtriæ & felicitati, ipſe tamen erga canem ſuum gratus fuit, in quo primum vaſa iſta obſervavit, cujus idcircò ſceleton hac Inſcriptione ibidem ornavit:

MOLOSSO
VIOLENTA MORTE FELICI
NON PILIS CANDIDO
SED OSSIBUS
QVI PRIMUS SINE INVIDIA
AQVAS LYMPHATICORUM
EFFUDIT INVISAS
EXTIS PATENTIBUS ET DOLENTIBUS
UT SICCUS NULLIQVE MOLESTUS
SOCIORUM CUM INVIDIA
POST MORTEM SUPERESSET
MEMORIÆ MORTALIUM
M. H. G. P. TH. B. D.

Supra Anatomicum Theatrum, viſitur novum Palatium, quod A. C. cIↃIↃcLVII magnifico opere ædificatum eſt ſumptibus partim Eccleſiarum, quarum jura Patronatus apud Academiam eſt, inprimis Grevinganæ Medici ſecundi, partim Hæredum b. m. D. *Thomæ Finckij*, Avi noſtri materni, quem Senem annus prior mortalitati exemerat, qui 1000 Thaleros Imperiales huic ædificio boni publici ergò donarunt, quibus eapropter gratiæ ampliſſimæ à poſteritate debentur. Deſtinatum eſt hoc cœnaculum Rebus naturalibus rarioribus recondendis, quas Academiæ legavit Conſobrinus noſter deſideratiſſimus D. *Henricus Fuiren*, Medicus Hafniæ Clariſſimus, cujus lectiſſimi Muſæi particulam hic Lectori ſiſtam.

Mu-

Digitized by Google

Muſæum Fuirenianum.

Tabula prima Venarum omnium.
Tabula ſecunda Arteriarum.
Tabula tertia Nervorum.
Tabula quarta continet vaſa Pulmonis, Venam Portæ, & Nervum ſexti paris.
N. ex uno homine omnia hæc vaſa accurate exſecta ſunt, & tabulæ agglutinata.
Sceleton virile majus.
Cranium virile, cujus os frontis ſutura diviſum eſt.
Sceleton infantis ſex menſes nati.
Sceleton infantis octo dies nati.
Sceleton abortus 5. vel 6. menſium.
Sceleton abortus 4. menſium capſulæ cupresſinæ incluſum.
Sceleton Simiæ: Sceleton Teſtudinis.
Sceleton Teſtudinis minus.
Sceleton Ranæ. Sceleton Paſſeris.
Oſſicula auditus infantis tria, cum circulo oſſeo.
Malleus, incus & ſtapes.
Os temporum infantis, cum circulo oſſeo & cochlea.
Alius circulus cum tribus auditus oſſiculis.
Os petroſum cum cochlea, labyrintho & oſſiculis.

Os temporis cum annexa cochlea.

Oſſicula auditus felis.

Cartilagines laryngis in oſſeam degenerantes ſubſtantiam, cum oſſe Hyoidis annexo.

Os Hyoides.

Cutis Humana.

Manus explicata ſeu Mumiæ pars.

Brachii & manus oſſa.

Crania varia, Ciconiæ, ardeæ, anatis Arctici, aquilæ, inbrim Iſlandici, gallinæ monſtroſæ, & aliarum avium.

Cranium lutræ, erinacei, talpæ, gliris domeſtici, ſciuri, veſpertilionis.

Pes ſuillus duplex monſtroſus.

Oſſa fracta per callum conſolidata, nempe Os tibiæ humanæ & radius, duæ coſtæ Bovinæ, quatuor coſtæ agninæ, gallinæ & ſterni, gallinæ os tibiæ cum radio, octo gallinæ partim tibiæ, partim femoris oſſa.

Gallinæ os tibiæ, cui adnatus tophus.

Coſta Bovina cum Apophyſi oſſea.

Calculus veſicæ urinariæ poſt mortem Abbatis D. Juſtinæ Patavii exſectus, cum altero ejuſdem fere magnitudinis. 22. ſep. 1644.

Calculus veſicæ à muliere Hafniæ excretus 1651. quæ ob dilatationem ſphincteris veſicæ, continua urinæ incontinentia per bien-

nium

nium laborabat, lecto ſemper affixa. Minores vero qui adſunt calculi pedetentim excreti. Ipſa vero mulier moritur 1653.

Calculi in Pulmonibus inventi in Theatro Anatomico Patavino id Februario 1644.

Calculi in ſinibus anterioribus Renis atrophia laborantis, inventi Patavii 17. Jan. 1644.

Calculus in Rene poſt mortem inventus Pat. 10. Jan. 1642. cui alius adjunctus erat ejuſdem coloris & ſubſtantiæ, magnitudine inſigni hunc ſuperans, Unciæ fere pondus adæquans.

Calculus veſicæ felicæ.

Calculi fragmenta, qui cum aliis quatuor huic ſimilibus, & inſinitis minoribus Carthami ſemen referentibus, in veſica fellea inventus eſt à Veſlingio Patav. 1642.

Calculi veſicæ felleæ, ex Nobili Hydropica poſt mortem exſecti.

Calculi veſicæ ab aurifabro excreti Hafniæ.

Calculi veſicæ canis. It. os Penis canini.

Præputium pueri Hebræi.

Lumbrici Lati.

Babi Rouſſa.

Erinacei Indici pennæ majores, & minores.

Oculus artificialis.

Avicula ſplendens Braſiliana Guainumbi.

Topaw

Topaw avis Roſtrum.
Roſtrum anatis Platyrinchi.
Roſtrum Oneirocrotali.
Pedes Aquilini.
Duo ova ſtrutiocameli.
Duo ova Cygni.
Duo ova Teſtudinis.
Duo ova Centenina.
Ovum oblongum velut angvinum.
Cranium minus ex ebore.
Cornua galli duo, leporina.
Duo unicornua, ſingula 3. ſpitham.
Unicornu unius ſpithamæ.
Duæ ungulæ Alcis.
Poculum ex pede & ungula Alcis.
Cornua Alcis bina.
Cornua Cervina 14 extremitatibus.
Cornu Rhirocerotis.
Cornua ſtrempſichorotis.
Aliud incurvum.
Cornu Capreæ Tirolenſis.
Aliud ejusdem minimum.
Calvaria Cervi junioris.
Poculum ex cornu Bovino ingenti.
Aliud cum figuris inſciſis.
Aliud antiqvum ex parte inauratum.
Poculum minus ex cornu pellucido.

Sala-

Digitized by Google

Salamandra.
Baſiliſci duo.
Dentes lupi duo.
Tres Tophi magni, & alii duo minores.
Bezoar capræ ſylveſtris.
Dens Elephantis minor. Adhuc alius.
Caudæ Elephantis fruſta duo.
Roſmari cranium. Ejuſdem dens major & minor.
Roſmari Penis.
Piſcis Lunæ.
Duo maxillæ Lamiæ, & aliæ partes. Item ſpinæ dorſi pars.
Charcarias minor.
Orbis piſcis. Orbis alia ſpecies, Moſcard. Columbo.
Piſcis Volans.
Sepia ſeu Loligo.
Balenæ duo dentes minores.
Virgæ Balenæ.
Duo oſſa petroſa Balenæ.
Chryſtallini humores Balenæ.
Acus piſcis.
Gladius piſcis.
Xiphias minor.
Serra magna radiis majoribus 15 utrinq.
Serra major radiis minoribus 23 utrinq.

Duo

Duo ſerræ minores.
Cranium Turſionis.
Cauda Paſtinacæ.
Phocas.
Piſces Triangulares tres.
Caput Lupi marini.
Chamæleontes duo.
Scinci marini duo.
Coſta Sirenæ.
Piſcis cataphractus major & minor.
Hippo campus major & 4 minores.
Maxillæ Lucii majores.
Spinæ dorſi ſerpentis.
Corona Serpentis.
Exuviæ ſerpentis ulnarum 4 $\frac{3}{4}$.
Exuviæ ſerpentis ulnarum 2 $\frac{3}{4}$.
Exuviæ ſerpentis auguſtiores 3 ulnarum
Exuviæ ſerpentum noſtratium aliquot.
Tintinnabulum caudæ ſerpentis,
Sceleton viperæ minus.
Colubri noſtrates tres.
Viperina caro cum oſſibus.
Scorpiones duo.
Scarabæus unicornis.
Gryllotalpa. Gryllus.
Cervi volantes aliquot, eorumque cornua.
Pediculi marini majores & minores.

Igua-

Iguana.
Armadillo parvus.
Crocodilus.
Lacertus ſquamoſus.
Cancer Moluccanus.
Dorſum teſtudinis majoris & mediocris,
Trium teſtudinum minorum teſtæ.
Teſtudo minor integra.
Alia teſtudo marina.
Orbis echinatus major & minor.
Echini marini ſine ſpinis octo.
Duo echini cum ſpinis minores.
Stella marina major tuberoſa, quinque rad.
Stella marina minor 5 radiorum.
Cantharis Indic.
Alia inſecta varia.
Bombycum involucra ſericea.
Capſa marinorum,& conchyliorum variorum.

Reliquarum rerum Naturalium à fratre legatarum ad Anatomen propriè non ſpectantium indicem accuratum brevi exſpectabit Lector à Clariſſ. Viro *Thoma Fuiremio.*

Vicina ſunt Domui Anatomicæ Auditoria duo Academica nova majora. In ſupremo, ubi cum aliis Doctoribus,Medicinæ Profeſſores docent, capſula in angulo viſitur meridionali, in qua ſceleton virile olim aſſervabatur, à ma-

à magni nominis Viro D. *Henningo Arniſæo* Archiatro Regio Academiæ donatum. In rei memoriam hæc inſcriptio relicta ibidem legitur.

S. S.
QVISQVIS ES
MORTALITATIS MEMOR DISCE
AD IMMORTALITATEM PROPERARE.
REG. HAFN. ACADEMIÆ ORNAMENTO
HUMAN. FABRIC. STUDIOS. COMMODO,
HÆCCE CORPORIS HUMANI OSSA,
DONARIA
VIRI CLARISS.
D. HENNINGI ARNISÆI
MEDICI REGII
IN SCELETI FORMAM REDEGIT
OLAUS WORM D.
MED. PROF. P.
ANNO MDCXXIIX.

Meretur hic inſeri os femoris illud giganteum, quod Magnificus Academiæ h. t. Rector D. *Petrus Scavenius* Juris Anteceſſor Regius, Affinis noſter & Collega ſuſpiciendus bono publi-

Digitized by Google

publico deſtinatum poſſidet inuſitatæ magnitudinis, pedes enim Romanos tres cum una palma longum eſt, quanquam deſit rotundum oſſis caput latum digitos transverſos fere decem, & adeo craſſum ut expanſis manibus duabus comprehendi in medio, ubi anguſtiſſimum, vix poſſit.

Collegio huic contiguæ ſunt ædes, quas inhabitat *Th. Bartholinus*, in cujus cœnaculo varia viſuntur, quæ peregrinorum curioſitatem ad ſe alliciunt, partim in itinere ab ipſo collecta, partim ære redempta, partim ab amicis communicata, partim denique à publicis ſectionibus Anatomicis relicta. In præſenti tantum ea hic ſignabo, quæ ad Domum Anatomicam propriè referri poſſunt.

Catalogus Rerum Naturalium, ad Anatomen & Zootomen ſpectantium in Muſæo TH. BARTHOLINI.

SCeleton viri adulti, à me diſſecti.

Sceleton aliud viri diſſolutum, ut per partes demonſtrari poſſit, in cujus cranio ſutura lambdoidea duplex viſitur, variaque inter utramque lineam oſſicula cum oſſibus Styloideis integris conſpiciuntur.

Digitized by Google

Sceleton Feminæ à me diſſectæ.
Sceleton infantis nuper natæ, à me quoque diſſectæ.
Sceleton abortus ſex menſium.
Sceleton abortus quatuor menſium.
Embryo unius menſis cum dimidio exſiccatus.
Exuviæ Viri farctæ.
Exuviæ Viri in pariete expanſæ.
Exuviæ Feminæ.
Hepatis vaſa ſeparata & tabulæ affixa.
Ventriculus Viri exſiccatus, ſex menſuras noſtras capiens.
Ventriculus infantis ſiccus.
Inteſtina humana ſicca.
Veſica infantis.
Cranium humanum in uſus tyronum literis ſignatum.
Cranium aliud ſine ſuturis.
Cranium aliud militis Danici cum oſſibus ſtyloideis, in quo ingens in fronte ex fractura hiatus.
Cranium aliud, in cujus ſutura coronali utrinque velut inſulæ ex oſſiculis conſpiciuntur.
Cranium aliud, in cujus ſutura lambdoidea prope ſagittalem duo oſſicula.
Cranium aliud cum oſſe triangulari in confi-

nio

mo ſagittalis & lambdoideæ, variisque in hac oſſiculis.
Calvaria hominis ulcere maligno eroſa.
Calvariæ fruſtula ingentis craſſitiei.
Calvariæ fruſtulum, in quo ſagittalis ad naſum protenditur, ſuturis mobilibus.
Cranii fruſtum bombarda à capite abraſum.
Faſciæ ex pelle feminina & virili.
Amnios membrana embryonis.
Funis umbilicalis infantis.
Circulus oſſeus auris cum oſſe ſquamoſo, & malleo adhærente, ejusque oſſiculo & nervulo.
Circulus oſſeus alius.
Os petroſum cum labyrintho in ſitu ſuo.
Labyrinthus & cochlea excavata.
Oſſicula auditus quatuor.
Oſſiculum intra cranium humanum repertum.
Chryſtallinus oculi humor.
Oſſiculum in corde humano inventum triangulare.
Cuticula humana ſeparata.
Os hyoides cum ſcutiformi & Arythenoidibus oſſeis.
Pingvedines humanæ diverſorum annorum.
Pingvedo infantis nuper natæ.

Ramuli venarum pulmonis excreti.
Spina dorſi per quam radix arbuſculi.
Fruſtum carnis exſiccatæ ex mumia Danica.
Membrana lienis exſiccata.
Lumbricus ex matrona excretus quinque ulnarum.
Alius ex lanione chartæ affixus.
Dens gigantis.
Dens ex aure juvenis cum pure elapſus.
Os ex rene mulieris exſectum.
Calculi humani variæ magnitudinis.
Calculi veſicæ bilariæ.
Calculus ex puero 6 annorum expulſus.
Calculi duo ex ſcroto ſuppurato exempti.
Calculus cum aliis duobus per alvum rejectus
Ungulæ digitorum humanorum, longiores & craſſiores ipſis digitis.
Uſnea cranii humani à X. annis ſuſpenſi.
Globulus ex cera, lana, acicula &c. magicus per vomitum à Nobiliſſima Matrona ejectus.
Manus & Coſta Sirene.
Crania duo parva ex ebore.
Sceleton canis majoris, in quo primum vaſa Lymphatica Hafniæ inventa.
Sceleton canis minoris, in quo lactea Thoracica

cica Vaſa poſt Pecquetum primum Hafniæ detecta.

Sceleton Sciuri nucem rodentis.

Sceleton vituli ex utero vaccæ ita extractum.

Sceleton agnelli.

Cranium Leopardi.

Pes Leonis. Pes Urſi.

Pes & Ungula Alcis.

Tendines pedis Alcis.

Sceleton gliris Indici.

Cranium muris in Norwegia depluentis, & oſſa, cum oſſiculis auditus.

Pellis Zivettæ à me diſſectæ, odore adhuc gravis.

Crocodilus mas, & femina.

Crocodilus minor.

Iguana mas, & femina.

Iguanæ minores tres, interque eas maculoſa.

Armadillo integer. Ejuſdem ſcutum.

Ubera animalis exſiccata.

Cornu ſtrempſichorotis majus, vel Ibicis.

Duo cornua parva in cranio ſtrempſichorotis parvi.

Tamandua, Myrenetter.

Cornua duo Equi Regii.

Cornua & Cranium Cervi Braſiliani.

Cornua vervecis Iſlandici luxuriantia.

Digitized by Google

Cornua Cervi Damæ varia.
Capreoli cornu.
Cornua Rangiferi.
Oſſa ex corde Cervi.
Secundina Cervi ex Amnio &c.
Dentes Aprini, lupi.
Cranium leporis, felis, gliris.
Lacertus minimus elegantiſſimus ex India.
Caſtoreum.
Pennæ longæ variegatæ Erinacei Indici.
Pes Ignavi.
Ungulæ Lyncis.
Oſſa varia gallinacea variis fracturis & abſceſſibus rara.
Veſica Lymphatica ex ove.
Tophus ex ventriculo vaccæ nigricans.
Alius ex ventriculo vituli griſeus.
Tophi duo clariores, ex ventriculo ovis Iſlandicæ, quæ 50. tales continebat.
Tophi duo alii nigricantes & glabri, inſtar globi tormentarii, ex ventriculo agni Scanici.
Alius tophus minor ſine cruſta, ex ventriculo agni Cimbrici, qui 78 hujus generis continebat.
Tres lapides duriſſimi quadrati, ſatis magni, ex ventriculo ovis.

Calcu-

Calculus ex veſica fellis bovina.
Bezoar orientalis. Alius factitius.
Lana Animalis Bezoartici.
Coſtæ duæ ſuillæ connatæ.
Pedes Suilli monſtroſi.
Talus Suillus, leporinus.
Oſſa cordis Bovini.
Cricetus.
Vaſculum animalis moſchi.
Teſticuli equi caſtrati.
Priapus Cervi.
Sceleton Pſittaci.
Sceleton Monedulæ.
Roſtrum Onirocrotali.
Avis Paradiſiaca cum pedibus.
Roſtrum Avis Topaw ſeu Rhinocerotis.
Roſtrum Pavonis Indici cum corona.
Roſtrum incurvum paſſeris Indici multis dentibus aſperum, forſan mergi longi roſtri.
Roſtrum Aquilæ cum ungvibus.
Roſtrum & caput avis peregrinæ, ex cujus ore binæ pinnæ protenduntur, caput pennis rubris & nigris variegatum.
Anas Arctica Cluſii.
Anſer Feroenſis variegatus, Ibrim.
Os pectoris Cygni cum capſula.

Digitized by Google

Pennæ rubræ Cygni.
Oſſeæ Anatum veſiculæ.
Nidi paſſerum Indicarum glutinoſi edules, inſtar braſſicæ cibis incoctæ.
Ovum ſtruthiocameli glabrum.
Ovum ſtruthiocameli puncticulatum,
Ovum variegatum Lundæ.
Ova gallinacea monſtroſa.
Cornea lari tunica.
Veſpertilio maximus Indorum.
Veſpertilio minor noſtras.
Scarabæus Monoceros.
Cervi volantes.
Cicindela volans.
Cantharis Indica, Hiſpanica.
Bombycum variorum colorum folliculi noſtrates.
Bombycis Indici majoris folliculus.
Exuviæ quædam ſerpentum noſtrorum minorum.
Pellis viperæ noſtratis.
Exuviæ ſerica faſcia involutæ.
Spina dorſi ſerpentis.
Sceleta duo viperæ noſtratis.
Boicininga, ſeu Radelſlang, longus tres circiter ulnas, latus $1\frac{1}{2}$ quadrantis. Cujus cauda ſonora articulos habuit 16.

Al

Digitized by Google

Alia pellis ſerpentina farcta, ejuſdem longitudinis.
Pellis ſerpentina Braſileenſis variegata, longa ulnar. ſex, lata med. uln.
Scorpius.
Fila purpurea, quibus ſtrangulatæ viperæ,
Filum aliud cum capite viperæ Patavinæ.
Hippocampi tres.
Sceleton Turſionis.
Cranium Turſionis majoris, & minoris.
Oſſicula auditus Turſionis.
Lamia ſeu Canis Carcharias major.
Ejuſdem ſpina dorſi.
Ejuſdem maxillæ vario dentium ordine aſperæ.
Ejuſdem dentes maximi, quales maximæ gloſſopetræ.
Carcharias minor, Heye.
adhuc minor.
Lupus marinus major, & minor.
Caput lupi marini in faucibus ipſis, dentibus horridum.
Balenæ ſcapulæ.
Balenæ ſpinæ dorſi magnæ.
Spina dorſi parva.
Balenæ coſtæ, Pinnæ, cutis.
Balenæ oſſa petroſa, & cryſtallinus oculi humor.

Dentes varii ex Cete dentato.
Virgæ Balenæ varia magnitudine & colore.
Sperma Ceti verum.
Dentes Rosmari duo.
Dens ejuſdem in terra calcinatus.
Dens ejuſdem petrefactus.
Penis Rosmari, Delphini.
Penis oſſeus animalis ignoti.
Dens Equi marini.
Serra priſtis maxima. Alia media.
Duæ Serræ minores. Una minima.
Priſtis minor,
Gladius parvus Xiphiæ.
Unicornu Grönlandicum, tres ſpithamas longum.
Unicornu anguſtius, trium quoque ſpithamarum, x
Unicornu Parvum unius ſpithamæ.
Fruſtum unicornu latius.
Scinci marini tres.
Pediculi marini.
Lapides ex eisdem cinerei & caſtanei coloris.
Dens araneæ Braſilianæ.
Aſelli exſiccati genus.
Molva.
Paſtinacæ marinæ radius. Cauda Rayæ.
Guamajacu, ſeu piſcis triangularis integer, figuris ſexagonis.

Piſcis

Piſcis quadrangularis eiſdem notis diſtinctus.

Piſcis triangularis minor. Adhuc alius.

Guamajacu ape cum cornibus, figuris quadratis.

Anthropophagus piſcis.

Piſcis volans ſeu milvus.

Milvus alius ſine alis.

Rhombus. Cataphractus.

Orbis Echinatus major. Alius minor.

Galei genus Clus.

Cuculus piſcis ſeu lyra.

Raya orientalis.

Teſtudines duæ teſſellata figura eminentes.

Teſtudines aliæ planæ duæ majores cum capite & pedibus.

Teſtudines duæ marinæ, major & minor, integræ.

Scutum teſtudinis majoris coloris caſtanei.

Aliud majus, ubi coſtæ per cartilaginem transparent cum circulo ambiente.

Aliud ſimile cum ſua cruſta.

Aliud aſperum & inæquale, coſtis inſtar ſerræ eminentibus.

Teſtudo marina minima,

Virga teſtudinis.

Maxillæ grandioris piſcis Lucii.

Digitized by Google

Maxillæ variæ piſcium.

Phocarum pelles aliquot inflatæ in uſus piſ
  turæ Balenarum in Groenlandiã.

Os ſepiæ. Oculi Cancri. Lapides percarun
  carpionum: aſellorum &c.

Cancer Moluccanus.

Cancer ſpinoſus.

Stella marina magna tuberoſa & aculeata,
  quinque radiorum.

Stella marina magna plana quinque rad.

Stella marina rad. XII.

Stella marina rad. IX.

Stellæ marinæ variæ aliæ quinque rad.

Cancer cui conchæ adnatæ.

Cancelli in teſta.

Echinus marinus major ſine ſpinis.

Alius minor cum ſpinis.

Echini minores alii.

Conchæ Anatiferæ ligni trunco magno à
  mibus perforato hinc inde copioſæ adh
  rentes.

Conchæ Anatiferæ algæ ſoli adhærentes.

Conchæ aliæ anatiferæ majores, de quibu
  actum Cent. 6. Hiſt. Anat. 46.

Chelis aſtaci majoris, obtuſa, alia minor m
  ſtroſa.

Artificialia ex animalibus.

Digitized by Google

Lituus ex ebore artificioſis figuris elaboratus.
Pars alia ejuſdem ex ebore.
Cimba Grönlandica ex corio Phocæ, cum remo.
Chordæ ex inteſtinis piſcium, pro capiendis balænis, cum jaculo,
Quinque jacula Grönlandica ex unicornu & Rosmari oſſibus, cum exiguo vel ferro, vel ſilice.
Frontale Grönlandicarum feminarum, ex ligno & oſſe.
Culter eorundem ex ferri lamina & Rosmari (oſſe.
Cochlear eorundem ex oſſe piſcium.
Pecten eorundem ex eadem materia.
Calcei Iſlandorum ex cute lamiæ.
Scipio ex pinnis balenæ.
Sella ex ſpina dorſi balenæ.
Pulvinar in quo ova excludebantur in furnis Fridericiburgenſibus.
Annulus ex roſtro avis Indicæ, quo pollicem muniunt Indi ſagittas vibraturi.
Annulus Indicus alius ex cornu Rhinocerotis.
Armillæ ex ungula Alcis.
Armillæ ex tendinibus Alcis.
Capſa ſatis capax, plena conchyliis, omnium generum, magnitudinum, figurarum.
Loculus plantarum marinarum.

Locu-

Loculus petrificatorum & coralliorum.
Loculus lapidum pretioſorum & rudiorum.
Loculus Mineralium & Metallorum.
Loculus variarum Terrarum.
Loculus fructuum peregrinorum, & huc ſpectantium.
Loculus Antiquitatum Romanarum & aliarum gentium.
Scrinium inſtrumentorum Anatomicorum.
Icones plerarumque partium tam interiorum quam exteriorum Humani corporis, naturali magnitudine & forma ſecundum ductum ſectionum *Thom. Bartholini* á Carolo van Mander Apelle Regio vivis primum coloribus, deinde ab *Alb. Haelwegh* Regio glypte æri inſciſæ, pro Anatome Auguſta, necdum ultimam manum adeptæ.

Alia Muſæi arcana tempus & melior occaſio per partes aperiet. Ut loquantur illa, nos tacebimus. Igitur ne ad plures paginas Domus Anatomicæ deſcriptio ſe diffundat, quia jam ſcriptionis tædium tacitè obrepit, cum Heraclito apud *Ariſtotelem* l. 1. Part. Anim. c. 5. curioſos ingredi fidenter jubebo; εἶναι γὰρ καὶ ἐνταῦθα θεούς.

FINIS.

Digitized by Google

Google